PII IX.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

VOL. V.

ROMAE

MDCCCLXXI

PII IX
PONTIFICIS MAXIMI
ACTA

PARS PRIMA

VOL. V.

ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM SPECTANT

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA

The Vatican Library.
Vatican City.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONCEDITVR INDVLGENTIA PLENARIA DIE XI APRILIS OCCASIONE EXACTI QVINQVAGESIMI ANNI A SVSCEPTO PRESBYTERATV.

PIVS PP. IX.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quod in maximis Nostris acerbissimisque curis vix fore sperabamus, ut tam longum Nobis vitae curriculum conficiendum daret Altissimus, adeo ut, exacto quinquagesimo suscepti Presbyteratus anno, sacrum possemus solemniori pompa celebrare, id undecimo die adventantis Aprilis, si ita Deo placuerit, eveniet. Haec autem lux, quae Nostrum summa perfundit animum voluptate, novam Fidelibus expromendae pietatis testandaeque erga Nos observantiae suae obtulit occasionem. Scilicet incredibili studio, tam faustum Nobis eventum gratulantes, enixas Nobis preces humiliter adhibuerunt, ut huius diei laetitiam, suo cum spirituali bono coniungere, caele-

stesque Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, in ipsorum favorem reserare idcirco dignaremur. Nos igitur piis hisce catholici orbis votis obsecundare lubenti animo volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui hoc anno undecima die mensis Aprilis qualibet in Ecclesia, seu Oratorio sacrosancto Missae sacrificio adstantes, vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti pro peccatorum conversione, Catholicae fidei propagatione et Romanae Ecclesiae pace atque triumpho pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quae etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino concedimus. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI Martii MDCCCLXIX Pontificatus Nostri Anno Vigesimotertio.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS R. P. D. PETRVS HATTAR DIARBEKIRENSI CHALDAEORVM ECCLESIAE PRAEFICITVR

PIVS PAPA IX.

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Supremi Apostolatus officium humilitati Nostrae in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino commissum illud in primis postulat, ut singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio Patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in Consistoriali Allocutione habita IV Idus Iulias anni 1867, quam in Nostra Constitutione, quae incipit *Reversurus*, edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque Orientalis Ritus Patriarchatibus Nos quamprimum fore moderaturos.

Quae omnia Ven. Fr. Iosephus Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum, ad quem Acta praedicti Con-

sistorii, una cum memorata Constitutione a Congregatione Nostra de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis fuerant transmissa, omni obsequio excepit. Cum enim, posthabitis longaevae aetatis ac difficillimae regionis incommodis, in Curdistaniae montes tunc divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit Ven. Fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut Nobis Nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum quidquid pro Chaldaicae Ecclesiae bono Nobis constituendum videretur: quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac sedem Mausiliensem seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie Kalendas Augusti superioris anni aperte declaravit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione constituendas minime dissentire a voluntate Nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur; quinimmo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine instituto, reformentur; et ad hunc finem perspicuae leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem Nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudica-

remus, iidem nedum Amidenae seu Diarbekirensi Ecclesiae anno ante vacanti, verum et Mardinensi, quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maximae profecto consolationi Nobis fuere, magnumque solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt; quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate et singularem erga Nos fidem ac devotionem praeseferebant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum Ecclesia reflorescerent. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus; neque operam Nostram, quod et Nobis et Praedecessoribus Nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium Ecclesiarum ordinatione constituenda unquam desiderari patiemur.

Cum itaque Archiepiscopalis Ecclesia Amidedena seu Diarbekirensis Chaldaeorum, ad quam regendam Apostolicis Nostris Litteris datis pridie Idus Ianuarias ann. MDCCCXLVII Ven. Fr. Petrus Georgius de Natale a Gezirensi Chaldaeorum sede fuerat translatus, vacaverit et vacet in praesens per mortem eiusdem Petri Georgii, qui supremum diem obiit in Albana dioecesi suburbicaria, cumque praefatus Ven. Fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes, quos illi dioecesi gubernandae idoneos existimavit, uti superius relatum est, Nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro

negotiis Ritus Orientalis. Quorum audita relatione mentem animumque Nostrum ad Te convertimus, quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo, aliisque necessariis dotibus praeditum idem Ven. Fr. Patriarcha Nobis una cum aliis proposuit. Quapropter Te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium praefatae Archiepiscopali Ecclesiae Amidenae seu Diarbekirensi Chaldaeorum Apostolica auctoritate praeficimus, eiusdemque Ecclesiae curam, regimen, et administrationem in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus.

Volumus autem ut a praefato Ven. Fr. Iosepho Patriarcha, vel ab alio Antistite ab eo specialiter designando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Chaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac distincte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae iuxta formam ab Urbano VIII Praedecessore Nostro praefinitam, una cum iuramento obedientiae et fidelitatis Nobis ac Successoribus Nostris debitae in manibus memorati Ven. Fr. Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris, non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, no-

veris Te una cum Antistite, qui Te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem Nostram, et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum; Teque insuper a pontificalis officii exercitio, nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali Ecclesiae tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a Te sic emissae et iuramenti a Te praestiti authenticum exemplar tua manu signatum, memorati Ven. Fr. Patriarchae subscriptione roboratum, vestrisque sigillis munitum ad Nos quantocitius mitti iubemus per Ven. Fr. Nicolaum Archiepiscopum Martianopolitanum, Nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistania atque in Perside Delegatum.

Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum Tibi onus cum gratia Nostrae Benedictionis alacriter suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in Tua dioecesi iuxta sacros Canones personaliter et assidue residens, Catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare, ceterasque gravissimi Tui ministerii partes accuratissime implere studeas. Imprimis vero omnem curam impendas quo universi fideles Tuae curae concrediti, sublata qualibet contentione et aemulatione, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, et pax Christi exultet in cordibus eorum. Et quoniam administratio quorumdam ecclesiasticorum bonorum occasionem simultatibus et contentionibus praebuisse dignoscitur, idcirco huic negotio rite procurando iussimus a memorata Nostra Congregatione opportunas Tibi dari instructiones et mandata.

Denique praecipimus Tibi ac distincte mandamus, ut Venerabili Fratri Iosepho Patriarchae eiusque successoribus ab hac Apostolica Sede confirmatis canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas: clero autem et populo istius Tuae dioecesis Amidensis Chaldaeorum expresse mandamus, ut Te uti legitimum suum pastorem devote suscipiant, debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

Haec volumus, decernimus, atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 22 Martii 1869, Pontificatus Nostri anno vicesimo tertio.

N. Card. Clarelli Paracciani

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS R. P. D. GABRIEL FARSO PRESBYTER CHALDAEVS ECCLESIAE MARDINENSI PRAEFICITVR

PIVS PAPA IX.

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Supremi Apostolatus officium humilitati Nostrae in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino commissum, illud in primis postulat, ut singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio Patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in Consistoriali Allocutione habita IV Idus Iulias ann. 1867, quam in Nostra Constitutione, quae incipit *Reversurus*, edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque Orientalis Ritus Patriarchatibus Nos quamprimum fore moderaturos.

Quae omnia Ven. Fr. Iosephus Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum, ad quem acta praedicti Consistorii una cum memorata Constitutione a Congregatione Nostra de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis fuerant transmissa, omni obsequio excepit. Cum enim posthabitis longaevae aetatis, ac dif-

ficillimae regionis incommodis, in Curdistaniae montes tunc divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit Ven. Fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut Nobis Nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum quidquid pro Chaldaicae Ecclesiae bono Nobis constituendum videretur: quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac sedem Mausiliensem seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie Kalendas Augusti superioris anni, aperte declaravit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione constituendas minime dissentire a voluntate Nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur; quin immo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine instituto, reformentur; et ad hunc finem praecipue leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem Nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudicaremus, iidem nedum Amidenae seu Diarbekirensi Ecclesiae anno ante vacanti, verum et Mardinensi, quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maxime profecto consolationi Nobis fuere, magnumque

solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt; quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate, et singularem erga Nos fidem ac devotionem praesefere. bant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum Ecclesia reflorescerete. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus; neque operam Nostram, quod et Nobis et Praedecessoribus Nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium Ecclesiarum ordinatione constitu enda unquam desiderari patiemur.

Cum itaque Episcopalis Ecclesia Mardinensis Chaldaeorum, per obitum Ven. Fr. Ignatii Decstu, ultimi eiusdem Episcopi, vacaverit et vacet in praesens; cumque praefatus Ven. Fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes, quos illi dioecesi gubernandae idoneos aestimavit, uti superius relatum est, Nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus Ven. Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis. Quorum audita sententia, mentem animumque Nostrum ad Te convertimus, quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo, aliisque necessariis dotibus praeditum idem Ven. Fr. Patriarcha Nobis una cum aliis proposuit, quique nuper Apostolici Visitatoris munere in eadem Amidensi civitate solerter defunctus fuisti. Quapropter Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas

forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefatae Episcopali Ecclesiae Mardinensi Chaldaeorum Apostolica auctoritate praeficimus, eiusdemque Ecclesiae curam, regimen et administrationem in spiritualibus et temporalibus Tibi plenarie committimus.

Volumus autem ut a praefato Ven. Fr. Iosepho Patriarcha vel ab alio Antistite ab eo specialiter designando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Chaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac distincte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae iuxta formam ab Urbano VIII Praedecessore Nostro praefinitam una cum iuramento obedientiae et fidelitatis Nobis ac Successoribus Nostris debitae in manibus memorati Ven. Fr. Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris, non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, noveris Te una cum Antistite qui Te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem Nostram et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum; Teque insuper a pontificalis officii exercitio nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali Ecclesiae Tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a Te sic emissae et iuramenti a Te praestiti authenticum exem-

plar tua manu signatum, memorati Ven. Fr. Patriarchae subscriptione roboratum, vestrisque sigillis munitum, ad Nos quanto citius mitti iubemus per Ven. Fr. Nicolaum Archiepiscopum Martianopolitanum, Nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistania atque in Perside Delegatum.

Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum Tibi onus cum gratia Nostrae Benedictionis alacriter suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in tua Dioecesi iuxta sacros Canones personaliter et assidue residens, Catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare, ceterasque gravissimi Tui ministerii partes accuratissime implere studeas.

Denique praecipimus Tibi ac districte mandamus, ut Ven. Fr. Iosepho Patriarchae eiusque successoribus ab hac Apostolica Sede confirmatis canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas: clero autem et populo istius tuae dioecesis Mardinensis Chaldaeorum expresse mandamus, ut Te uti legitimum suum pastorem devote suscipiant, debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

Haec volumus, decernimus, atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII martii 1869, Pontificatus Nostri anno vigesimo tertio.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONCEDITVR OMNIBVS CHRISTIFIDELIBVS INDVLGENTIA PLENARIA IN FORMA IVBILAEI OCCASIONE OECVMENICI CONCILII

OMNIBVS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS

PIVS PP. IX.

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nemo certe ignorat, Oecumenicum Concilium a Nobis fuisse indictum in Basilica Nostra Vaticana die 8 futuri mensis Decembris Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro inchoandum. Itaque hoc potissimum tempore numquam desistimus in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus orare et obsecrare clementissimum luminum et misericordiarum Patrem, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit (1), ut mittat de caelis sedium suarum assi-

(1) S. Iac. c. 1. v. 17.

stricem sapientiam, quae Nobiscum sit, et Nobiscum laboret, et sciamus quid acceptum sit apud Eum (1). Et quo facilius Deus Nostris annuat votis, et inclinet aures suas ad preces Nostras, omnium Christifidelium religionem, ac pietatem excitare decrevimus, ut, coniunctis Nobiscum precibus, Omnipotentis dexterae auxilium, et caeleste lumen imploremus, quo in hoc Concilio ea omnia statuere valeamus, quae ad communem totius populi Christiani salutem, utilitatemque, ac maiorem catholicae Ecclesiae gloriam et felicitatem, ac pacem maxime pertinent. Et quoniam compertum est gratiores Deo esse hominum preces si mundo corde, hoc est animis ab omni scelere integris, ad ipsum accedant, icciroo hac occasione caelestes Indulgentiarum thesauros dispensationi Nostrae commissos Apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram poenitentiam incensi, et per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati, ad Thronum Dei fidentius accedant, eiusque misericordiam consequantur, et gratiam in auxilio opportuno.

Hoc Nos consilio Indulgentiam ad instar Iubilaei Catholico Orbi denunciamus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi ex illa ligandi ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis ac singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui a die primo futuri mensis Iunii usque ad diem, quo Oecumenica

(1) Sapient. cap. 9. v. 4. 10.

Synodus a Nobis indicta fuerit absoluta, S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Maioris Basilicas, vel earum aliquam bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro omnium misere errantium conversione, pro sanctissimae fidei propagatione, et pro catholicae Ecclesiae pace, tranquillitate, ac triumpho devote oraverint, et praeter consueta quatuor anni tempora tribus diebus, etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et Sabbato ieiunaverint, et intra commemoratum temporis spatium peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint, ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de illorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae Litterae pervenerint, designandas, vel earum aliquam praefiniti temporis spatio bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgentiam, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas Ecclesias intra, et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus atque indulgemus, quae Indulgentia animabus etiam, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari poterit.

Concedimus etiam, ut navigantes, atque iter agentes, quum primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis et bis visitata Eccle-

sia Cathedrali, vel Maiori, vel propria Parochiali loci ipsorum domicilii eamdem Indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis saecularibus, vel regularibus, in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere possint cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus atque indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus Saecularibus et Regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Saecularem, quam Regularem ex actu approbatis a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus), qui eos ab excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, et censuris a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis praeter infra exceptas, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicae speciali licet forma re-

servatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeant; et insuper vota quaecumque etiam iurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, iniuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque eiusdem Confessarii arbitrio iniungendis.

Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione Censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta, vel de facili deducenda. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro « *Sacramentum poenitentiae* » quoad inhabilitatem absolvendi complicem, et quoad obligationem denunciationis, neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et ab Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu iudice Ecclesiastico nominatim ex-

communicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus praefinitum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint nullomodo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum iudicio Confessarii satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus, et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum ac locorum ratione satius in Domino censuerint, per suas Ecclesias ac Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas pro praesenti Iubilaeo designent.

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint, nec non regula de non concedendis In-

dulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum, sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia qnaevis expressio habenda alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praecipimus autem, a commemorato die primo Iunii usque ad diem, quo Oecumenica Synodus finem habuerit ab omnibus universi catholici Orbis utriusque Cleri Sacerdotibus quotidie addi in Missa orationem de Spiritu Sancto, deque eodem Sancto Spiritu divinum, praeter consuetam Missam Conventualem, Sacrificium fieri in omnibus huius Urbis Patriarchalibus, aliisque Basilicis, et Collegialibus Ecclesiis, nec non in cunctis totius orbis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ab earum Canonicis, atque etiam in singulis cuiusque Religiosae Familiae Ecclesiis Regularium, qui Conventualem Missam celebrare tenentur, feria quaque quinta, qua festum duplex primae et secundae classis non agatur, quin

tamen haec de Spiritu Sancto Missa ullam habeat applicationis obligationem.

Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11 Aprilis Anno 1869.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

N. Card. Paracciani Clarelli.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS MISSIO DE CVRAÇAO IN AMERICA SEPTEMTRIONALI DOMINICIANAE PROVINCIAE HOLLANDICAE DEMANDATVR.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Miserrimam Missionis de Curaçao in America Septemtrionali institutae conditionem cogitantes maximo afficiebamur dolore; ipsi enim Missioni una cum suo ultimo Vicario Apostolico Venerabili Fratre Friderico Kistemaker Episcopo Uranopolitano in partibus infidelium, qui gravibus infirmitatibus illam deserere coactus est, pastoralis cura, et sollicitudo defecit, ita ut eadem magno spirituali solatio viduata haberetur. Hinc ex debito Apostolici Ministerii, quo super universum dominicum gregem arcano Divinae providentiae consilio fungimur, Pastorem aeternum assiduis obsecrare precibus, eaque omnia praestare non destitimus, ut praefatae Missionis saluti, atque incremento succurrere, ac providere possemus. Iam vero Dominiciana Provincia Hollandica, quae reli-

gionis provehendae studio, et sempiternae animarum salutis sollicitudine summopere commendatur, Nostris curis, ac desideriis respondens huiusce Missionis procurationem suscipere non renuit, dummodo illam ei auctoritate Nostra committamus; sibi enim laxanti in verbo Nostro rete, licet graves, et multae adsint difficultates, omnia feliciter, ac prospere in eiusdem Missionis bonum, et commodum cessura pollicetur. Quae cum ita sint, audito voto dilecti filii Summi Dominicianae Familiae Magistri, qui (etsi rationabilibus adductus causis hac super re passive se habuit) hoc tamen consilium probavit, rebusque omnibus cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Christiano nomini propagando praepositis mature perpensis, de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio in eam mentem venimus, ut supradictam Missionem Hollandicae praefati Ordinis Provinciae concrederemus, certa spe freti fore, ut dives in misericordia Deus omnes dissolvat difficultates, et illorum fidelium precibus exoratus omnia eidem Missioni spiritualia dona, commoda, et incrementa largiatur. Quare auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi Missionem de Curaçao in America Septemtrionali positam Dominicianae Provinciae Hollandicae concedimus, et demandamus. Quod vero ad novi eiusdem Missionis Vicarii Apostolici delectum volumus, ac praecipimus, ut res agatur a dilectis filiis Magistro Generali, et Provinciali Ordinis Praedicatorum, qui collatis consiliis idoneos Nobis exhibeant viros, ut ex iis, quem in Domino dignum iudicaverimus, eiusdem Missionis Vicarium Apostolicum Episcopali charactere insignitum constituamus. Haec vo-

lumus et mandamus in contrarium facientibus, licet speciali atque individua mentione et derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV Maii MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri Anno XXIII.

N. Card. Paracciani Clarelli.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XXV IVNII MDCCCLXIX.

VENERABILES FRATRES

Novam, et catholicae Ecclesiae, eiusque immunitati, libertati, et iuribus, ac vel ipsi civili societati maxime infestam legem a Subalpino Gubernio editam, ac promulgatam cum summo animi Nostri dolore in hoc amplissimo vestro consessu deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Atque hic Nos loquimur de lege, qua idem Gubernium, post tot ac innumeros fere ausus, et iniurias Ecclesiae, eiusque sacris ministris, rebusque illatas, Clericos militari conquisitioni subiicere non dubitavit. Ecquis non videt quam damnosa, et quam hostilis Ecclesiae sit haec lex, quae Ecclesiae ius ab ipso Christo Domino ei tributum impedit, et coarctat eligendi idoneos, ac necessarios ministros, qui ab eodem Christo ad divinam suam religionem tuendam, propagandam, ad animarum salutem usque ad consummationem saeculi procurandam constituti fuerunt; quaeque potissimum eo unice spectare videtur, ut in hac infelicissima Italia, si fieri unquam possit, catholica Ecclesia funditus deleatur et exterminetur?

Nobis certe verba desunt ad eiusmodi legem denuo improbandam ac detestandam. Quisque noscit, Nos pro Apostolici Nostri ministerii munere haud omisisse Nostro officio studiosissime perfungi, et omnes Venerabiles Fratres sacrorum in Italia Antistites cum summa eorum nominis laude iustissimas suas fecisse querelas, reclamationes, et expostulationes, ut huiusmodi lex nunquam locum haberet. Atque utinam hac occasione abstinere Nos possemus, Venerabiles Fratres, a lugendis gravissimis malis et damnis, quibus sanctissima nostra religio nunc in Austriaco etiam Imperio et Hungariae Regno miserandum in modum affligitur ac divexatur. Notitiae autem, quae de Ecclesiae rebus ex Hispaniarum Regno ad Nos perveniunt, non eam, veluti sperabamus, consolationem, quin immo tristitiam et moerorem Nobis afferunt.

Russicum vero Gubernium pergit catholicam insectari Ecclesiam, et ab omnibus fere Dioecesibus suos, vi etiam adhibita, eiicere Episcopos, eosque in exilium pellere, propterea quod Christi hic in terris Vicarii vocem ac mandata, prout debent, audire et exequi volunt, nec sinit, eosdem Episcopos ab illius Imperii finibus egredi, etiamsi maxima Ecclesiae utilitas id omnino postulet. Ac magis in dies omni modo impedit, quominus illi fideles cum Nobis et hac Apostolica Sede libere communicare queant.

Sed inter gravissimas, quibus vexamur, angustias, non mediocri certe solatio Nobis est pastoralis zelus, summopere laudandus, quo Sacrorum Antistites rem catholicam viriliter tutantur, et sanctissimae fidei nostrae principia integra servare et Eccle-

siae unitatem propugnare contendunt adversus multiplices insidias et conatus, quibus impii homines suos errores propagare connituntur. Ac futurum confidimus fore, ut universus catholicus Clerus illustria Episcoporum suorum exempla pro viribus imitari, et aemulari conetur.

Interim istos omnes Christi, eiusque Sanctae Ecclesiae hostes etiam atque etiam monemus, ut tandem aliquando serio considerent quam terribilis sit Deus in suis, eiusque Ecclesiae hostibus puniendis.

Nos autem non desistamus, Venerabiles Fratres, ferventissimis, humillimisque precibus misericordiarum Patrem orare et obsecrare, ut omnes miseros errantes de perditionis via ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducat, utque catholicam Ecclesiam ubique terrarum novis ac splendidioribus triumphis quotidie magis exornet et augeat.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS STATVITVR DIVISIO MISSIONVM SVECIAE POTISSIMVM ET NORVEGIAE ET DVPLEX APOSTOLICA PRAEFECTVRA IN DVCATIBVS HOLSTEIN ET SCHLESWIG ET IN REGNO DANIAE.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ecclesiae universae divinitus Nobis commissa cura postulat, ut ea praestare maturemus, quae Catholico Nomini bene, prospere, atque feliciter eveniant. Itaque vix dum anno superiori ad septemtrionalium Europae Missionum, Daniae, Sveciae, Norvegiae, aliarumque, quae prope polum Arcticum sitae sunt, stationum negotia animum appulimus, comperimusque illis in difficillimis regionibus e Christiana re admodum fore, si quae ab uno, vel altero Antistite latissimae, longeque nimium inter se dissitae dirigebantur Missiones, in varias sectiones dividerentur,

atque ita varia Missionum veluti centra prodirent, statim ea de re egimus cum VV. FF. NN. S.R.E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, deque eorum consilio per Apostolicas Litteras die VII Mensis Augusti eiusdem anni datas, haec decrevimus, quae infra scripta sunt. Primum indivisas Missiones, Sveciae potissimum et Norvegiae, esse dividendas, duplexque in iisdem centrum constituendum. Deinde duplicem Apostolicam Praefecturam, alteram in Ducatibus Holstein et Schleswig, alteram in Regno Daniae esse erigendam; tandem Praefecturam Arcticam esse coarctandam, ita ut Danicas insulas Ferrois, Islandiae, ac Gronelandiae, aliasque, quibus antea constabat, tum Scotiae, tum Septemtrionalis Americae prope Polum Magneticum partes comprehenderet. At enim dum spes affulgebat memoratam divisionem Catholicae Religioni illis in regionibus fore perutilem, nonnulla accepimus quae faciunt, ut in dubium revocetur eiusdem divisionis emolumentum, eamque aliquatenus immutandam suadent. Quocirca iterum rem totam cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis communicavimus, omnibusque rationum momentis sedulo diligenterque perpensis, in eam sententiam devenimus, ut non solum necesse sit, latissimas illas Missiones dividi, sed etiam partitionem huiusmodi ita fieri, ut pro singulis regnis populisque, legibus inter se moribusque diversis singula Missionum centra constituantur. Quae cum ita sint de memoratorum VV. FF. NN. consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, hisce Litteris, quae sequuntur, sancimus, mandamus, edicimus:

I. Firma remanente divisione Missionis Sveciae a Missione Norvegiae, quam Apostolicis Litteris decrevimus, de quibus habita ante mentio est, postremam hanc in Praefecturam Apostolicam erigimus; eique cunctas Norvegiae regiones volumus esse subiectas.

II. Praefecturam Danicam, cuius in iisdem Litteris iussimus erectionem, ad totum Daniae Regnum extendimus; atque idcirco insulas quoque Ferrois, Islandiae, et Gronelandiae illi adscribimus, ea tamen lege, ut a Vicario Apostolico dependeat Missionum Septemtrionalium.

III. Insulas Eskimales, Novum Cumberland, et quidquid aliud ad Americam Septemtrionalem, tum politice, tum geographice pertinens, huc usque Arcticae Praefecturae finibus comprehensum fuit, Superiori Canadae tribuimus.

IV. Septemtrionales Scotiae regiones, Comitatum nempe Caithnesiae, Insulas Schetlandicas, et Orcadas, quas per Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Praefecturae Poli Arctici, alias addiximus, Scotiae reddimus; ex iisque aliam Apostolicam Praefecturam facimus, quae Vicario Apostolico Districtus Scotiae Septemtrionalis subiecta sit.

V. Denique Praefecturam, quam dictis diei VII mensis Augusti superioris anni Litteris pro Ducatibus Holstein et Schleswig ereximus, itemque Vicario Apostolico subiicimus Missionum Septemtrionalium, illam vel praesentium tenore servamus.

Decernentes praesentes Litteras, firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad

quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Sanctionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII Augusti MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quarto.

N. Card. Paracciani Clarelli.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ANTONIO PETRO IX PATRIARCHAE CILICIAE RITVS ARMENII, ET ARCHIEPISCOPIS AC EPISCOPIS EIVSDEM RITVS IN PATRIARCHALI SYNODO CONGREGATIS.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATRES, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libentissimo certe animo obsequentissimas vestras accepimus litteras die 22 proximi mensis Iulii datas, quibus maximas Nobis gratias agere voluistis propter insignes reliquias Magni Armeniae Apostoli S. Gregorii Illuminatoris Vobis a Nobis donatas. Gratae autem Nobis admodum fuerunt, Ven. Fratres, singularis Vestrae erga Nos et hanc B. Petri Cathedram, unde vigor et unitas sacerdotalis est orta, pietatis, amoris, et observantiae significationes. Quamobrem in eam profecto spem erigimur fore, ut, Deo auxiliante, patriarchalis synodus, quam Nostris mandatis obsequentes celebratis, prospere feliciterque eveniat, utque edere contendatis opportuna ac salubria decreta, quae executioni mandari nunquam poterunt, nisi ab hac Apostolica Sede fuerint recognita atque probata. Futurum quoque confidimus, Ven. Fratres, ut nihil intentatum relinquere velitis, ut in

Armenio isto Patriarchatu accuratus disciplinae ordo recte constituatur. Etenim optime noscitis Ecclesiasticam disciplinam, ubi rite fuerit instituta, esse firmissimum verae fidei praesidium et propugnaculum, cumque sacro cohaereat dogmati, ad eiusdem puritatem conservandam, tuendam maxime conducere, et idcirco haereticis ac schismaticis ad unitatem revocandis plurimum prodesse. Haec vero ut assequamini duo in primis a Vobis praestanda sunt. Et primo quidem, ut primum illud unum ante oculos habentes quibus de causis Vos iussimus convenire, quaestiones omnes et controversias quae ad rem non pertinent devitetis. In Episcoporum enim conventibus ea sunt pertractanda, quae ad catholicae fidei puritatem, integritatemque tutandam, atque ad disciplinam tum canonicam, tum liturgicam, qua ex parte est collapsa restituendam, pertinent. Nunquam vero ab animis vestris excidant provida monita, hortationes, mandata, quae ab hac Apostolica Sede saepe accepistis tam per decreta, et epistolas Nostrae Congregationis Fidei propagandae praepositae pro negotiis Orientalibus, quam per Apostolicas Litteras rec. mem. Praedecessorum Nostrorum. Inter quas commemorandae sunt potissimum Apostolicae litterae Gregorii XVI, quae incipiunt *Inter gravissimas*, editae die 3 Februarii 1832, aliaeque eiusdem Pontificis, quarum initium *Studium paternae* datae die 2 Maii 1836, et quae a Nobis scriptae fuerunt die 2 Februarii 1854, quarum initium *Neminem latet;* ac demum Apostolica Nostra Constitutio, cuius principium *Reversurus*, edita IV Idus Iulii anno 1867. Haec omnia meminisse iuvat, ut quantum Nos ur-

geat istius Ecclesiae sollicitudo magis magisque innotescat, et nihil omittamus, quod ad faustam Synodi istius celebrationem possit pertinere. Ac praeterea voluimus, ut Ven. Frater Antonius Iosephus Pluym Episcopus Nicopolitanus, Noster et huius Apostolicae Sedis in ista Civitate Pro-Delegatus, Vestrae Synodo adesset specialibus facultatibus et instructionibus munitus, quo Synodo ipsi maius decus accederet, et canonica sacrorum Antistitum libertas sarta tecta omnino praestaret, atque omnia ad propositum finem dirigerentur. Iam vero sinite, Ven. Fratres, ut Vobis ac Dilectis Filiis Clericis, ac Monachis, populisque curae Vestrae concreditis in memoriam revocemus quae Praedecessores Nostri Pius VIII, et Gregorius XVI, Nosque ipsi aliis Nostris litteris etiam atque etiam commendavimus, scilicet coniunctionem totius corporis unam sanitatem, unamque pulchritudinem facere, et hanc coniunctionem exigere concordiam sacerdotum. Omne enim regnum in se ipsum divisum desolabitur; et in hoc cognoscent omnes, quia discipuli Christi sumus, si dilectionem habuerimus ad invicem, si bene fecerimus iis qui nos persequuntur, si dilexerimus eos, qui nos odio habent.

Quapropter in humilitate cordis Nostri Deum enixe adprecamur, ut det Vobis id ipsum sapere, ac servare unitatem spiritus in vinculo pacis, illius inquimus pacis, quam Christus nascens universo terrarum orbi per Angelos annunciari voluit, et in caelum abiturus discipulis suis commendavit. Hac denique occasione quam libentissime utimur, ut praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam denuo testemur et confirmemus, cuius quoque pignus

esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis, Ven. Fratres, omnibusque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Augusti MDCCCLXIX Pontificatus Nostri Anno XXIV.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NONNVLLA PRAESCRIBVNTVR PRO VTILITATE BABYLONENSIS CHALDAEORVM PATRIARCHATVS.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Cum Ecclesiastica disciplina verae fidei sepimentum sit ac tutela firmissima, quippe quae sacro cohaereat dogmati (1), et ad eius puritatis conservationem maxime conducat, iamdudum Nobis erat in animo hanc potissimum in Ecclesiis Orientalibus accuratius ordinare, ubi incerta ac minus apte esset constituta, ubi vero collapsa et fortasse etiam temporum asperitate obliterata, instaurare, salvis tamen earum ritibus a SS. Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis. Siquidem probe novimus eamdem disciplinam, ubi semel depravata fuerit et

(1) Pius VI Apost. Litt. *Quod Aliquantum* 10 Mart. 1791.

corrupta, haeresum magna ex parte causam esse et originem (1). Et quoniam sapientissimorum medicorum more, uti S. Basilius monuit (2), a praecipuis malis sumendum est initium, idcirco, a rite ordinanda sacrorum Antistitum electione exordiendum esse existimavimus. Etenim quales sunt qui praesunt, tales plerumque, ut idem inquit Basilius (3), et eorum qui parent mores esse solent: ac ferme impossibile est veram catholicam fidem absque ulla erroris commixtione servari, sacramque Ecclesiae disciplinam, quam illius retinaculum S. Cyprianus (4) appellabat, inviolate custodiri, nisi optimi quique Pastores excubias agant diligentissime super gregibus eorumdem curae commissis.

Qua in re ita canonum paternorum decreta libranda ac Praedecessorum Nostrorum praecepta metienda existimavimus, ut quae in Ecclesiae utilitatem praesentium temporum necessitas deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri sic temperaremus, ut nec in totum formam veterum videremur excedere regularum, et simul reparandae Ecclesiasticae disciplinae consuleremus. Sicut enim quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat immutari, operante scilicet et perficiente usque in finem gratia Dei.

Hoc sane consilio factum est, ut cum Constan-

(1) Act. Concil. Trid. ap. Labbé Edit. Colet. Tom. XX. col. 75.
(2) Ep. 66. ad Athanas. Episc. Alex.
(3) Ad Amphiloch. ep. 190.
(4) De Habit. Virgin.

tinopolitanam Armeniorum provinciam patriarchatui Ciliciae coniungeremus, oblatam hanc occasionem libenter arripuerimus, ut praecipua quaedam disciplinae capita, praesertim de Episcoporum electione, in memorato Patriarchatu perpetuo servanda sanciremus Apostolica Nostra Constitutione, cuius initium est *Reversurus* edita IV Idus Iulias anno MDCCCLXVII. In qua aperte ediximus, gravissimum hoc negotium de Sacrorum Antistitum electione in reliquis quoque patriarchatibus Nos fore quamprimum moderaturos. Quod etiam significare non omisimus coram Ven. Fr. Nostris Patriarchis ac reliquis Orientalis ritus Antistitibus, qui in saecularibus solemnibus BB. Apostolorum Petri et Pauli ad hanc almam Urbem Nostram convenerant.

Hos inter cum non adfuisset Ven. Fr. Iosephus Audo Babylonensis Chaldaeorum Patriarcha, utpote qui in Curdistaniae montes, posthabitis longaevae aetatis ac difficillimae regionis incommodis, divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis, alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, universa acta Consistorii praedicto iam die et anno habiti, una cum memorata Constitutione, per Nostram Fidei Propagandae Congregationem negotiis Ritus Orientalis praepositam, missa fuere. Quae ubi accepit, primo quidem per Ven. Fr. Eliam Episcopum Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum praedictis solemnibus suo nomine ac vice interesse iusserat, tum per suas litteras ad praefatam Congregationem semel et iterum datas, significatum Nobis voluit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione servandas minime

a Nostra voluntate dissentire, quam omni studio et obedientia excipiendam profitebatur; atque ex praemissa episcopalium electionum ordinatione bene sperare si utilis Nobis et opportuna videretur; velle autem ut quod gaudio et laetitiae Nobis est, semper perficiatur. Inter haec vero aliud obsequentissimi Nobis animi argumentum exhibere non distulit, propositis aliquot nominibus sacerdotum sui ritus, ut quos digniores ac magis idoneos in Domino iudicaremus, eosdem Chaldaeorum Ecclesiis Amidenae seu Diarbekiren. atque Mardensi, quas pastoribus suis viduari contigerat, praeficeremus: quod a Nobis actum est Apostolicis Nostris litteris editis sub annulo Piscatoris die XXII Martii huius anni. Quae omnia maxime profecto consolationi Nobis fuere, magnumque solatium in tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt: quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate, et singularem eius in Nos, et in hanc Bm̃i Petri Cathedram reverentiam ac fiduciam praeseferebant: atque ita in pleniorem atque firmiorem spem Nos adduxerunt, fore ut recto demum in omnibus ordine constituto Chaldeorum Ecclesià tot sane nominibus insignis, in pristinum decus aliquando restitueretur.

Omnibus itaque mature perpensis, ac de consilio Ven. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium praefatae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur in memorato Babylonensi Chaldaeo-

rum patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda constituimus atque sancimus.

I. In electione Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi, exclusis omnino clericis et sacerdotibus, qui episcopali charactere non polleant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem habere poterit, quovis quaesito colore vel praetextu.

II. Porro electum Patriarcham neque uti aiunt inthronizari, neque ullum ius aut iurisdictionem, ne procuratorio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius eiusdem electio seu postulatio a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis eiusdem fuerint expeditae, sublata qualibet contraria consuetudine.

III. Eidem Patriarchae, quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licebit Episcopos consecrare, nec convocare concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare, antequam ab eadem Apostolica Sede sacrum Pallium obtinuerit.

IV. Praedicto autem Pallio Patriarcha uti tantum poterit in Missarum solemnibus intra fines et in ecclesiis sui patriarchatus, his dumtaxat diebus, videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in festis S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis Domini, Epiphaniae eiusdem, Dominicae in Palmis, Feria V in Coena Domini, Sabbati Sancti, Dominicae Resurre-

ctionis cum duobus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, sacratissimi Corporis Christi, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae semper Virginis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis eiusdem; item in festis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Omnium Sanctorum, nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in praecipuis Ecclesiae seu festivitatibus, in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae, quam dedicationis ecclesiae.

V. Sacra Limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli statis a iure temporibus idem Patriarcha personaliter et per seipsum visitabit: Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio ac de rebus omnibus ad patriarchatus statum pertinentibus; eiusdemque monita et mandata humiliter excipiet ac diligentissime exequetur.

VI. Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum eiusdem patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et ab Episcopis synodaliter congregatis tres idonei ecclesiastici viri, collatis consiliis, Romano Pontifici pro tempore existenti proponantur, ut ex illis digniorem et magis idoneum eligere, et vacanti episcopali sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere

studeant, ne umquam cogamur Nos vel successores Nostri pro Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si quandoque propter instantem necessitatem aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes, una cum memorato Patriarcha, in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem, ut universa acta eiusdem synodi ad praefatam Congregationem Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam per Nostrum et huius Sanctae Sedis in Mesopotamia Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro vel Successorum Nostrorum iudicio subiiciantur. Hanc vero methodum in electione omnium et quorumcumque Episcoporum in Babylonensi Chaldaici ritus patriarchatu perpetuis futuris temporibus omnino servari iubemus.

VII. Ut autem, omni excluso Laicorum arbitrio, sarta tecta serventur Ecclesiae bona, quae canones (1), in potestate sacrorum Antistitum esse voluerunt; atque ut regulae ab iisdem canonibus (2) sancitae ad diligentem eorumdem bonorum conservationem

(1) Can. Aplor. XXXVIII. Concil. Antioch. can. XXIV. XV. Concil. Gangren. can. VII.

(2) Concil. Chalcedon. can. XXVI. Concil. Nicaen. II. can. XI.

ac fidelem administrationem procurandam firmius custodiantur, edicimus Patriarcham non posse vendere, aut donare, vel oppignorare, aut de novo infeudare, vel alio quocumque modo alienare possessiones pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque ecclesias vel loca pia sui patriarchatus; neque assentiri, ut a quovis alienentur inconsulto Romano Pontifice, iuxta formam iuramenti quod electi Patriarchae ritus Orientalis in sua promotione emittere tenentur.

Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane, si quid contra praemissa a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; ac reservantes Nobis, et successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in memorato Babylonensi patriarchatu pro temporum, locorum, ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

Decernimus quoque praesentes Nostras Litteras semper et quandocumqne validas et efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; quin ullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari aut impugnari possint; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis facultate aliter iudicandi ct interpretandi.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae

Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis etiamsi editis in synodalibus, provincialibus, generalibus, atque universalibus conciliis; dictaeque Ecclesiae patriarchalis Babylonensis Chaldaeorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis atque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis et cum quibusvis, etiam insolitis clausulis et decretis concessis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide harum quoque serie motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae et ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, sanctionis, prohibitionis, inhibitionis, iussionis, praecepti, mandati, iniunctionis, reservationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXIX. pridie kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.

G. Gori Subdatarius

N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia
Dominicus Bruti Abbreviator

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

VENERABILI FRATRI HENRICO EDVARDO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI.

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Per ephemerides accepimus, Doctorem Cumming scotum quaesivisse a te, num in futuro Concilio dissidentibus facienda sit potestas ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrantur; te autem respondente, id a Nobis esse decernendum, ipsum hac de re ad Nos scripsisse. Verum si postulantem non latet catholicorum fides de magisterio a Divino Servatore nostro commisso Ecclesiae suae, et de huius infallibilitate propterea in definiendis quaestionibus de dogmate et moribus; dubitare nequibit, quin Ecclesia ipsa pati non debeat, revocari rursum in disceptationem errores, quos sedulo expendit, iudicavit et damnavit. Nec aliud ei suadere possunt litterae Nostrae. Dum enim diximus « *nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum Christum* » *Iesum*, ut humanis omnibus generationibus re- » demptionis suae fructus applicaret, *suam hic in* » *terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam*,

» idest unam, sanctam catholicam, Apostolicam, *ei-
» que necessariam omnem contulisse potestatem, ut
» integrum inviolatumque custodiretur fidei deposi-
» tum*, ac eadem fides omnibus populis, gentibus,
» nationibus traderetur: » hoc ipso diximus *extra disputationis aleam* constitutum esse primatum, non honoris tantum, sed et iurisdictionis Petro eiusque successoribus ab Ecclesiae institutore collatum. Atqui in hoc nimirum cardine tota quaestio versatur inter catholicos et dissentientes quoscumque; et ex hoc dissensu, veluti e fonte omnes acatholicorum errores dimanant. « *Cum enim eiusmodi societates ca-
» reant viva illa et a Deo constituta auctoritate*,
» quae homines res fidei morumque disciplinam prae-
» sertim docet, eosque dirigit ac moderatur in iis
» omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent; tum
» *societates ipsae in suis doctrinis continenter varia-
» runt*, et haec mobilitas atque instabilitas apud eas-
» dem societates nunquam cessat. » Sive ergo qui Te interrogavit sententiam consideret, quam de infallibilitate iudicii sui in definitione rerum spectantium fidem et mores tenet Ecclesia, sive quae Nos de non revocando in dubium Petri primatu et magisterio scripsimus; intelliget illico, nulli damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in Concilio; nec Nos acatholicos invitare potuisse ad disceptandum, sed dumtaxat, ut « occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui
» eorum maiores adscripti erant, novum intimae uni-
» tatis et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet
» argumentum; ac indigentiis eorum cordis respon-
» dentes ab eo statu se eripere studeant, in quo

» de sua propria salute securi esse non possunt. » Si ipsi, divina gratia afflante, proprium discrimen percipiant, si toto corde Deum quaerant, facile abiicient praeconceptam quamvis adversam opinionem, et omni statim disceptandi cupidine deposita, redibunt ad Patrem, a quo iamdiu infeliciter discesserunt. Nos autem laeti occurremus ipsis, eosque paterna caritate complexi, gaudebimus, Ecclesiam universam gratulari Nobis, quod filii Nostri qui mortui erant revixerint, et qui perierant sint inventi. Id certe a Deo poscimus enixe; et Tu, Ven. Frater, preces tuas iunge Nostris. Interim vero divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi totique Dioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 Septembris 1869.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquarto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE SCHOLARVM PRO PVERIS IN REGIONE TRANSTIBERINA.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Iesu Christi exemplis inhaerentes, qui pueros sibi carissimos esse, et re et verbo comprobavit, cum praecipuae Angelorum custodiae a suo Patre eos fuisse traditos, malisque multis, qui eisdem scandalo esse auderent puniendos fore affirmavit, Nos vix ac in B. Petri Apostoli Cathedram benignissimo Deo sic iubente ascendimus, nihil omisimus, quod in adolescentium praesertim in hac Urbe Nostra degentium bonum vergeret. Namque id omne eo consilio peregimus, ut ii Creatoris sui in diebus iuventutis recordantes, et vel a prima aetate iugum portare assuescentes reliquum vitae tempus, prout hominem christianum decet, vivant, utque beatitate caelesti olim potiantur. Hinc omnem sollicitudinem, omnesque cogitationes Nostras ad pueros, et praesertim

ad eos convertimus, qui ob parentum vel paupertatem, vel ignorantiam subsidiis carentes animum ad pietatem et religionis officia cognoscenda intendere nequeunt. Quare institutas pias domos, et scholas publicas per varias Almae huius Urbis Nostrae regiones augendas, amplificandas, vel novas erigendas curavimus, ad quas pueri institutionis causa diurnis nocturnisve horis accederent. Cum vero maxime cuperemus, ut huiusmodi beneficiorum fructus pueri e frequentissima regione, quae trans Tiberim iacet, acciperent, aedes satis amplas vico novo, quem e gentis Nostrae cognomine Mastai appellatum civium vastissimum Nicotianis foliis elaborandis aedificium per Nos nuper e solo erectum adeuntium commoditati aperuimus, Nostris sumptibus extruendas curavimus. Has autem aedes ita parari iussimus, ut ibi Scholae pueris regionis transtiberinae erudiendis adsint, et viri religiosi, quibus eos edocendi instituendique onus fuerit, aptam fixamque habeant sedem. Ut autem quae ad Dei cultum pietatis exercitia peragenda, et vitae commoditatem necessaria inibi praesto essent, Sacellum in iisdem aedibus erectum omni sacra supellectili exornavimus; item Scholas, conclavia et cellas largitate Nostra instruximus, ditavimus. Tandem vectigal quoque religiosis viris, qui earum Scholarum regimini praefuerint, constituimus, quod ex duarum domorum, quas dictis aedibus coniunctas et attiguas Nostro sumptu pariter extruendas mandavimus, reditibus percipietur. Quare ut haec Pontificia Nostra liberalitas suum finem, quem Nobis proposuimus, sortiatur, atque etiam novum paternae sollicitudinis, quo Almae huius Urbis pueros complecti-

mur, pignus perpetuo sit permansurum, Nos motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione, quae sequuntur, decernimus;

I. In praedictis aedibus Scholas pro pueris regionis transtiberinae perpetuum in modum erigimus et instituimus, earumdemque regimen et curam Instituto Fratrum Scholarum Christianarum nuncupato sub titulo Sanctissimi Infantis Iesu, et Patrocinii Sancti Iosephi, quorum studium et zelus in pueris rite erudiendis Nobis perspectus est, et exploratus, demandamus, ita ut ipsi pueros praedictae regionis iuxta Instituti sui normam et methodum, utque moris est in aliis Almae Urbis Nostrae Scholis, quarum regimini iidem Fratres praesunt, instituant. Propterea iisdem Religiosis viris dictarum aedium, et cuiusvis sacrae et domesticae supellectilis aere Nostro comparatae usum perpetuis futuris temporibus, nisi Nobis et Successoribus Nostris aliter in Domino expedire visum fuerit, adtribuimus.

II. Quo vero memorati religiosi viri alere se possint, iisdem assignamus tria millia et biscentum viginti quinque libellarum in singulos annos solvendarum pro rata quolibet mense ineunte a Nostra Praefectura Sacri Palatii, cui tum aedium, in quibus Scholae constitutae sunt, tum duarum domorum iisdem adiacentium mancipium cedimus, et earumdem perpetuam possessionem concedimus.

III. Volumus tandem, ut Praefecturae Sacri Palatii sit maioribus, Instituti Fratrum Scholarum Christianarum vero minoribus reparationibus consulere. Nos haec statuimus, decernimus atque mandamus, non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et Cancella-

riae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non privilegiis, consuetudinibus, aut aliis speciali licet, ac individuali mentione, et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Octobris MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri Anno XXIV.

N. Card. Paracciani Clarelli.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ECCLESIASTICIS CENSVRIS.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effraenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mu-

tatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3.

Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4.

Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu

mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6.

Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7,

Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

9.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10.

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11.

Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus.

1.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Iulii 1745. *Ubi primum* 2. Iulii 1746. *Ad eradicandum* 28. Septembris 1746.

2.

Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monacos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4.

Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5.

Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.

6.

Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8.

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

10.

Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11.

Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2, Ianuarii 1554.

12.

Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567., Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591., Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26. Iunii 1592. et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novem-

bris 1660. alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14.

Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17.

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

1.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2.

Procurantes abortum, effectu sequuto.

3.

Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

1.

Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusve

Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis.

4.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi* 20. Augusti 1622. et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1. Iunii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae Sententiae Summo Pontifici reservatae.

1.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

4.

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

6.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7.

Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postquam in praedi-

cto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata

1.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum pro iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis, aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Caeterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, mi-

nime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus comprehensis, vel non in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacum-

que praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris Pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

MARIVS CARD. MATTEI — N. CARD. PARACCIANI CLARELLI
Pro-Datarius

Visa de Curia
DOMINICVS BRVTI

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnoni

DECRETUM CONSISTORIALE

SVPPRESSIONIS, TRANSLATIONIS, ERECTIONIS, ET REDINTEGRATIONIS EPISCOPALIS SEDIS E CIVICO OPPIDO DE CORO AD CIVICVM OPPIDVM BARQVISIMETI IN REPVBLICA DE BENEZVELA.

Novam Episcopalem Cathedram in civico oppido Barquisimeti Reipublicae de Benezuela iam ab anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio erigere volens Sanctissimus Dominus Noster Pius huius nominis Nonus divina providentia Summus Pontifex Litteras Apostolicas sub plumbo, quae incipiunt « Ad universam Agri Dominici curam » evulgari iussit; quae mense Decembri anni millesimi octingentesimi sexagesimi quinti debita exequutione R. P. D. Silvestro Guevara Archiepiscopo Caracensi fuerunt demandatae, atque exequutorialia acta Sacrae huic Congregationi de more transmissa. Postmodum vero efflagitante iterum ipso Reipublicae Praeside, peculiaribus quoque concurrentibus causis, atque Barquisimeti Sede vacante, accidit, ut, auctorante Ipso Summo Pontifice, per aliud huiusmet S. Congregationis Consistorialibus negotiis praepositae Decretum, clausula *perinde valere* roboratum, suppressa eadem Cathedra in civico oppido Barquisimeti, ad alteram de Coro Episcopalis Sedes fuerit

canonica crectione translata. Cuius quidem Decreti diei decimaequartae mensis Augusti anni millesimi octingentesimi sexagesimi septimi exequutionem uti Apostolicus Delegatus idem R. P. D. Archiepiscopus Caracensis sub die secunda Octobris relati anni dare de more sategit; atque sacrae huic Congregationi executorialia acta incunctanter remisit.

Verum negotio eodem nuperrime ad trutinam iterum redacto, et perpensis animadversionibus ipsius R. P. D. Victoris Iosephi Diez noviter ad Episcopalem Sedem de Coro evecti, nec non Reipublicae de Benezuela Praesidis favorabilibus precibus, utilius et opportunius visum est relatam Episcopalem Sedem, suppressam prius in Civico oppido de Coro, transferre iterum ad civicum oppidum Barquisimeti; ibique eamdem noviter erigere, atque redintegrare iuxta Apostolicas Litteras sub plumbo « Ad universam Dominici Agri curam » magis expedire.

Quae omnia Sanctissimus Dominus Noster maturo iterum consilio perpendens, de Suae Apostolicae potestatis plenitudine suppressionem propositam, ac dein translationem, ac redintegrationem Episcopalis Sedis iuxta relatas Litteras Apostolicas sub plumbo benignissime adprobare dignatus est; ideoque haec quae sequuntur in Decretis fore perpetuo iussit.

1. Habitis iam voto, et consensu R. P. D. Victoris Iosephi Diez hodierni Episcopi de Coro, consensum aliorum quorumcumque interesse habentium, vel habere utcumque praesumentium ad negotium de quo agitur Sanctitas Sua suppleri voluit.

2. Episcopalis Sedes de Coro cum caeteris accessoriis omnino supprimatur; atque Consistoriale

Decretum, quo eiusdem erectioni iamdiu fuit consultum, nullius roboris et effectus amplius in posterum consideretur.

3. Dein ad civicum oppidum Barquisimeti iterum eiusmodi Episcopalis Sedis cum eius accessoriis fiat translatio, atque eadem de novo etiam in eo erigatur, et redintegretur.

4. Atque ita Apostolicae Litterae sub plumbo « Ad Dominici Agri curam » in plenam observantiam revocentur, perinde ac si numquam a civico oppido Barquisimeti Episcopalis Sedes fuerit translata.

5. Propterea Sanctitas Sua Decretum hoc Consistoriale suppressionis, translationis, erectionis, et redintegrationis ita semper haberi a quibuscumque voluit, perinde ac si in id novae Apostolicae Litterae sive sub plumbo, sive in forma Brevis de more fuissent expeditae; contrariis quibuscumque minime obstantibus, vel speciali quoque ad hoc eisdem illata derogatione.

6. Atque R. P. D. Silvestro Guevara Archiepiscopo Corocensi tamquam Apostolico Delegato huiusmodi Decreti exequutionem commisit cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, nec non alteram etiam personam subdelegandi, quae tamen in aliqua Ecclesiae dignitate sit constituta.

7. Insuper Eidem Apostolico Delegato Exequutori, atque etiam Ecclesiastico viro subdelegando mandavit, uti intra sex menses Acta huius Decreti executorialia sacrae huic Congregationi mittere studeant.

8. Quamobrem hoc iussit Summus Pontifex

edi Consistoriale Decretum ad perpetuam rei memoriam, et observantiam in Archivio sacrae huiusmet Congregationis adservandum.

Datum Romae die vicesima secunda mensis Octobris anni reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo sexagesimo nono.

Rogerius Antici-Mattei Patriarcha Constantinopolitanus S. Congregationis Consistorialis Secretarius.

L. ✠ S.

VENERABILI FRATRI HENRICO EDVARDO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum in litteris ad Te, Ven. Frater, datis die 4 praeteriti Septembris dixerimus, revocanda non esse in dubium quae ab Oecumenico Concilio iam expensa fuerunt et iudicata, nullique propterea damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in novo Concilio, Nosque idcirco nequivisse acatholicos invitare ad disceptandum; discimus, aliquot e dissentientibus sic ea verba intellexisse, ut omnem sibi praeclusam existimarent viam ad exponendas difficultates, quibus detinentur, ne ad catholicas partes accedant, interceptumque sibi ferme censerent ad Nos aditum. Adeo vero Nos, qui, licet immerentes, illius vices gerimus in terris, qui venit salvum facere quod perierat, absumus ab iis quoquo modo repellendis; ut immo sponte occurramus ipsis, nihilque votis incensioribus expetamus, quam ut revertenti cuilibet paterno affectu brachia protendere possimus. Nec unquam certe silentium illis indicere voluimus, qui prava institutione decepti, putantesque se recte sen-

tire, dissensum suum a Nobis validis inniti argumentis arbitrentur, quae propterea a sapientibus prudentibusque serio expendi desiderent. Licet enim id fieri nequeat in Concilio, viri tamen divinarum rerum periti a Nobis designandi ipsis non deerunt, quibus mentem suam aperire possint, omniaque rationum momenta sententiae suae fidenter exponere, ut ex ipso disceptationis solo veritatis assequendae studio institutae conflictu uberiori luce perfundi valeant, qua ad illam perducantur. Utinam id plurimi sibi proponant bonaque fide exequantur; cum id contingere nequeat sine magno ipsorum ceterorumque proventu. Ipsorum quidem, quia Deus requirentibus se toto corde faciem suam ostendet, iisdemque praestabit quod cupiunt. Aliorum vero, tum quia praestantium virorum exemplum efficacia sua carere non poterit; tum etiam quia isti quo maiore diligentia et labore veritatis beneficium sibi compararunt, eo impensiore studio beneficium idem ad ceteros porrigere nitentur. Dum autem faustissimum hunc successum a divina Clementia poscimus enixe, excipe, Ven. Frater, Apostolicam Benedictionem, quam superni favoris auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Tibi totique Dioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Octobris 1869.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquarto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE SEDIS DVNEDINENSIS IN NOVA ZELANDIA.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Summi Apostolatus munus, quo fungimur, postulat, ut praestare maturemus quidquid in rem catholicam maxime esse videamus. Cum itaque relatum sit Nobis bono fidelium, et catholici nominis incremento potius consultum iri, si ea Wellingtoniensis Dioecesis pars, quae in nova Zelandia Provincias « *Otago* » et « *Southland* » nec non Insulam « *Stewart* » cum aliis adiacentibus Insulis complectitur, in separatam Episcopalem Ecclesiam erigeretur, Nos statim hoc de negotio egimus cum VV. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei praepositae, et sedulo re perpensa, de eorum consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, ea decrevimus, quae infra scripta sunt. Provincias « *Otago* » et « *Southland* », Insulam « *Stewart* » aliasque adiacentes In-

sulas a Dioecesi Wellingtoniensi, in Nova Zelandia, distrahimus, easque in separatam Ecclesiam Episcopalem, vi praesentium erigimus, et constituimus; praecipimusque ut nova ista Ecclesia Dunedinensis nominetur, et eius Sedes in Civitate ipsa « *Dunedin* » collocetur. Haec statuimus, mandamus, edicimus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos nunc spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Wellingtoniensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI Novembris MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quarto.

N. Card. Paracciani Clarelli.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ORDINE GENERALI SERVANDO IN OECUMENICO CONCILIO VATICANO.

PIVS PAPA IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Multiplices inter, quibus divexamur, angustias, ad Divinae Clementiae, Quae *consolatur Nos in omni tribulatione nostra* (1) gratias persolvendas maxime excitamur, qua propitiante, illud celeriter Nobis continget, ut sacrosanctum generale et oecumenicum Concilium Vaticanum iam a Nobis, Ea adspirante indictum, feliciter auspicemur. Gaudium autem in Domino iure percipimus, quod salutares Concilii eiusdem conventus solemni die Immaculatae Dei Matris Mariae semper Virginis Conceptioni sacro, atque adeo sub potentibus maternisque auspiciis Eius aggressuri sumus, eosque in Vaticana Nostra Basilica inituri ante Beatissimi Petri cineres, qui *in accepta forti-*

(1) II. Corinth. I. 4.

tudine Petrae perseverans susceptα Ecclesiae gubernacula non reliquit, et in quo omnium Pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat (1). Iamvero memores hoc oecumenicum Concilium a Nobis convocatum fuisse, ut extirpandis erroribus, quos praesertim huius saeculi conflavit impietas, removendis malis, quibus Ecclesia affligitur, emendandis moribus et utriusque Cleri disciplinae instaurandae, coniuncta Nobiscum sacrorum Ecclesiae Antistitum adhibeatur opera, ac probe noscentes, quo studio intentaque sollicitudine curare debeamus, ut ea omnia quae ad rectam rationem tam salutaris negotii gerendi tractandi ac perficiendi pertinent, ex sancta maiorum disciplina institutisque statuantur, idcirco Apostolica Nostra auctoritate ea quae sequuntur decernimus, atque ab omnibus in hoc Vaticano Concilio servanda esse praecipimus.

I.

De modo vivendi in Concilio.

Reputantes animo quod *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (2), quodque nihil Caelestis Patris benignitati pronius est, quam ut det *spiritum bonum petentibus se* (3), iam Nos, dum Apostolicis Nostris Litteris (4) die undecimo Aprilis hoc anno datis

(1) S. Leo P. Serm. 2. in Anniver. Assumptionis suae.
(2) Iacob. I. 17.
(3) Luc. XI. 13.
(4) Litt. Apost. 11 Aprilis 1869.

Ecclesiae thesauros Sacrosancti huius Concilii occasione, Christifidelibus reseravimus, non solum eosdem Christifideles vehementer hortati sumus, ut emundantes *conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (1), orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, aliisque pietatis actibus insistere velint: sed etiam Divini Spiritus lumen et opem in Sacrosancto Missae sacrificio celebrando, quotidie in universo orbe catholico implorari mandavimus, ad prosperum a Domino huic Concilio exitum, et salutares ex eo Ecclesiae Sanctae fructus impetrandos.

Quas quidem adhortationes et praescriptiones modo renovantes et confirmantes, id praeterea iubemus, ut in huius Almae Urbis Nostrae Ecclesiis, Sacrosancta Synodo perdurante, singulis diebus Dominicis hora, quae pro fideli populo magis congrua videatur, Litaniae aliaeque orationes ad hunc finem constitutae recitentur.

At longe his maius aliquid et excellentius ab Episcopis, aliisque qui in Sacerdotali Ordine censentur hoc Concilium concelebrantibus, praestandum est, quos, uti ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei oportet in omnibus seipsos praebere *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (2). Quare veterum Conciliorum ac Tridentini nominatim vestigiis inhaerentes hortamur illos omnes in Domino, ut orationi, sacrae

(1) Ep. ad Hebrae. IX, 14.
(2) Ep. ad Tit. II, 7.

lectioni, caelestium rerum meditationibus pro sua cuiusque pietate studiose intendant; ut puro eodemque sancto Missae sacrificio, quam fieri possit, frequenter operentur; animum mentemque ab humanarum rerum curis immunem servent; modestiam in moribus, in victu temperantiam, et in omni actione religionem retineant. Absint animorum dissidia, absit prava aemulatio et contentio, sed omnibus imperet, quae inter ceteras virtutes eminet, charitas, ut illa dominante et incolumi, de hoc sacro Episcoporum Ecclesiae conventu dici possit: « *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum* » (1). Evigilent demum Patres in domesticorum suorum cura, et Christianae ab eis sanctaeque vitae disciplina exigenda, memores quam gravibus verbis Paulus Apostolus praecipiat Episcopis, ut sint suae domui bene praepositi (2).

II.

De iure et modo proponendi.

Licet ius et munus proponendi negotia, quae in Sancta Oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existi-

(1) Ps. CXXXII, 1.
(2) I. Timoth. III, 4.

ment, id libere exequi veliat. Cum vero probe perspiciamus hanc ipsam rem, nisi congruo tempore et modo perficiatur, non parum necessario Conciliarium actionum ordini efficere posse, idcirco statuimus eiusmodi propositiones ita fieri debere, ut earum quaelibet 1. scripto mandetur, ac peculiari Congregationi nonnullorum, tum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium, tum Synodi Patrum a Nobis deputandae privatim exhibeatur: 2. publicum rei christianae bonum vere respiciat, non singularem dumtaxat unius vel alterius Dioecesis utilitatem: 3. rationes contineat, ob quas utilis et opportuna censetur: 4. nihil praeseferat, quod a constanti Ecclesiae sensu, eiusque inviolabilibus traditionibus alienum sit.

Peculiaris praedicta Congregatio propositiones sibi exhibitas diligenter expendet, suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium Nostro iudicio submittet, ut Nos deinde matura consideratione de iis statuamus, utrum ad Synodalem deliberationem deferri debeant.

III.

De secreto servando in Concilio.

Prudentiae hic ratio Nos admonet, ut secreti fidem, quae in superioribus Conciliis non semel, adiunctorum gravitate exigente, indicenda fuit, in universa huius Concilii actione servandam iubeamus. Si enim unquam alias, hoc maxime tempore haec cautio necessaria visa est, quo in omnem occasionem excubant invidiae conflandae contra Catholicam Ecclesiam

eiusque doctrinam, pluribus nocendi opibus pollens impietas. Quapropter praecipimus omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum Peritis, caeterisque, qui operam suam Patribus vel officialibus praedictis quovis modo in rebus huius Concilii praebent, ut decreta et alia quaecumque, quae iis examinanda proponentur, nec non discussiones et singulorum sententias non evulgent, nec alicui extra gremium Concilii pandant. Praecipimus pariter ut Officiales Concilii, qui episcopali dignitate praediti non sunt, aliique omnes, qui ratione cuiusvis demandati a Nobis ministerii Conciliaribus disceptationibus inservire debent, iuramentum emittere teneantur de munere fideliter obeundo, et de secreti fide servanda circa ea omnia quae supra praescripta sunt, nec non super iis rebus, quae specialiter ipsis committentur.

IV.

De ordine sedendi, et de non inferendo alicui praeiudicio.

Cum ad tranquillitatem concordiamque animorum tuendam non parum momenti habeat, si in quibuslibet Conciliaribus actibus, unusquisque suae dignitatis ordinem fideliter ac modeste custodiat: hinc ad offensionum occasiones, quoad eius fieri possit, praecidendas, infrasciptum ordinem inter diversas dignitates servari praescribimus.

Primum locum obtinebunt VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Secundum

Patriarchae. Tertium, ex speciali Nostra indulgentia, Primates, iuxta ordinem suae promotionis ad Primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac Nostra concessione nullum ius vel ipsis Primatibus datum, vel aliis imminutum censeri debeat. Quartum locum tenebunt Archiepiscopi, iuxta suae ad Archiepiscopatum promotionis ordinem. Quintum Episcopi, pariter iuxta ordinem promotionis suae. Sextum Abbates Nullius Dioecesis. Septimum Abbates Generales, aliique Generales Moderatores Ordinum Religiosorum, in quibus solemnia vota nuncupantur, etiamsi Vicarii Generalis titulo appellentur, dum tamen re ipsa cum omnibus supremi moderatoris iuribus et privilegiis, universo suo Ordini legitime praesint.

Ceterum ex superiorum Conciliorum disciplina institutoque decernimus, quod, si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere, et sententias etiam sub verbo *placet* proferre, congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur (1).

V.

De Iudicibus excusationum et querelarum.

Quo graviorum rerum pertractatio, quae in hac Sacrosancta Synodo agi gerive debent, minus quam fieri possit, impediatur, aut retardetur ob cognitio-

(1) Conc. Trid. Sess. II. Decret. de mod. viv. § *Insuper*.

nem causarum, quae singulos respiciunt, statuimus ut ipsa Synodus per schedulas secretas quinque ex Concilii Patribus eligat in *Iudices excusationum*, quorum erit procurationes et excusationes Praelatorum absentium, necnon eorum postulata, qui, Concilio nondum dimisso, iustam discedendi causam se habere putaverint, excipere, atque ad normam conciliaris disciplinae et SS. Canonum expendere: quod cum fecerint, non quidquam de hisce rebus decernent, sed de omnibus ad Congregationem generalem ordine referent. Praeterea statuimus, ut eadem Synodus pariter per schedulas secretas, alios quinque ex Patribus eligat *in Iudices querelarum et controversiarum.*

Hi porro controversias omnes circa ordinem sedendi, vel ius praecedendi, aliasque, si quae forte inter congregatos oriantur, iudicio summario atque *oeconomice*, ut aiunt, ita componere studebunt, ut nulli praeiudicium inferatur: et quatenus componere nequeant, eas Congregationis generalis auctoritati subiicient.

VI.

De Officialibus Concilii.

Quod vero et illud magni refert, ut necessarii ac idonei ministri et officiales, iuxta conciliarem consuetudinem et disciplinam omnibus in hac Synodo actibus rite et legitime perficiendis designentur, Nos huiusmodi ministeriorum rationem habentes, infrascriptos viros ad ea deligimus et nominamus, scilicet:

1. Generales Concilii Custodes, Dilectos Filios Ioannem Columna et Dominicum Orsini Romanos Principes Pontificio Nostro solio adsistentes.

2. Concilii Secretarium, Venerabilem Fratrem Iosephum Episcopum S. Hippolyti, eique adiicimus, cum officio et titulo Subsecretarii, dilectum filium Ludovicum Iacobini e Nostris et huius Apostolicae Sedis Protonotariis, nec non adiutores, dilectos filios Canonicos Camillum Santori et Angelum Iacobini.

3. Concilii Notarios, dilectos filios Lucam Pacifici, Aloisium Colombo, Ioannem Simeoni, Aloisium Pericoli, et Dominicum Bartolini Nostros et huius Apostolicae Sedis Protonotarios, eisque adiungimus dilectos filios Salvatorem Pallottini et Franciscum Santi Advocatos; qui Notariis eisdem adiutricem operam navent.

4. Scrutatores Suffragiorum, dilectos filios Aloisium Serafini et Franciscum Nardi causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores; Aloisium Pellegrini et Leonardum Dialti Nostrae Camerae Apostolicae Clericos; Carolum Cristofori et Alexandrum Montani Signaturae Iustitiae Votantes; Fridericum de Falloux du Coudray Nostrae Cancellariae Apostolicae Regentem, et Laurentium Nina Abbreviatorem ex maiori Parco. Hi autem octo scrutatores in quatuor distincta paria distributi, ita ad excipienda suffragia procedent, ut bina paria unum Conciliaris Aulae latus, totidemque alterum obeant, ac praeterea singula paria singulos ex Notariis secum habere debebunt, dum in munere fungendo versantur.

5. Promotores Concilii; dilectos filios Ioannem

Baptistam de Dominicis-Tosti, et Philippum Ralli S. Consistorii Advocatos.

6. Magistros Caeremoniarum Concilii, dilectos filios Aloisium Ferrari Antistitem Nostrum domesticum Praefectum, et Pium Martinucci, Camillum Balestra, Remigium Ricci, Iosephum Romagnoli, Petrum Iosephum Rinaldi-Bucci, Antonium Cataldi, Alexandrum Tortoli, Augustinum Accoramboni, Aloisium Sinistri, Franciscum Riggi, Antonium Gattoni, Balthasarem Baccinetti, Caesarem Togni, Rochum Massi, Nostros et huius Apostolicae Sedis Caeremoniarios.

7. Assignatores Locorum, dilectos filios Henricum Folchi Praefectum, ac Aloisium Naselli, Edmundum Stonor, Paulum Bastide, Aloisium Pallotti intimos Nostros Cubicularios, et dilectos filios Scipionem Perilli, Gustavum Gallot, Franciscum Regnani, Nicolaum Vorsak, et Philippum Silvestri Cubicularios Nostros honorarios.

VII.

De Congregationibus Generalibus Patrum.

Ad ea modo curam convertentes, quae Congregationum Generalium ordinem respiciunt, statuimus ac decernimus, ut iisdem Patrum Congregationibus, quae publicis sessionibus praemittuntur, quinque ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostro nomine et auctoritate praesint, et ad hoc munus eligimus et nominamus, Venerabilem Fratrem Nostrum Carolum S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinorum

De Reisach nuncupatum, dilectos filios Nostros S. R. E. Presbyteros Cardinales, Antonium titulo SS. Quatuor Coronatorum De Luca nuncupatum, Iosephum Andream titulo S. Hieronymi Illyricorum Bizzarri nuncupatum, Aloisium titulo S. Laurentii in Panisperna Bilio nuncupatum, et dilectum filium Nostrum Hannibalem S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Mariae in Aquiro Capalti nuncupatum.

Hi autem Praesides, praeter alia, quae ad aptam horum Conventuum moderationem spectant, curabunt ut in rebus pertractandis initium fiat a disceptatione eorum, quae ad fidem pertinent; deinde integrum ipsis erit consultationes in fidei vel disciplinae capita conferre, prout opportunum iudicaverint.

Cum vero Nos, iam inde a tempore, quo Apostolicas Litteras ad hoc Concilium indicendum dedimus, Viros Theologos et ecclesiastici iuris consultos, ex variis catholici orbis regionibus in hanc almam Urbem Nostram evocandos curaverimus, ut una cum aliis huius Urbis, et earumdem disciplinarum peritis viris, rebus apparandis darent operam, quae ad huius Generalis Synodi scopum pertinent, atque ita expeditior via in rerum tractatione Patribus patere posset; hinc volumus et mandamus, ut *schemata* decretorum et canonum ab iisdem viris expressa et redacta, quae Nos, nulla Nostra approbatione munita, integra integre Patrum cognitioni reservavimus, iisdem Patribus in Congregationem Generalem collectis ad examen et iudicium subiiciantur. Itaque, curantibus memoratis Praesidibus, aliquot ante dies quam Congregatio Generalis habeatur, decretorum et canonum schemata, de quibus in Congregatione indicta

agendum erit, typis impressa singulis Patribus distribuantur, quo interim illa diligenti consideratione in omnem partem expendant, et quid sibi sententiae esse debeat, accurate provideant. Si quis Patrum de schemate proposito sermonem in Congregatione ipsa habere voluerit, ad debitum inter oratores ordinem pro cuiusque dignitatis gradu servandum, opus erit, ut saltem pridie diei Congregationis ipsius, Praesidibus suum disserendi propositum significandum curet. Auditis autem istorum Patrum sermonibus, si alii etiam post eos in conventu ipso disserere voluerint, hos iisdem fas erit, obtenta prius a Praesidibus dicendi venia, et eo ordine, quem dicentium dignitas postulaverit.

Iamvero, si in ea quae habetur Congregatione, exhibitum schema vel nullas, vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expediendas obtulerit, tunc nihil morae erit, quominus disceptationibus compositis, decreti vel canonis Conciliaris, de quo agitur, formula, rogatis Patrum suffragiis statuatur. Sin autem circa schema praedictum huiusmodi oriantur difficultates, ut, sententiis in contraria conversis, via non suppetat, qua in ipso conventu componi possint, tum ea ratio ineunda erit, quam heic infra statuimus, ut stabili et opportuno modo huic rei provideatur. Volumus itaque, ut ab ipso Concilii exordio quatuor speciales ac distinctae Patrum Congregationes seu *Deputationes* instituantur, quarum prima de rebus ad fidem pertinentibus, altera de rebus disciplinae ecclesiasticae, tertia de rebus Ordinum Regularium, quarta demum de rebus ritus Orientalis, Concilio perdurante, cognoscere et tractare de-

bebit. Quaevis ex praedictis Congregationibus seu Deputationibus numero Patrum quatuor et viginti constabit, qui a Concilii Patribus per schedulas secretas eligentur. Unicuique ex iisdem Congregationibus seu Deputationibus praeerit unus ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus a Nobis designandus, qui ex Conciliaribus Theologis vel Iuris Canonici peritis, unum aut plures in commodum suae Congregationis seu Deputationis adsciscet, atque ex iis unum constituet, qui Secretarii munere eidem Congregationi seu Deputationi operam navet. Igitur si illud contigerit, quod supra innuimus, ut nimirum in Generali Congregatione quaestio de proposito schemate exorta dirimi non potuerit, tunc Cardinales eiusdem Generalis Congregationis Praesides, curabunt ut schema, de quo agitur, una cum obiectis difficultatibus examini subiiciatur illius ex specialibus Deputationibus, ad quam, iuxta assignata cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in hac peculiari Deputatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribus diribenda erit iuxta methodum a Nobis superius praescriptam, ut deinde in proxima Congregatione Generali, si nihil amplius obstiterit, regatis Patrum suffragiis, decreti vel canonis Conciliaris formula condatur. Suffragia autem a Patribus oretenus edentur, ita tamen, ut ipsis integrum sit etiam de scripto illa pronuntiare.

VIII.

De Sessionibus Publicis.

Publicarum nunc Sessionum celebratio exigit, ut rebus et actionibus in ea rite dirigendis, congrua ratione consulamus. Itaque, in unaquaque publica Sessione, considentibus suo loco et ordine Patribus, servatisque adamussim caeremoniis, quae in rituali instructione iisdem Patribus de mandato Nostro tradenda, continentur, de suggestu Decretorum et Canonum formulae in superioribus Congregationibus generalibus conditae, voce sublata et clara iussu Nostro recitabuntur, eo ordine, ut primum canones de dogmatibus Fidei, deinde decreta de disciplina pronuncientur, et ea adhibita solemni tituli praefatione, qua Praedecessores Nostri in eiusmodi Conciliari actione uti consueverunt, nempe: *Pius Episcopus Servus Servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam*. Tunc vero rogabuntur Patres, an placeant canones et decreta perlecta; ac statim procedent scrutatores suffragiorum, iuxta methodum superius constitutam, ad suffragia singillatim et ordine excipienda, eaque accurate describent. Hac autem in re declaramus suffragia pronunciari debere in haec verba, *placet*, aut *non placet*: ac simul edicimus, minime fas esse a Sessione absentibus quavis de causa, suffragium suum scripto consignatum ad Concilium mittere. Iamvero suffragiis collectis, Concilii Secretarius una cum supradictis Scrutatoribus penes Pontificalem Nostram Cathedram, iis accurate dirimendis ac numerandis operam dabunt, ac de ipsis

ad Nos referent: Nos deinde supremam Nostram sententiam edicemus, eamque enunciari et promulgari mandabimus, hac adhibita solemni formula « *decreta modo lecta placuerunt omnibus Patribus nemine dissentiente* (vel si qui forte dissenserint), *tot numero exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus statuimus atque sancimus, ut lecta sunt* ». Hisce autem omnibus expletis, erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis, unum vel plura, instrumentum vel instrumenta conficiantur. Denique die proximae Sessionis de mandato Nostro indicta, Sessionis conventus dimittetur.

IX.

De non discedendo a Concilio.

Universis porro Concilii Patribus, aliisque qui eidem interesse debent praecipimus sub poenis per SS. Canones indictis, ut ne quis eorum, antequam Sacrosanctum hoc Generale et Oecumenicum Concilium Vaticanum rite absolutum et a Nobis dimissum sit, discedat, nisi discessionis causa iuxta normam superius definitam cognita et probata fuerit, ac impetrata a Nobis abeundi facultas.

X.

Indultum Apostolicum de non residentia pro iis qui Concilio intersunt.

Cum ii omnes qui Conciliaribus actionibus interesse tenentur, ea in re universali Ecclesiae de-

serviant, Praedecessorum Nostrorum etiam exemplum sequuti (1) Apostolica benignitate indulgemus, ut tum Praesules aliique suffragii ius in hoc Concilio habentes, tum caeteri omnes eidem Concilio operam quovis titulo impendentes, suorum beneficiorum fructus, reditus, proventus ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur; idque concedimus Synodo perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat.

Haec volumus atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque, in proximo sacrosancto generali et Oecumenico Concilio Vaticano, ab omnibus et singulis ad quos spectat, respective et inviolabiliter observari debere. Non obstantibus, quamvis speciali, atque individua mentione, ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Novembris anno MDCCCLXIX. Pontificatus Nostri anno Vigesimo quarto.

N. Card. Paracciani-Clarelli.

(1) Paulus III Brev. 1 Ianuarii 1546. Pius IV Brev. 25 Nov. 1564.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONGREGATIONE GENERALI
ANTE PRIMAM SESSIONEM CONCILII VATICANI
DIE II. DECEMBRIS MDCCCLXIX.
AD EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS
QVI AD CONCILIVM ROMAM CONVENERVNT.

VENERABILES FRATRES

Sacri Oecumenici Vaticani Concilii conventus post paucos hinc dies auspicaturi, nihil opportunius Nobisque iucundius existimavimus, VV. FF., quam ut Vos universos hodierno die iuxta Nostra hic desideria congregatos alloqui, ac praecipuam caritatem, quam intimo corde alimus, Vobis aperire possemus. Cum enim de re maxima agatur, qualis est illa in qua de remediis comparandis agitur tot malis, quae Christianam et civilem societatem hoc tempore perturbant, putavimus Apostolica Nostra sollicitudine dignum esse, et tantae rei magnitudini consentaneum, ut antequam Conciliarium rerum actio initium habeat, in omnis gratiae auspicium Vobis caelestis benedictionis opem a Deo clementissimo precaremur; ac necessarium censuimus, Vobis eas tradere normas, Apostolicis Nostris Litteris consignatas atque editas, quas ad omnia in Conciliaribus actionibus rite et or-

dine agenda, constituendas esse iudicavimus. Hoc autem illud est, VV. FF. quod Deo et Immaculata Deipara votis Nostris annuente hodierno die in amplissimo hoc Vestro conventu peragimus; nec satis verbis explicare possumus ingentem eam consolationem, quam Vestra haec exoptata, et debita Apostolicae vocis obsequio frequentia Nobis ingerit, cum Vos tandem ex omnibus catholici orbis partibus in hanc almam Urbem, indicti a Nobis Concilii causa, convenisse, et summa animorum consensione Nobiscum coniunctos aspiciamus, quos eximia erga Nos et Apostolicam Sedem devotio, mirificus ad navandam Christi Regno operam ardor, et in pluribus etiam, tribulationum pro Christo perpessio iure efficit cordi Nostro carissimos. Haec autem VV. FF. haec Vestra Nobiscum coniunctio eo gratior Nobis accidit, quod in ea haerentes Apostolorum vestigiis insistimus, qui suae unanimae et constantis cum divino Magistro coniunctionis luculenta Nobis exempla reliquerunt. Nostis enim ex sacris litteris, cum Christus Dominus Palaestinae regiones peragrans iter faceret per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, Eius lateri Apostolos pari omnes studio adhaesisse, et duodecim cum Illo, uti Sanctus Lucas (1) loquitur, fideliter quacumque iter haberet, esse versatos. Atque haec Apostolorum coniunctio splendidius etiam enituit eo tempore, cum caelestis Magister docens in Capharnaum de divinae Eucharistiae mysterio coram Hebraeis fusiori sermone pertractavit: tunc enim cum gens illa carnalis et obtusioris

(1) Luc. 8, 1.

sensus sibi de tantae caritatis opere persuadere non posset, atque ita Magistri pertaesam se ostendisset, ut multi discipulorum, Ioanne testante, abirent retro et (1) non cum Illo ambularent, Apostolorum tamen amor in Magistri veneratione et obsequio immotus perstitit, et Iesu Apostolos percunctante num et ipsi vellent abire, graviter id ferens Petrus in eas voces erupit: « Domine ad quem ibimus? ac rationem adiecit quare Dominum constanti fide sequi velle statueret « verba vitae aeternae habes. » Haec Nos animo recolentes, quid dulcius aut iucundius hac nostra coniunctione reputare, quid porro etiam firmius ac stabilius tueri debeamus? Non deerunt certe Nobis, una licet in Christi nomine coniunctis, non deerunt contradictiones ac dimicationes subeundae, nec inimicus homo segnis erit, nil magis cupiens quam superseminare zizania. At Nos memores Apostolicae firmitudinis et constantiae, quae Domini praeconio laudari meruit, « vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis » (2), memores Redemptoris Nostri diserte denunciantis « qui mecum non est contra me est » officii pariter Nostri memores esse debebimus omnique studio curare, ut inconcussa fide ac firmitate Christum sequamur, Illique omni tempore concordibus animis adhaereamus. In ea enim, VV. FF., conditione constituti sumus, ut in acie adversus multiplices eosdem acerrimos hostes, diuturna iam contentione versemur. Utamur oportet spiritualibus militiae Nostrae armis, totamque certa-

(1) Ioan. 6, 67.
(2) Luc. 22. 28.

minis vim, tum divina innixi auctoritate, tum caritatis, patientiae, precationis et constantiae clypeo sustineamus. Nihil autem metus est, ne vires Nobis in hac dimicatione deficiant, si in Auctorem et Consummatorem Fidei nostrae oculos animosque coniicere voluerimus. Si enim Apostoli oculis et cogitatione in Christo Iesu defixi satis ex hoc animi viriumque sumserunt, ut adversa quaeque strenue perferrent, Nos pariter ipsum adspicientes in salutari pignore Redemptionis nostrae, ex hoc aspectu, unde divina manat virtus, nos eam vim roburque inveniemus, quo calumnias, iniurias inimicorum artes superemus, ac salutem nobis, totque etiam miseris a via veritatis errantibus ex Christi Cruce haurire laetabimur. Neque vero Redemptorem Nostrum respicere contenti, eam quoque mentis docilitatem induamus necesse est, ut Eidem libenter toto cordis affectu audientes simus. Hoc est enim quod ipse Pater caelestis Maiestatis suae auctoritate praecepit, cum revelante Christo Domino gloriam suam in monte praecelso coram electis testibus « hic est, inquit, Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui Ipsum audite » Iesum igitur prono mentis obsequio audiamus utique in omni re, at in ea praecipue quam Ipse ita cordi habuit, ut praenoscens difficultates quibus ipsa obnoxia futura esset in mundo, de illa ipsa Patrem suum obsecrare in novissima Caena effusis iteratisque votis non omiserit; Pater Sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et Nos (1). Una itaque anima cum uno corde in

(1) Ioan. 17. 11.

Christo Iesu sit cunctis. Non aliud sane Nobis maiori consolationi futurum est, quam si obsequentem Christi monitis aurem cordis iugiter praebuerimus, quo pacto et nos esse cum Christo agnoscemus, et perperspicuum aeternae salutis pignus inesse reperiemus in Nobis: qui enim ex Deo est verba Dei audit (1).

Has Pontificiae Nostrae cohortationis voces ex intimo corde depromptas Omnipotens et misericors Deus Deipara Immaculata deprecante potenti sua ope confirmet, efficiatqne propitius, ut uberius fructibus augeantur. Convertat deinde faciem suam ad Vos, VV. FF., ac tum corpora tum animos vestros benedictionis suae gratia prosequatur: corpora nempe, ut labores omnes qui a vestro sacro ministerio abesse non possunt strenue alacriterque ferre valeatis, animos vero, ut caelestibus auxiliis abunde repleti, sacerdotalis vitae exemplis et virtutum omnium splendore in Christiani gregis salutem praeluceatis. Huius autem benedictionis gratia Vobis continenter adsit, atque omnibus vitae vestrae diebus clementer adspiret, ut dies pleni inveniantur in Vobis, pleni sanctitatis et iustitiae, pleni sanctorum operum fructibus, in quibus verae nobis divitiae et gloria continetur. Atque ita Nobis continget feliciter, ut, expleto mortalis perigrinationis cursu in novissimo illo vitae die dicere cum Propheta Rege non vereamur « laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus » atque aditum Nobis patere plane confidamus in Montem sanctum Sion, caelestem Hierusalem.

(1) Ioan. 8. 47.

CONSTITVTIO

DE ELECTIONE SVMMI PONTIFICIS PERDVRANTE CONCILIO OECVMENICO.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum Romanis Pontificibus in B. Petro Apostolorum Principe pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plena potestas tradita fuerit; pax et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, si, Apostolica Sede vacante, in electione novi Pontificis quidquam fieri contingeret, quod eam incertam ac dubiam reddere posset.

Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus Decessoribus nostris, ac praesertim a fel. record. Alexandro III. in Generali Concilio Lateranensi III. (1), a B. Gregorio X. in Ge-

(1) Cap. *Licet* de Electione.

nerali Concilio Lugdunensi II. (1), a Clemente V. (2), a Gregorio XV. (3), ab Urbano VIII. (4) et a Clemente XII. (5) editae sunt Constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expediatur, generatim et absque ulla exceptione declaratur ac decernitur electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice et exclusive spectare.

Haec Nos animo recolentes, cum Oecumenicum et Generale Concilium Vaticanum per Apostolicas Litteras, quae incipiunt *Aeterni Patris*, III. Kal. Iulias anno 1868 a Nobis indictum, in eo iam sit ut solemniter initietur, Apostolici Nostri muneris esse ducimus, quamcumque occasionem discordiarum et dissensionum circa electionem Summi Pontificis praevenire ac praecidere, si divinae voluntati placuerit Nos, eodem Concilio perdurante, ex hac mortali vita migrare.

Quapropter exemplo permoti fel. record. Iulii II. Decessoris Nostri, de quo, compertum ex historia est (6) tempore Generalis Concilii Lateranensis V. lethali morbo correptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitima Successoris sui electione sollicitum, illis adstantibus, edixisse hanc non a prae-

(1) Cap. *Ubi* de Electione in 6.
(2) Clement.: 2 de Electione.
(3) Constit. *Decet Romanum Pontificem*.
(4) Constit. *Ad Romani Pontificis* V kal. Febr. 1625.
(5) Constit. *Apostolatus* IV Nonas Octobris 1732.
(6) Raynald. Annal. Eccles. ad annum 1513. n. VII.

superius sancitam, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum ipso iure intelligatur, et tamdiu dilatum, donec Novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit.

Praesentes autem Litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, aut qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quopiam, quamtumvis substantiali inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente, defectu, aut ex quocumque alio capite a iure statuto, vel quocumque praetextu, ratione, aut causa quamtumvis tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, redargui, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum revocationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de hisce praesentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi debere atque ex nunc quidquid contra praemissa, Apostolica Sede vacante, quavis auctoritate etiam memorati Concilii Vaticani, vel alterius cuiuscumque futuris temporibus Concilii Oecumenici, licet de unanimi consensu hodiernorum,

seu pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium scienter vel ignoranter fuerit attentatum, irritum et inane ac nullius roboris decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae III. Decessoris Nostri in Concilio Lateranensi edita, quae incipit « Licet de vitanda » et quibuscumque aliis etiam in universalibus Conciliis latis, specialibus vel generalibus Constitutionibus Apostolicis, quamvis in corpore iuris clausis, et sub quibuscumque tenoribus et formis ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam Motu pari ac consistorialiter statutis, quibus omnibus et singulis quatenus pariter opus sit eorumque omnium tenoribus, perinde ac si praesentibus de verbo ad verbum exprimantur, pro insertis et expressis habentes, in ea tantum parte, quae praesentibus adversatur, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac sufficienter, nec non specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, ordinationis, statuti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel illis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono. Pridie Nonas Decembris. Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.

M. Card. Mattei Pro-Datarivs.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Visa de Curia
Dominicus Bruti

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnoni.

ALLOCVTIO

HABITA IN VATICANA BASILICA
SACRO OECVMENICO CONCILIO INCHOANDO
DIE VIII. DECEMBRIS ANNO MDCCCLXIX.
AD EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS IN IDEM CONCILIVM
CONGREGATOS

VENERABILES FRATRES

Quod votis omnibus ac precibus ab Deo petebamus, ut Oecumenicum Concilium a Nobis indictum concelebrare possemus, id insigni ac singulari Dei ipsius beneficio, datum Nobis esse summopere laetamur. Itaque exultat cor Nostrum in Domino et incredibili consolatione perfunditur, quod auspicatissimo hoc die Immaculatae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptioni sacro, Vos qui in partem sollicitudinis Nostrae vocati estis, iterum maiori quam alias frequentia, in hac catholicae Religionis arce praesentes intuemur, aspectuque Vestro perfruimur iucundissimo.

Vos autem nunc, Venerabiles Fratres, in nomine Christi congregati (1) adestis, ut Nobiscum te-

(1) Matth. 18, 20.

stimonium perhibeatis Verbo Dei et testimonium Iesu Christi (1), viamque Dei in veritate omnes homines Nobiscum doceatis (2), et de oppositionibus falsi nominis scientiae (3) Nobiscum Spiritu Sancto duce iudicetis (4).

Si enim unquam alias, hoc maxime tempore, quo vere luxit et defluxit terra infecta ab habitatoribus suis (5), divinae gloriae zelus, et Dominici gregis salus a Nobis postulat, ut circumdémus Sion et complectamur eam, narremus in turribus eius, et ponamus corda Nostra in virtute eius (6).

Videtis enim, Venerabiles Fratres, quanto impetu antiquus humani generis hostis Domum Dei, quam decet sanctitudo, aggressus sit et usque aggrediatur. Eo auctore funesta illa impiorum coniuratio late grassatur, quae coniunctione fortis, opibus potens, munita institutis, et velamen habens malitiae libertatem (7), acerrimum adversus Sanctam Christi Ecclesiam bellum, omni scelere imbutum urgere non desinit. Huius belli genus, vim, arma, progressus, consilia non ignoratis. Versatur Vobis continenter ante oculos sanarum doctrinarum, quibus humanae res in suis quaeque ordinibus innituntur, perturbatio et confusio, luctuosa iuris cuiusque per-

(1) Apoc. 1, 2.
(2) Matth. 22, 16.
(3) I Tim. 6, 20.
(4) Act. Apost. 15, 19.
(5) Isai. 24, 4. 5.
(6) Psalm. 47, 11. 12.
(7) I Petr. 2, 16.

versi, multiplices mentiendi audacter et corrumpendi artes, quibus iustitiae, honestatis et auctoritatis salutaria vincula solvuntur, pessimae quaeque cupiditates inflammantur, Christiana Fides ab animis funditus convellitur, ita ut certum hoc tempore Ecclesiae Dei metuendum esset exitium, si ullis hominum machinationibus et conatibus excindi posset. At nihil Ecclesia potentius, inquiebat Sanctus Ioannes Chrysostomus, Ecclesia est ipso caelo fortior. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam (1).

Quamquam vero Civitas Domini virtutum, Civitas Dei Nostri inexpugnabili fundamento nitatur, tamen agnoscentes ac intimo corde dolentes, tantam malorum congeriem animarumque ruinam, ad quam avertendam vel vitam ponere parati essemus, Nos qui aeterni Pastoris Vicaria in Terris procuratione fungentes, zelo domus Dei prae caeteris incendamur necesse est, eam viam et rationem ineundam Nobis esse duximus, quae ad tot Ecclesiae detrimenta sarcienda utilior et opportunior videretur. Ac illud Isaiae saepe animo revolventes « in consilium coge concilium » et reputantes huiusmodi remedium in gravissimis rei christianae temporibus a Praedecessoribus Nostris salutariter esse usurpatum, post diuturnas preces, post collata cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus consilia, post expetita etiam

(1) Homil. ante exil. n. 1.

plurium Sacrorum Antistitum suffragia, Vos Venerabiles Fratres qui estis sal terrae, Custodes Dominici Gregis et Pastores, apud hanc Petri Cathedram censuimus evocandos; atque hodie divina benignitate favente, quae tantae rei impedimenta sustulit, sanctae Congregationis initia, solemni maiorum ritu celebramus. Tot autem sunt, tamque uberes caritatis sensus, quibus hoc tempore afficimur, Venerabiles Fratres, ut eos in sinu continere non valeamus. Videmur enim in Vestro conspectu universam Catholicae gentis familiam, carissimos Nobis Filios praesentes intueri: cogitamus tot amoris pignora, tot ferventis animi opera, quibus Vestro impulsu, ductu et exemplo suam pietatem et observantiam Nobis et huic Apostolicae Sedi mirifice probarunt, ac porro probant; atque hac cogitatione Nobis temperare non possumus, quin in Vestro amplissimo coetu, Nostram erga eos omnes gratissimam voluntatem, solemni et publica significatione profitentes, Deum enixe adprecemur, ut probatio eorum fidei multo pretiosior auro, inveniantur in laudem et gloriam et honorem, in revelatione Iesu Christi (1). Miseram deinde etiam tot hominum conditionem cogitamus, qui a via veritatis et iustitiae, ideoque verae felicitatis decepti aberrant, eorumque saluti opem afferre desiderio desideramus, memores Divini Redemptoris et Magistri Nostri Iesu, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat. Intendimus praeterea oculos in hoc Principis Apostolorum Tro-

(1) I Petr. 1, 7.

phaeum apud quod consistimus, in hanc almam Urbem, quae Dei munere tradita non fuit in direptionem gentium, in Romanum hunc Populum Nobis dilectissimum, cuius constanti amore fide obsequio circumdamur, atque ad Dei benignitatem extollendam vocamur, qui divini sui praesidii spem in Nobis hoc tempore magis magisque fulcire et confirmare voluerit. At praecipue Vos cogitatione complectimur, Venerabiles Fratres, in quorum sollicitudine zelo et concordia, magnum momentum ad Dei gloriam operandam positum nunc esse intelligimus; agnoscimus flagrans studium, quod ad Vestrum munus implendum attulistis, ac praesertim praeclaram et arctissimam illam Vestrum omnium cum Nobis, et hac Apostolica Sede coniunctionem, qua, ut semper alias in maximis Nostris acerbitatibus, ita potissimum hoc tempore nihil Nobis iucundius, nihil Ecclesiae utilius esse potest; ac vehementer gaudemus in Domino Vos ita esse animo comparatos, ut ad certam solidamque spem uberrimorum fructuum et maxime optabilium, ex Synodali hac vestra coitione concipiendam impellamur, Ut nullum fortasse aliud infestius et callidius bellum in Christi Regnum exarsit, sic nullum fuit tempus, in quo magis Sacerdotum Domini cum Supremo Gregis Eius Pastore unio, a qua in Ecclesiam mira vis manat, postularetur; quae quidem unio, singulari divinae providentiae munere et spectata virtute Vestra ita iugiter reipsa constitit, ut spectaculum facta sit, et futuram magis confidamus in dies, mundo et angelis et hominibus.

Agite igitur, Venerabiles Fratres, confortami-

ni in Domino: ac in nomine ipsius Trinitatis Augustae, sanctificati in veritate (1), induti arma lucis docete Nobiscum viam veritatem et vitam, ad quam tot agitata aerumnis gens humana iam non adspirare non potest, date Nobiscum operam, ut pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, Ecclesiis ordo, clericis disciplina, Deo populus acceptabilis restitui possit (2). Stat Deus in loco sancto suo, Nostris interest consiliis et actibus, suos Ipse ministros et adiutores in tam eximio misericordiae suae opere Nos adlegit, atque huic ministerio ita Nos inservire oportet, ut Illi unice hoc tempore mentes corda vires consecremus.

Sed nostrae infirmitatis conscii, Nostris diffisi viribus, ad Te levamus cum fiducia oculos, precesque convertimus o Divine Spiritus, Tu fons verae lucis et sapientiae divinae Tuae gratiae lumen praefer mentibus Nostris, ut ea quae recta, quae salutaria, quae optima sunt videamus; Corda rege fove dirige, ut huius Concilii actiones rite inchoentur, prospere promoveantur, salubriter perficiantur.

Tu vero Mater pulcrae dilectionis agnitionis et sanctae spei, Ecclesiae Regina et propugnatrix, Tu Nos, consultationes, labores Nostros in Tuam maternam fidem tutelamque recipias, ac Tuis age apud Deum precibus, ut in uno semper spiritu maneamus et corde.

Vos quoque Nostris adeste votis Angeli et Ar-

(1) Ioann. 17, 19.
(2) S. Bern. de Cons. 1. 4. c. 4.

changeli, Tuque Apostolorum Princeps Beatissime Petre, Tuque Coapostole Eius Paulle doctor gentium, et praedicator veritatis in universo mundo, Vosque omnes Sancti caelestes, et praecipue, quorum cineres hic veneramur, potenti Vos deprecatione efficite, ut omnes, ministerium nostrum fideliter implentes, suscipiamus misericordiam Dei in medio Templi Eius, Cui honor et gloria in saecula saeculorum.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DECLARATVR CESSIO IVRIS PATRONATVS
DVCIS SFORZA CESARINI CAPPELLAE SIXTINAE
IN BASILICA LIBERIANA.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae brevi annorum cursu fel. rec. Sixtus V Praedecessor Noster gessit, cum supremo Ecclesiae universae regimini praeesset, tanta sunt, ut quocumque oculos convertamus illustria et nunquam peritura monumenta eximiam pietatem, vastamque illius Pontificis mentem testantia cuique occurrant. Ex iis peculiari mentione digna omnino est Cappella, quam ad Praesepe Iesu Christi in celeberrima Almae huius Urbis Basilica, quae Sanctae Mariae Maioris appellatur, cum adhuc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalatus honore fungeretur, a fundamentis aedificare coepit, eamdemque Pontifex Maximus factus, ad finem suis sumptibus perduxit. Ea quidem spatii magnitudine, et

substructionis magnificentia templi instar omnium admirationem excitavit. Id autem pientissimus Pontifex eo consilio egit, ut Sacrum Dominicum Praesepe, in quo Rex gloriae nasci non abhorruit, et Infans iacuit, in eadem Basilica situm decentiori ornatu auctum, et nobili aedificio circumscriptum debito cultu, ac maiori obsequio quisque fidelium veneraretur. Quo vero in dicta Cappella numquam viri Ecclesiastici deessent, qui Divini Redemptoris laudes concinerent, et gloriosissimae Eius Genitricis honorem, sacrique Praesepii memoriam et obsequium servarent, Collegium quod Praeposito Sacrista, Cappellanis et Beneficiatis constaret, erexit et constituit; ac Cappellae illiusque fabricae et Sacristiae, nec non communi massae Praepositi, Sacristae, Cappellanorum et Beneficiatorum pro eorum manutentione, et substentatione, ac onerum illis incumbentium supportatione fundos, et reditus certos assignavit, eosque aliis gratiis et peculiaribus favoribus ditavit. Insuper praecepit, ut alter ex Cardinalibus Sanctae Romanae Ecclesiae e sua gente eligendus, si existeret, qui Protectoris munere fungens, dictae Cappellae illiusque fabricae et Sacristiae, atque Collegii felici et prospero regimini, gubernio, et conservationi, concessa eidem quavis facultate et iurisdictione opportune consuleret. Tandem iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad Praepositurem, Sacristiam, Cappellanias et alia Beneficia Michaeli Peretti suo secundum carnem ex sorore germana pronepoti, eiusque masculis ex masculis descendentibus in perpetuum reservavit. Haec autem omnia Constitutione, quae incipit « Gloriosae » data V Idus Iunias anni MDLXXXVII

sanxit, confirmavit. Nos qui pro Nostro Apostolico munere decorem domus Dei augere, et amplificare numquam destitimus, nulli curae, nullique impensae parcendum esse duximus, ut veteres Basilicae aliaque huius Urbis templa vel sacra antiquitate, vel pulcritudine magis insignia repararentur, exornarentur. Cuique patet, ne de Lateranensi, Vaticana, et Ostiensi Basilicis loquamur, quanta in Basilica Sanctae Mariae in Transtiberim et in Sanctae Agnetis V. M. et Sancti Laurentii Levitae Martyris extra moenia Basilicis gesserimus. Immo optimo et sapientissimo Deo gloria Nobis est tribuenda, quod animus Noster maxima consolatione affectus fuerit, cum ceteros perspexerimus qui Nostro exemplo et mutua aemulatione excitati pene omnia huius Urbis templa pristino decori novoque splendori restituenda curarunt. Atqui nativo amore in Deiparam Immaculatam rapiebamur, eique certa filialis devotionis, qua semper eam prosequuti fuimus, argumenta praebere optantes Nostras cogitationes praecipuum in modum in Basilicam memoratam Sanctae Mariae Maioris convertimus. Namque paucis abhinc annis novum Catabasium seu Confessionem, ut in pervetustis Basilicis moris est, omni marmorum genere, quae pretiosiora sunt, picturis, aliisque ornamentis extrui nostro aere iussimus. Deinde cum ad Nos perlatum fuisset, Cappellam ad Praesepe Domini a rec. mem. Sixto V. conditam in eo statu versari, ut proximum tanti operis excidium pertimescendum esset, non acquievimus, donec a Nobis provisum fuisset, qua ratione impendenti iacturae occurrere valeremus. Porro etiam saeculo elapso exeunte ad sac. mem.

Pium VI Praedecessorem Nostrum graves querelae de pessima memoratae Cappellae conditione, deque eius cito reparandae necessitate fuerunt delatae. At cum nemo ex iis, quorum intererat, praesens et urgens malum avertere potuisset eidem sapientissimus Pontifex extraordinariis subsidiis consulendum curavit. Magnanimus Fundator quidem, ut ex memorata Constitutione patet, pro Cappella, illiusque Fabricae et Sacristiae manutentione reditus et proventus attribuerat, verum ob tristes temporum rerumque vicissitudines adeo imminuti sunt, ut Praepositus, aliique e Collegio, quemadmodum Nos accepimus, gravissimis impensis sustinendis se omnino impares esse confessi sint. Nec praetermisimus, quominus miserrimus memoratae Cappellae status dilecto filio Francisco Duci Sforza Cesarini per Venerabilem Fratrem Nostrum Aloisium Episcopum Praenestinum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem et Vice Cancellarium Amat nuncupatum et Archipresbyterum Patriarchalis Basilicae Sanctae Mariae Maioris innotesceret. Spes enim erat Nobis virum illum ad magnificentissimum tantae pietatis opus, et splendidissimum suae familiae decus asserendum, cui ius patronatus, et praesentandi ad beneficia superius memorata ab eodem Pontifice fuerat concessum, effecturum, quod haereditarii iuris ratio, rei necessitas, et Nostra expectatio postulabat. In primum gravate id accepit, et inter cetera quae ad recusandum onus in medium protulit, avitum patrimonium ab adversis circumstantiis impeditum diutinisque calamitatibus vexatum tam male se habere conquestus est, ut ab eo sumptus Cappellae

Sixtinae reparandae desumi nullo modo possint. Ast animadvertens Nos opus alterius ex illustribus Nostris Praedecessoribus venerandum, quippe quod primaeva eaque carissima Christianae religionis monumenta custodiat pessundari numquam esse passuros, ratus est rem gratam Nobis fore, si quodcumque ius vi memoratae Constitutionis a Sixto V suae genti impertitum Nobis cessisset. Quare suo proposito, Nostraeque voluntati satisfacere volens per syngrapham die sexto Decembris anno MDCCCLXIX manu propria subscriptam Nobis liberam ac plenam, nullaque reservatione constrictam dicti iurispatronatus cessionem ultro fecit. Haec inter Nostrae recursabat menti quanta Cappellae Sixtinae ingrueret calamitas: hinc nulla interiecta mora sublimis eius testudo novis plumbi laminis Nostro iussu extrinsecus tecta fuit; deinde ceteris reparandis manus admoveri aliaque ornamenta adiici praecepimus. Haec quidem etsi ingentem pecuniae vim requirerent, ex Nostro aere privato solvendam tamen haud deterriti fuimus una cogitatione sustentati, Nostrum opus in Dei gloriam, et Deiparae honorem cessurum. Sed ne in posterum huiusmodi incommoda renoventur, Nostri Apostolici muneris esse duximus, ea omnia in praesens providere, praescribere, ac statuere, quae Nostrae voluntati perficiendae apta esse videantur. Quare motu proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine Constitutioni Sixti V Praedecessoris Nostri, quae incipit « Gloriosae » datae V Idus Iunias anni MDLXXXVII, cuius tenorem hic de verbo ad verbum praesertim quoad

prohibitionem et formam derogationis haberi volumus pro expresso, penitus derogantes consensum a memorato dilecto filio Francisco Duce Sforza Cesarini datum, et renuntiationem ab eo emissam, etsi Defensor pro futuris vocatis deputatus minime fuerit, nec aliae servatae solemnitates, quemlibet facti et iuris defectum supplentes, praevia, quatenus opus fuerit, sanatione approbamus, confirmamus, ratumque habemus ac praesertim Collegium, scilicet Praepositurам, Sacristiam, Cappellanias et Beneficia licet in praesens non vacent, nec Cardinalis Protector et Praepositus, aliique desuper auditi sint, plane extinguimus, supprimimus, ac extincta et suppressa esse declaramus, et omnia et singula bona, iura, actiones ad Cappellam Praesepis Domini, et ad praefatum Collegium, Praepositurам, Sacristiam, Cappellanias et Beneficia quovis titulo spectantes liberе Nostrae dispositioni reservamus. Volumus autem, ut sic suppressi Collegii Praepositus, Sacrista, Cappellani et Beneficiati, qui in praesens existunt, merum titulum retineant, redditum unicuique Beneficio adnexum percipiant, et donec aliter provisum fuerit Missarum onera adimplere pergant. Insuper cuicumque iuri-patronatus, quod Sixtus V. praeter ius praesentandi ad enunciatam Praepositurам, Sacristiam, Cappellanias, et Beneficia concesserit, derogamus, illudque prorsus abolemus, et eidem dilecto Filio Francisco Duci Sforza Cesarini eiusque descendentibus primogenitis masculis ex masculis, huiusmodi titulum vel nomen non amplius competere, nec aliquod ius in Sacellum ad Praesepe Do-

mini, et in eius aedes, bona, reditus habere, et exercere posse volumus, declarantes quoque ipsos liberos ab omni onere, et obligatione, cui Patroni iuxta sacros Canones obnoxii sunt, vel esse possunt. Decernentes praesentes Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu eorum aliqui ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes etiam specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut alio modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam quamtumvis iuridica, et privilegiata causa, colore, praetextu et capite ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quamtumvis magno, ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, invalidari. retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris facti vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu proprio, et de Apostolicae Potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in-

violabiliter, et inconcusse observari. Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscumque Iudices ordinarios vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, aliosque quoslibet, quacumque praeeminentia ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et ea praesertim de iure quaesito non tollendo, memorata Sixti V. Constitutione, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quibusvis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque exemptionibus et indultis specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis clausulis, et decretis et derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam Motu proprio et de Apostolicae Potestatis plenitudine seu Consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro ple-

ne, et sufficienter expressis, et exactissime servatis et specificatis respective habentes ad praemissorum effectum plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Decembris Anno MDCCCLXIX.
Pontificatus Nostri Anno XXIV.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS APOSTOLICA VISITATIO IN ANTONIANO ARMENIORVM MONACHORVM ORDINE INDICITVR.

VENERABILI FRATRI ANTONIO IOSEPHO PLUYM ARCHIEPISCOPO TYANENSI.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Religiosas regularium Ordinum familias, quae Dominico agro tanto usui sunt atque ornamento Romani Pontifices in deliciis semper habuerunt, adeoque de potiori hac dominici agri parte fuere solliciti, ut, vix noverint inimicum hominem clanculum superseminare zizania in medio tritici, et parvulas vulpes demoliri florentes palmites, curas omnes ad radicitus evellendum destruendumque quidquid uberrimos ac lectissimos iacti boni seminis fructus posset impedire, contulerint.

Elapso saeculo regularis Monachorum Armeniorum S. Antonii Ordo in Libani iugis institutus est, ut sacras per Ciliciae Patriarchatum legationes obiret, et longe non modo a saecularibus sed et ab ecclesiasticis officiis ac dignitatibus disiunctus, totus in eo esset, idque unum spectaret atque intenderet. Attamen brevi gravissimae inter Antonianos Monachos

et Ciliciae Patriarchas exortae sunt controversiae, quae plus minus ad haec novissima tempora efferbuerunt; et haec inter huiusmodi Ordinis paullatim immutatae sunt constitutiones, quas Congregatio Christiano nomini propagando praeposita, donec aliter de iisdem quidquam decerneretur, servari mandaverat; et paucis ab hinc annis gravissima in Antonianum Ordinem, inconsulta Sede Apostolica, invecta est innovatio. Munus enim Abbatis Generalis, quod memorati Ordinis constitutiones in triennium definiebant, nulla implorata Sanctae Sedis venia, ad vitam prolatum est, eidemque muneri Antiochenae Ecclesiae regimen adiectum.

Hoc titulo Episcopali charactere, et dignitate auctus fuit Venerabilis Frater Placidus Kasangian, quem supradicta Congregatio, improbato facto, sivit in eodem officio ex pontificia indulgentia, et ad nutum S. Sedis Apostolicae manere. Interea de Antoniani Ordinis statu apprime cognoscendo actum est, ideoque memoratus Abbas iussus fuit regulas et constitutiones actu vigentes exhibere, aliaque, quae novisse oporteret, accurate referre. Verum cum Constantinopoli tunc temporis celebranda esset Patriarchalis Armeniorum Synodus, in qua etiam de Monachis erat agendum, visum est, antequam quidquam sanciretur, eiusdem Synodi exitum praestolari.

Nuperrime autem gravia adversus legitimam Venerabilis Fratris Antonii Petri IX Patriarchae Ciliciae auctoritatem dissidia ac perturbationes a nonnullis Laicis, Clericis, et Monachis Constantinopoli excitatae eo proruperunt, ut eiusdem Venerabilis Patriarchae iussa pro nihilo habita sint, commemo-

ratio, quae in sancto Altaris Sacrificio, atque in divinis officiis fieri solet, intermissa, et Fratris Iosephi Arakial Episcopi Ancyrani qui, Apostolica Sede annuente, vicariam praedicti Patriarchae potestatem Constantinopoli exercet, detrectata sint; illiusque mandata, quin et censurae ipsae contumaciter spretae, futili quadam specie provocationis seu appellationis ad S. Sedem obtenta, ut rebelles Antistitis illius correctionem effugerent; quibus ausibus non sine bonorum admiratione et scandalo haud pauci ex Antonianis Monachis consenserunt.

Rebus ita se habentibus, Nos ex Apostolico ministerio fidelium omnium incolumitati et bono paternae caritatis affectu advigilantes hisce malis aliquod remedium afferendum existimavimus. Quare una cum VV. Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus propagandae fidei et negotiis Orientalis Ritus praepositis, rebus omnibus maturo diligentique examine perpensis, Te, Venerabilis Frater, quem hoc ipso die per similes Nostras Litteras Apostolicas ab Nicopolitana Ecclesia, praevia absolutione a vinculo quo dictae Ecclesiae tenebaris, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine facta, ad Archiepiscopalem Sedem Tyanensem in partibus infidelium promovimus, universis Antoniani Armeniorum Ordinis praedicti omniumque eiusdem ordinis Monasteriorum, atque Hospitiorum ubique existentium Visitatorem Apostolicum facimus, renuntiamus, et constituimus; Tibique omnes et singulas facultates necessarias et opportunas ad huiusmodi munus explendum deferimus atque impertimus. Tibi praeterea, Venerabilis Frater, potestatem subdelegandi, si opus fuerit, ad hoc

officium idoneas ac Tibi benevisas personas concedimus atque indulgemus.

Ne vero huiusmodi Visitationi Apostolicae impedimento ulla ratione esse possit Abbatis Generalis auctoritas, de consilio etiam praefatorum VV. Fratrum Nostrorum volumus et mandamus, ut Venerabilis Frater Placidus Kasangian, qui hactenus ex indulgentia et ad nutum S. Sedis, ut supra dictum est, munus hoc gessit, ab officio Abbatis Generalis praefati Ordinis discedat et cesset omnino.

Praecipimus propterea in virtute sanctae obedientiae universis supradicti Ordinis Monachis, omnibusque et singulis ad quos spectat et spectabit, ut Te in Apostolicum Visitatorem per Nos electum ex praesentium tenore recipiant et admittant, Tibique in omnibus, quae ad praefatum officium pertinent praesto sint et obediant, Tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles sive statueris, ratam habebimus et faciemus, Apostolicae Auctoritatis Nostrae vi, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non eiusdem Monacorum Ordinis legibus, ceterisque quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Februarii anni 1870, Pontificatus Nostri vigesimo quarto.

N. Card. Paracciani-Clarelli.

LITTERAE APOSTOLICAE

AD R. P. D. DELEGATVM APOSTOLICVM CONSTANTINOPOLEOS SVPER QVERIMONIIS, DISSIDIIS, ET AVSIBVS NONNVLLORVM ARMENIORVM CATHOLICORVM IN PRAEFATA VRBE DEGENTIVM.

VEN. FR. ANTONIO IOSEPHO ARCHIEPISCOPO THYANAEO NOSTRO ATQVE HVIVS APOSTOLICAE SEDIS IN VRBE CONSTANTINOPOLITANA DELEGATO APOSTOLICO

— ROMAM —

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non sine gravissimo animi Nostri dolore, vel moerore potius novimus, Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam non levibus dissidiis ac perturbationibus miserandum in modum divexari, et pacem, cuius tuendae studium Nos cum Nostris Praedecessoribus semper Fidelibus illis maxime commendavimus, ab illa Ecclesia ferme exulare. Siquidem nonnulli ex Laicorum ordine in unum convenientes cum aliquibus ex Clero saeculari, atque ex Monachis Armenii ritus Ven. Fr. Antonii Petri IX Ciliciae Pa-

triarchae auctoritatem palam spreverunt, abnegarunt; et Ven. Fr. Iosephi Arackial Episcopi Ancyrani, qui, annuentibus Nobis, vicaria eiusdem Patriarchae potestate in praedicta civitate fungitur, canonicam iurisdictionem ita detrectarunt, ut eiusdem sententias ac mandata vel non recipere, vel non servare ausi fuerint. Atque eo devenerunt, ut etiam legitimam memorati Patriarchae electionem, licet unanimi Episcoporum suffragio peractam, Nostroque iudicio et auctoritate confirmatam, in dubium revocare non dubitaverint, et solemnem eiusdem commemorationem in sacrosancto Missae sacrificio, atque in divinis officiis palam intermittere; demum in privata domo altare contra legitimum altare Christi erigere minime reformidaverint, et Ecclesiam ibidem constituere, quam singulari verborum contradictione, Armeniam catholicam independentem appellarunt; perinde ac si in Ecclesia catholica liceret Fidelibus arbitratu suo vivere, et non potius ipsi deberent iuxta Apostoli praeceptum obedire praepositis suis et subiacere eis.

Gravissima profecto sunt, Ven. Frater, huiusmodi improbanda sane facta, eoque Nobis acerbiora, propterea quod ea ab Armeniis praesertim Constantinopoli degentibus minime expectabamus, quos Apostolica Sedes singulari cura ac sollicitudine fuit semper prosequuta. Neque doloris Nostri acerbitatem satis lenire potuerunt protestationes reverentiae atque obedientiae erga hanc B̃mi Petri Cathedram, quas deprehendimus in expostulationibus Nobis exhibitis a memoratis Laicis, Clericis, ac Monachis; quae protestationes futili illa appellationis voce con-

firmari posse videbantur, in quam nonnulli erumpebant ad effugiendam memorati Ven. Fr. Iosephi correctionem. Etenim contra auctoritatem huius Apostolicae Sedis divinitus constitutam, erroneae falsaeque doctrinae atque calumniae in vulgus fuerunt disseminatae, et Nostrarum etiam constitutionum vis et auctoritas despecta ac detrectata.

Etsi vero haec facta ex animo vehementer dolemus, non possumus tamen longe maiorem Armeniorum eiusdem Urbis partem satis commendare, quae constanter in officio ac fide permansit; quaeque legitimo suo Patriarchae, Nostraeque huic Sedi arctissime atque ex animo obstricta efflagitavit, ut a tantis malis liberaretur.

Quibus pro Nostri ministerii debito occurrere volentes, Tibi Ven. Frater, qui Apostolica Nostra Delegatione in urbe Constantinopolitana perfungeris mandamus, ut quamprimum in eamdem civitatem redeas, ibique pro commissi Tibi muneris ratione Catholicos Orientales in sua fide confirmare, atque eos, qui a proprio officio declinarunt, ad salutis tramitem totis viribus reducere contendas. Ut autem haec rite perficiantur, necessarium est, Ven. Frater, Fidelibus tuae curae commissis in mentem revoces atque inculces, ad catholicam fidem pertinere, Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem auctoritatemque esse traditam; cuius plenum ac liberum exercitium nullis territorialibus aut nationalibus limitibus potest circumscribi et coerceri; et omnes qui catholico nomine gloriantur, non solum debere

cum illo communicare quoad fidem et dogmata; verum etiam subesse quoad ritus et disciplinam.

Qua in re ne praetermittas Armenios omnesque Orientales edocere, quantum discriminis disciplinam inter et ritum intercedat, cuius utriusque rei confusio illorum fidelium mentem perturbat, pluribus iniustisque querimoniis occasionem praebere non cessat, eaque maxime abutuntur ad conflandam contra Apostolicam Sedem invidiam ii omnes, qui salutarem eiusdem Sedis actionem et vim in Orientales Ecclesias impedire aut imminuere minime verentur. Equidem Nos una cum Praedecessoribus Nostris Orientales ritus servandos esse declaravimus, quoties neque Fidei et unitati catholicae repugnarent, neque ecclesiasticae derogarent honestati. Quod quidem minime impedit, quominus, in his praesertim quae Ecclesiasticum regimen respiciunt, canonica disciplina quoad praecipua saltem capita ubique cohaereat, et ubi incerta vel collapsa fuerit restituatur. Neque ab hoc umquam deflectemus, prout Apostolici Nostri ministerii munus omnino postulat. Atque idcirco eo consilio Nostram Constitutionem edidimus IV Idus Iulias an. MDCCCLXVII, cuius initium est *Reversurus*; quam in suo robore manere volumus; et ab omnibus ad quos pertinet diligenter observari: nihil enim ea opportunius est ad ecclesiasticam libertatem tuendam, ad sacrorum Antistitum iura auctoritatemque vindicandam, et ad catholicam religionem atque unitatem magis magisque conservandam.

Qui autem haec Apostolicae Sedis iura et officia vel abnegant vel parvipendunt, qua demum ratione, quo animo suam erga illam reverentiam et

obedientiam profiteri possunt? Hanc siquidem praeseferre videbantur commemoratae nonnullorum Armeniorum expostulationes, quibus illud etiam petebatur, ut salvis eorum ritibus, Delegati Apostolici iurisdictioni plane subiicerentur Armenii, donec Ven. Frater Antonius Petrus IX in officio Patriarchae maneret. Quod quidem nullo prorsus modo indulgendum censuimus, etiam ex eo quod excogitatum manifeste fuerit ad declinandam legitimam eiusdem auctoritatem.

Gravius autem est, Apostolicae Sedis auctoritate abuti ad effugiendam Praelatorum correctionem. Namque sacrum est et omni aetate servatum, atque in honore habitum ius appellationis ad Romanum Pontificem, cui divinitus concessa potestas inest quorumlibet Iudicum ligata sententiis dissolvendi. Verum minime ferendum est, quemquam ius illud praetexere, et eo abuti ad inobedientiae patrocinium; cum scilicet subditi, eo consilio in vocem appellationis contra ecclesiasticam disciplinam perperam erumpunt. Remedium enim appellationis, uti monuit Alexander III Praedecessor Noster (1), non ideo inventum est ut alicui a religionis et ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: ac notum est universis, appellationes in materia correctionis et morum in devolutivo tantum, uti aiunt, servandas esse. Qui secus agere praesumpserint, non tam obsequentes Apostolicae Sedis filii, quam ecclesiastici ordinis perturbatores esse convincuntur.

(1) *Cap.* ad Nostram. *de Appellat.*

Ut ordo iste servetur, ex cuius tranquillitate pax exurgit, necesse est, ut unusquisque memor conditionis suae diligentissime caveat, ne fines ecclesiasticis legibus sibi praestitutos transgrediatur. Quare Sacerdotes oportet a mundanis curis plane alienos, divinis ministeriis atque animarum saluti semper esse addictos, suisque Episcopis ea, qua par est, reverentia obedire. Monachi etiam, qui in professione sua omnes saeculi curas abdicarunt, debent omnino in sancta conversatione et in habitu Ordinis sui vivere, et in monasteriis vel hospitiis tranquillam intaminatamque vitam agere, suaeque et proximorum aeternae saluti semper adlaborare, servata quam debent Episcopis reverentia atque obedientia. Ea de causa salutares leges atque Instructiones iamdiu editae fuerunt ab hac S. Sede pro Monachis Constantinopoli degentibus, quarum initium *Complures* (1), *et Compertum est* (2): quae si servatae fuissent minime dolere cogeremur, quosdam ex Monachis ipsis a recto tramite discessisse. Hasce itaque instructiones servari ab omnibus ad quos pertinet districte praecipimus, Tibique onus iniungimus, ut pro Tui muneris officio ac potestate earumdem observantiam omnino cures.

Denique Laicorum coetus in officio suo maneat, neque in ecclesiasticas res se ullo modo immisceat. Eorum in Ecclesia est doceri non docere, regi non regere; et Ecclesiae Dei nihil umquam tam noxium

(1) *Instruct. S. C. de Prop. Fide* 20 *Augusti* 1842 — *Decret. eiusdem* 25 *Aprilis* 1850.

(2) *Decret. S. C. de Prop. Fide* 20 *Augusti* 1853.

fuit, ac propterea a Sanctis Patribus et a Conciliis etiam Oecumenicis nil magis improbatum, quam ut Laici in ecclesiastica negotia sese insererent, et in ecclesiasticum ordinem insilirent.

Haec sunt, Ven. Frater, quae Tibi significanda atque mandanda duximus; quae ut possis utilius exequi necessarias omnes atque opportunas facultates Tibi hisce Litteris tribuimus.

Age itaque, ac divino auxilio fretus operi manum alacriter admove; et ad eos, quos Ipsi per Nos invisere non possumus, perge velociter. Confidimus enim Beatissimam Dei Genitricem sine labe conceptam, et S. Gregorium, qui Armeniae gentis vere Illuminator extitit et Apostolus, omnem gratiam a Iesu Christo Domino Nostro esse impetraturos, ut qui in Eum speramus non confundamur, et qui de tantis malis doluimus, laeta in filiis Nostris consolatione fruamur. Et huiusce boni, quod fusis ad Deum precibus assidue adprecamur, omniumque caelestium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem toto cordis affectu Tibi, Ven. Frater, cunctisque Clericis, Laicisque Fidelibus tuae curae commendatis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 Februarii an. 1870 Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE NOVAE EPISCOPALIS SEDIS S. AVGVSTINI IN TERRITORIO FLORIDAE.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quae catholico nomini bene, prospere atque feliciter eveniant, ea mature pro universae Ecclesiae divinitus Nobis commissa cura praestamus, sique intellexerimus novas erigendo Dioeceses satius consultum iri Dominici gregis incolumitati id facimus, interposita idcirco Apostolica Nostra auctoritate. Iam vero cum Venerabiles Fratres decimae Synodi provincialis Baltimorensis, quae novissime elapso anno fuit celebrata, a Nobis enixe postulaverint, ut in territorio Floridae, ubi iam inde ab anno MDCCCLVII Vicariatus Apostolicus fuit constitutus, nova Dioecesis, servatis eiusdem Vicariatûs limitibus, erigeretur, Nos, ubi primum datum fuit, rem egimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis propagandae Fidei praepositis; deque eorumdem Venerabilium Fratrum consilio ad novae illius Dioecesis erectionem deve-

niendum existimavimus. Quae cum ita sint, attenta ac sedula deliberatione Nostra, atque ex Apostolicae potestatis plenitudine, in territorio Floridae novam, hisce Litteris, Episcopalem Sedem erigimus, iisdem limitibus definitam, quibus vetus Vicariatus continebatur, eique a Civitate Sancti Augustini nomen fieri mandamus. Illam porro suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Baltimorensis, atque omnibus iuribus, honoribus privilegiisque frui, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur, et gaudent. Haec mandamus, iubemus, volumus decernentes has Nostras Litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Nostri Apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedecessoris Nostri rec. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus nec non speciali atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno XXIV.

N. Card. Paracciani Clarelli.

DILECTO FILIO PROSPERO GUERANGER

E CONGREGATIONE CASSINENSI ABBATI SOLESMENSI.

PIVS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Dolendum profecto est, Dilecte Fili, nonullos esse inter catholicos, qui dum hoc nomine glorian-tur, vitiatis penitus imbuti principiis adeo praefracte istis adhaerent, ut non modo plane subiicere nesciant intellectum adverso huius Sanctae Sedis iudicio, communi etiam Episcoporum assensu et commendatione roborato; sed immo censentes, societatis humanae progressum et felicitatem illis omnino niti, Ecclesiam inclinare conentur ad sententiam suam, seque solum sapere arbitrati, reliquam omnem catholicam familiam aliter sentientem ultramontanae partis nomine designare non erubescant. Quam quidem insaniam eo compellunt, ut divinam ipsam Ecclesiae constitutionem refingere aggrediantur et exigere ad recentiores civilis regiminis modos, quo supremi Rectoris ei a Christo praepositi facilius deprimant auctoritatem, cuius praerogativas expavescunt. Quamobrem perniciosas quasdam doctrinas saepius impro-

batas, audacter in medium proferunt, uti indubias aut saltem plane liberas, corradunt e veteribus earum propugnatoribus captiunculas historicas, mutila scriptorum testimonia, calumnias Romanis Pontificibus affictas, sophismata quaevis, eaque omnia, sepositis omnino solidis argumentis, quibus centies explosa sunt, impudentissime regerunt, eo spectantes, ut animos commoveant, suaeque factionis homines et imperitorum vulgus adversus communem ceterorum sententiam incitent. Quo sane in coepto praeter damnum invectae perturbationis fidelium, et detractarum ad trivia gravissimarum quaestionum insipientiam audaciae parem deplorare cogimur. Nam si firmiter cum ceteris catholicis tenerent, Oecumenicam Synodum a Spiritu Sancto regi, soloque eius afflatu definire ac proponere quae credenda sunt, numquam in animum inducerent, vel ea definiri posse, uti de fide, quae revelata revera non sint, aut obsint Ecclesiae; vel humanas artes impedimento esse posse Spiritus Sancti virtuti, quominus ea, quae revelata sunt et Ecclesiae utilia, definiantur. Vetitum certe non ducerent, ea qua decet ratione, proponi Patribus difficultates, quas huic aut illi definitioni obstare arbitrantur, ut lucidior e disceptatione veritas emergeret; at uno huius acti studio, prorsus abstinerent ab artibus, quibus captari solent in comitiis populi suffragia tranquillique et reverentes expectarent supernae illustrationis effectum. Utilissimam igitur operam Ecclesiae te impendisse censuimus, qui praecipua ex huiusmodi scriptis refellenda suscepisti, eorumque simultatem, violentiam et artes ea soliditate demonstrasti, eo nitore, ea sacrae ar-

cheologiae scientiaeque ecclesiasticae copia, ut plurima paucis complexus, praestigium omne sapientiae abiudicaveris iis, qui sententias involvebant sermonibus imperitis; restitutaque veritate fidei, iuris, et historiae, cultis indoctisque fidelibus consulueris. Pergratum itaque tibi ob oblatum volumen profitemur animum; exitumque faustum et amplissimum ominamur lucubrationi tuae. Eius vero auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Martii 1870.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquarto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE EPISCOPATVS TAMAVLIPANI.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolicam in universas orbis ecclesias providentiam paterna sollicitudine eo ipso ab Nostri Pontificatus exordio Antecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes protendere curavimus, atque nil magis utilius, nil aptius atque opportunius pro christianae reipublicae spirituali bono atque incremento esse duximus, quam uti christifidelium numerus vel maxime accresceret, ita ut unum tantum pastorem illorum necessitatibus minime sufficere compertum fuerit ad locorum distantiam ab ovili minuendam, itemque necessaria salutis pabula multiplicanda etiam per viam earumdem ecclesiarum Dioecesium circumscriptionis novae ex illarum dismembratione Episcopales sedes erigantur, itemque nova populorum catholicae ecclesiae augeatur adhaesio ac fidei catholicae professio inibi validius efflorescat ipsique populi vigilantium pastorum adsistentia doctri-

na et regimine propius suffulti proficiant semper in fide cum divini cultus propagatione et non desint in spiritualibus incrementa.

Hac profecto mente consilioque Nos Apostolicis Litteris in forma Brevis diei decimaetertiae mensis augusti anni Domini millesimi octingentesimi sexagesimi primi peramplam Dioecesim de Linares in Mexicana ditione aptius circumscripsimus atque ex eiusdem dismembratione totam Tamaulipanam Regionem Vicarii Apostolici administrationi subiecimus, donec aliter a Nobis et hac Sancta Apostolica Sede decerneretur. Modo vero eidem regioni opportunius consulentes illiusque maiori Christifidelium utilitati in primis satagentes Dioecesim inibi instituere, atque ex Mexicana et de Puebla Dioecesibus nova peragenda circumscriptione Episcopatum Civitatis Victoriae seu Tamaulipanum nuncupandum erigere statuimus, Apostolico Vicariatu Tamaulipano omnino suppresso.

Quapropter Nos, qui iam in Apostolicis Litteris erectionis tum Metropolitanae Mexicanae tum Episcopalis de Puebla Ecclesiarum Nobis eidemque Sedi facultatem reservavimus, novam ipsarum Dioecesium circumscriptionem Nostro eiusdemque Sedis arbitrio quocumque tempore ineundi, modo etiam Venerabilium Fratrum earumdem Ecclesiarum Antistitum consensum, ultro ad id praestitum, ratum acceptumque habentes et aliorum in huiusmodi negocio interesse habentium seu habere quomodolibet praesumentium consensui tenore praesentium Apostolica Auctoritate quamplenius supplentes, omnesque et singulos, quibus hae Litterae favent, a quibus-

vis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, tam a iure, quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum quoque serie absolventes et absolutos fore censentes, cunctisque, quae inspicienda erant, matura deliberatione perpensis, Motu Proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine Vicariatum Apostolicum, qui pro Tamaulipana regione a Nobis institutus fuerat, eadem Apostolica Auctoritate ad infrascriptae erectionis effectum penitus supprimimus et extinguimus. Illico vero Tamaulipanam regionem ipsam in peculiarem novam Dioecesim cum eisdem porro limitibus, quibus antea eiusdem Apostolicus Vicariatus cicumscribebatur, eadem Apostolica Auctoritate perpetuo instituimus, Paroeciasque, quae in Mexicana Archidioecesi continentur et - Ozuluama - - Tantina - Panuco - Tempoal - Puebloveio - Tampico - et Alto - Tantoyuca - et Succursalem Ita Catarina Chontla appellantur, a Metropolitana Mexicana, et ab Episcopali de Puebla Dioecesibus Paroeciam quae vulgo audit - De Amatlar - De Tamiahua - una cum suis quoquot existant rebus Ecclesiasticis, Oratoriis et Piis Institutis utriusque sexus Incolis, cuiusque sint gradus, ordinis et conditionis Religiosorum Fratrum Coenobiis, Monialium Claustris ceterisque de more concomitantibus accessoriis Apostolica Auctoritate praefata etiam perpetuo disiungimus et dismembramus, ac ab ordinaria tam hodiernorum quam pro tempore existentium Mexicani et de Puebla Antistitum pari Auctoritate per-

petuo quoque eximimus atque dissolvimus, dictaeque novae in Tamaulipana Dioecesi regioni adiicimus, atque ita propriam ac distinctam noviter erigendi Episcopatus Civitatis Victoriae seu Tamaulipani nuncupandi Dioecesim simili Apostolica Auctoritate perpetuo pariter constituimus atque praefinimus, iubendo ut scripta omnia et documenta, quae sive ad Ecclesias, sive ad personas, sive ad reditus, sive ad iura aliaque quaecumque parochialium ecclesiarum ut supra dismembratarum utcumque pertinent, quaeque ad praesens adservantur in Cancellariis Dioecesium Mexicanae et de Puebla secernantur, et supradictae novae Dioecesis Victoriensis Cancellariae pro rerum opportunitate et necessitate tradantur.

Et quoniam Civitas Victoria, hoc siquidem conspicuum Tamaulipanae regionis Oppidum, ad Episcopalem residentiam iugiter servandam magis magisque praestare censetur, nedum ex latiori sui ambitus tractu domorumque ac maiorum aedificiorum apparatu, verum etiam ob opportunam rerum adhibendarum copiam, nec non ob nonnullarum praerogativarum dignitatem atque commodiorum adminiculorum congruentiam, et quod non mediocri aestimatione interest, illud praefatae Regionis centralem occupat locum; quapropter illud ad Sedis Episcopalis fastigium omnibus et singulis deinde fruiturae iuribus, praerogativis, praeeminentiis, honoribus, indultis, privilegiis et ceteris quibuslibet, quae de communi iure aliae Episcopales Civitates in Ditione Mexicana praeseferunt, gaudent atque tuentur Apostolica Auctoritate praedicta perpetuo similiter evehimus et extollimus, atque adeo in Episcopatus noviter erigendi

Victoriensis eiusque in temporibus Antistitis residentiam erigimus. Propterea Templum, quod infrascripto Apostolico Delegato, in id negotii specialiter deputando, visum fuerit, illic magis idoneum atque ornatum ecclesiasticaque supellectili praeditum ad Ecclesiae Cathedralis honorem pari Apostolica Auctoritate perpetuo quoque attollimus, ita ut eadem Ecclesia priscum titulum seu invocationem ac parochialitatem, si qua forsan extiterit, servatura sit; adeo ut cura animarum penes Capitulum, uti infra instituendum, et quando institutum fuerit, habitualis resideat, actualis per ipsius Capituli Vicarium, aut alias per Presbyterum idoneum, ab Ordinario approbandum, exerceatur; ac in eo constituatur Sedes Cathedra et Dignitas Episcopalis pro uno eius futuro Antistite, Ordinario Victoriensi seu Tamaulipano nuncupando, qui eidem Ecclesiae Civitati et Dioecesi eiusque Clero et Populo universo praesit, ecclesiasticoque suae ordinariae iurisdictionis gubernio salubriter fructuoseque in Domino prospiciat; Religionem Catholicam Apostolicam Romanam una cum suis iuribus et praerogativis, quibus ex Dei Ordinatione atque Sacrorum Canonum Constitutionibus frui debet, omnino sarctam tectamque servare, magis magisque promovere curet, quique liber sit, quin ab ullo nequeat unquam ex quovis titulo nullatenus distrahi vel praepediri possit, ac pro Ecclesiasticarum rerum exercitio, ac etiam pro suae Dioecesis regimine plene, libere atque efficaciter ea quaelibet animadvertere, ordinare, decernere et sententiare, quae pastoralis ministerii, suique fori Ecclesiastici ratio, rerumque itidem Ecclesiasticarum sive necessitas, sive opportunitas, sive recta disciplina, re-

quirunt. Quamobrem pastorali ac paterna, qua par est, libertate ac prudentia ultro valeat, atque satagat, sacram suae Dioecesis visitationem obire, statutis per Sacros Canones temporibus Synodum Dioecesanam convocare, atque conficere suas institutiones, ordinationes, mandata, decreta tam ad ecclesiasticae administrationis munera quaqua versus explenda, quam ad rectam morum disciplinam observandam irrogare, nec non efficaciter promulgare, atque insuper sedulo studeat communionem obviam et prorsus liberam suo cum universo Clero et Populo, eoque magis cum hac praefata Sancta Sede Apostolica semper et quandocumque haberi et tueri.

Praeterea ad Capitulum huius novae Cathedralis quod attinet, Nos, habita peculiarium circumstantiarum ratione, Apostolica Auctoritate praecipimus, ut quam primum fieri poterit ipsa in Cathedrali iuxta Sacrorum Canonum praescriptum constituatur Capitulum, quod Dioecesano Praesuli operam et reverentiam afferre valeat, quodque septem constet Canonicis in Presbyteratus Ordine constitutis, quorum alter titulum ac dignitatem primam Archidiaconi, Sedis Apostolicae dispositioni semper reservatam, praeseferat; duo alii de officio nuncupandi, quorum unus Poenitentiarii seu Magistralis, alter vero Theologalis sive doctoralis munia peragat, ceteri autem quatuor dicantur et sint de gratia, uti in aliis Mexicanae ditionis Capitulis est in more institutum; ipsique omnes et singuli divina officia et ecclesiastica munera adimplere, ceteraque onera et quaevis alia, Capitulo et Canonicis Cathedralium ecclesiarum praescripta, deque more illata comperiuntur, diligenter ri-

teque explere teneantur. Secus vero eisdem iuribus, honoribus, privilegiis, ceterisque, quibus de communi iure deque legitima consuetudine aliarum Cathedralium Ecclesiarum relatae Ditionis Capitula potiuntur et gaudent, potiri et gaudere valeant; impertiendo, ut illic etiam instituantur sex Presbyteri Capellani sive Beneficiarii seu Mansionarii, qui eiusdem Cathedralis servitio mancipati sint: propterea que omnes hi teneantur pariter inibi diligenter ac rite interesse choralibus et aliis quibuscumque functionibus ecclesiasticis, atque adeo ut Diaconi et Subdiaconi ministeria alterna vice obire obstringantur; ac praeterea, qui horum sit prior, debeat etiam Secretarii capitularis; qui secundus, primi Magistri caeremoniarum; qui tertius, Magistri musicorum capellae; qui quartus, Censoris seu Punctatoris illorum, qui absque ulla causa canonica sese abstineant a chorali servitio; qui quintus, secundi punctatoris munia adimplere teneantur. Effatus vero Canonicorum numerus, ut cum primum id fieri poterit, ut augeatur commendamus.

Cui quidem futuro Capitulo, ut omnes et singuli Dignitarius et Canonici praedicti, nec non Capellani seu Beneficiarii sive Mansionarii tam in dicta Cathedrali, quam extra eam (Dioecesanos tamen intra limites), quoties capitulariter convenerint, indumenta et insignia choralia, quae iam communi iure respective in usu sunt in aliis Cathedralibus Mexicanae ditionis, iis tamen exceptis quae ex peculiari privilegio, sive ex quocumque speciali etiam oneroso titulo fuerint concessa et acquisita, libere et licite gestare et adhibere valeant, eadem Apo-

stolica auctoritate perpetuo pariter concedimus et indulgemus.

Eidemque Capitulo, ubi fuerit sicuti desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes, et decreta, sacris porro canonibus, Apostolicis constitutionibus et tridentini praesertim concilii praescriptis, minime adversantia, sed prorsus consentanea; quae Victoriensis Praesulis iudicio subdenda sint, et nonnisi post eius approbationem roboratam vim legis obtineant.

Ut omnes vero et singulae Canonicorum praebendae, nec non ea sex Capellanorum beneficia conferantur iuxta canonicas leges, Apostolicas constitutiones et concilii praecipue tridentini praescripta, mandamus atque iubemus expresse, ut quaecumque in tota Dioecesi praebendae, quibus animarum cura incumbit, etiam illae, quae Theologalis seu Doctoralis et altera, quae Poenitentialis seu Magistralis dicuntur, nonnisi per concursum omnino ad sacrarum constitutionum et praesertim fel. rec. Gregorii PP. XIII Praedecessoris Nostri - Pastoralis officii - incipientis, quoad Poenitentiariam et Theologalem praedictas, normam obtineri queant.

Porro autem ad novam Civitatis Victoriensis seu Tamaulipani nuncupandi Episcopatus fundatiotionem, posteramque incolumitatem et incrementum praecipimus, ut pro Episcopi residentia, nec non curia, seu cancellaria episcopali illico comparatae, opportunaque supellectili decenter instructae, adiudicatae sint Mensae Episcopali tot aedes, Cathedrali

quoad fieri poterit proximiores, quot in praefatos usus oportere videantur.

Ac ut pro Dioecesi Civitatis Victoriensis seu Tamaulipana queant iugiter succrescere probi, callidique in messem Domini operarii, qui solertem et opportunam culturam sedulo, lateque navare possint; ideo dicta Apostolica auctoritate iubemus, ut in praefata Civitate Victoriensi, seu Tamaulipana, nisi iam praesto sit, idoneum et commodum comparetur, vel etiam condatur aedificium, illudque necessaria et opportuna supellectili satis instructum, episcopali Seminario, quod inibi illico ad praescriptum tridentinae synodi rite administrandum institui mandamus, adiudicetur.

Et licet sit in more positum ex sacrorum canonum instituto, ut quaevis mensa episcopalis, singulaeque Cathedralium Praebendae ceteraeque ecclesiasticae dotationes in bonis stabilibus debeant fundari; nihilominus, habita paeculiari circumstantiarum ratione, ut congruae omnes supra relatae dotationes in decimis constituantur, opportune riteque assignandae ad normam aliarum in Mexicana Ditione Dioecesium pari Apostolica auctoritate indulgemus. Perpetim vero sartum tectumque habeatur id sacri iuris, ut favore Dioecesis Civitatis Victoriae, seu Tamaulipanae nuncupandae eius videlicet Episcopalis mensae tum Cathedralis ecclesiae, illiusque Capituli et Cleri, tum aliarum quoque minorum ecclesiarum et quarumcumque piarum institutionum queant, et libere et licite valideque valeant bona etiam stabilia legari, acquiri, plenoque demum cum dominio possideri, administrari et vindicari.

Veruntamen, donec Dioecesi suppetant necessitates, Victoriensi seu Tamaulipano in temporibus Praesuli ex nunc Apostolicam elargimur veniam, ut ipse licite possit sibi reservare unam tantummodo ex Dioecesis paroeciis, ut ea per Vicarium ab ipso Praesule eligendum, congruaque portione seu pensione remunerandum, administretur eo nempe provido consilio, ut decimales reditus huiusmodi reservatae paroeciae queant ac debeant prudenti eius arbitrio ac providentia erogari ad reparandas et sublevandas graviores eiusdem Dioecesis indigentias. Attamen si revera comperiatur, quod prioribus praesertim annis decimarum proventus non valeant plane sufficere ad simultaneam et congruam ipsiusmet Episcopi, eiusque totius Capituli, ac etiam aliarum connexarum institutionum ecclesiasticarum sustentationem, tunc Praesul ipse, Nostra iam ex tunc accedente auctoritate, possit valeatque prudenti eius iudicio ad libitum suspendere sive Capituli Cathedralis sive aliarum quarumvis connexarum institutionum effectivam fundationem, usque dum fuerit exploratum, quod decimales eiusmodi proventus iam in eo sint, ut dein congruas dotes iugiter suppeditare possint sive ad huiusmodi Capituli, sive ad ceterorum omnium, aut ad alterutrius ex praescriptis institutionibus ecclesiasticis convenientem sustentationem. Durante tamen huiusmodi suspensionis tempore idem Praesul sibi arroget quidem quotannis pro mensa episcopali octo tantummodo millia scutata Mexicana. Quidquid vero supererit ex earumdem decimarum cumulo illud in peculiari massa retinere omnino teneatur, donec in promptu inde

fore comperiatur id, quod valeat sufficere ad earumdem singularum institutionum (etiamsi paulatim iuxta ordinem maioris necessitatis vel opportunitatis conficiendarum) dotem seu pensionem congrue iugiterque attribuendam.

Quam quidem ecclesiam Civitatis Victoriensis, seu Tamaulipanam in Archiepiscopalis Ecclesiae Mexicanae Suffraganeam cum omnibus quibuscumque iuribus, honoribus, praerogativis, gratiis, indultis, quae pariter illius Archiepiscopatus Ecclesiae Suffraganeae ac vicissim habere solent atque tueri, dicta Apostolica auctoritate subiicimus, illiusque canonicam taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoties eidem Cathedrali Ecclesiae Antistes fuerit praeficiendus, in aureis florenis de camera triginta tribus cum tertia eiusdem floreni parte statuimus, sicque in libris camerae Apostolicae Sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii inscribi et observari iubemus.

Tandem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti facultatem reservamus, circumscribendi hanc novam Dioecesim, quandocumque magis in Domino visum fuerit expedire.

Praesentes vero Litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quamtumvis iuridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes et habere putantes, seu praetendentes, cuiuscumque qualitatis, status, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, et ex quacumque alia causa quamtumvis pia, pri-

vilegiata ac speciali nota digna impugnari, invalidari, infringi, retardari, aut irritari, ad viam et terminos iuris reduci, nec adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium, etiam ex capite laesionis quantumvis enormis et enormissimae, vel cuiuscumque praeiudicii impetrari, ac etiam motu et potestatis plenitudine similibus per quoscumque Romanos Pontifices Successores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodolibet uti non posse; quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; illaque sub similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae manabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore; sicque et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, aut Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, honore et praeeminentia fulgentes, iudicari et definiri debere, et quidquid super his a quoquam quavis

auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabili Fratri Pelagio De la Bastida y Davalos hodierno Archiepiscopo Mexicano per easdem praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium exequutionem procedat; necessarias et opportunas Ei impertiendo facultates, quibus Is ad hoc opus explendum alteram idoneam probamque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare queat; ita tamen ut idem Pelagius Archiepiscopus per se vel ipsam subdelegandam personam valeat ea cuncta ordinare, disponere ac etiam definitive, omnique appellatione remota, decernere quae vel oportere vel expedire magis Ei visa fuerint, ut praefati Civitatis Victoriae seu Tamaulipani Episcopatus erectio ad optatum finem feliciter perducatur, iubendo insuper, quod in horum omnium exequutoriali decreto apprime describenda sint naturalia eiusdem novae Dioecesis confinia, singulaque nominatim oppida et paroeciae, atque adeo charta topographica inseratur.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula - De iure quaesito non tollendo - ac Lateranensis concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus. provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, dictarumque Mexicanae et de Puebla ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-

mitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis etiam motu proprio, scientia et potestatis plenitudine paribus, itemque consistorialiter, etiam in fundatione et primaeva institutione, seu alias quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficenter expressis habentes, illas alias in suo robore permansuris; latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod dictus Pelagius Archiepiscopus sex infra menses ab expleta earumdem praesentium exequutione diligenter ad hanc Apostolicam Sedem nedum exemplar authentica forma exaratum enunciati decreti exequutorialis; verum etiam aliorum quorumcumque, quae super hoc negocio

illata fuerint atque peracta, ut simul in Archivio congregationis prefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praeposita opportune inserantur, ac inter ipsius congregationis acta ad plenam observantiam quam accurate asserventur.

Volumus etiam, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem Litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, seiunctionis, dismembrationis, iussi, concessionis, indulti, impertitionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono quarto idus Martii (1) Pontificatus Nostri anno vigesimoquarto.

G. Gori Svbdatarivs — N. Card. Paracciani Clarelli.

Visa de Curia
Dominicus Bruti Abbreviator

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

(1) Haec temporis computandi ratio propria est Cancellariae Apostolicae, atque in praesentibus Litteris respondet diei 12 martii 1870.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PARTITIONE
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE QVEBECENSIS.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ex debito Summi Apostolatus Humilitati Nostrae divinitus commendati universae Ecclesiae negotia componimus, prout Christiano nomini bene prospere atque feliciter evenire intellexerimus. Cum itaque Venerabiles Fratres quartae Synodi Provincialis Quebecensis anno MDCCCLXVIII celebratae Nobis retulerint, in rem Catholicam admodum fore si, attentis Ecclesiasticae illius provinciae amplitudine, plurimumque adaucto tum Catholicorum tum Episcoporum numero, ea in tres provincias divideretur, enixasque idcirco preces Nobis adhibuerint, Nos cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis propagandae Fidei praepositis rem communicare maturavimus; omni-

busque attente perpensis rationum momentis, quae infra scripta sunt decrevimus. Quae cum ita sint de eorumdem consilio, certa scientia sedulaque deliberatione, memoratam provinciam Quebecensem in duas, pro nunc, Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium partimur; quarum altera nomen provinciae Quebecensis retinens, et hanc sedem habens pro Metropoli; Marianopolitanam, Attaviensem, Trifulvianam, Sancti Hyacinthi, Sancti Bonifacii, et Sancti Germani dioeceses, nec non Vicariatus Apostolicos Columbiae Britannicae, et qui vulgo de la Riviere Mackenzie nominatur, comprehendat; altera Toruntinensem Ecclesiam tamquam Metropolim; atque Dioeceses Kingstoniensem, Hamiltonensem, et Sandovicensem, tamquam suffraganeas complectatur. Haec statuimus, mandamus, edicimus decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dictae Quebecensis provinciae etiam iuramento, confirmatio-

ne Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno XXIV.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE ECCLESIAE EPISCOPALIS DE PORTV VETERE IN REPVBLICA AEQVATORIANA

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Multiplices inter gravissimasque queis angimur afflictiones ob Sacrosanctam Christi Ecclesiam quam in his praesertim Italiae regionibus ita vexari ac persequi conspicimus ab iniqua perditorum hominum perfidia, qui contra divinarum manuum opus brachia levantes eam funditus evertere conantur, Nos vehementer recreat atque sustentat, ipsam in remotissimas Orbis partes veluti castrorum acies contra portas inferi ordinata gloriose in dies crescere atque multiplicari.

Et Nos qui universae Catholicae Ecclesiae divina dispositione licet indigni praesidemus, saecularium etiam Principum vota benigno animo suscipientes operam Nostram libenter impendimus efficacem, ut quae

a Nobis postulata sunt plenum suum quantocitius sortiantur effectum.

Sane non sine ingenti animi Nostri voluptate Dilecti Filii Inclyti Aequatorianae Reipublicae Praesidis preces excepimus, quibus a Nobis et Apostolica Sancta hac Sede postulabat, ut spirituali illarum regionum incolarum bono et utilitati per novam alterius Episcopalis Ecclesiae erectionem salubriter consuleremus. Siquidem ea in ditione Quitensis et Guayaquilensis Dioeceses nimis latis amplisque continentur confinibus, unde fit ut illorum Antistitum cura maximopere gravetur, et nonnisi maxima cum difficultate Pastoralis Officii munus adimplere atque Ecclesiasticam eis commissam administrationem et regimen, sicuti par est, possint in Domino navare.

Nos igitur qui universae Catholicae Ecclesiae quam ex benigna Dei dispositione licet immeriti gubernamus spirituali bono enixe semper intendimus singulare laudati Ducis pro Christianae reipublicae bono studium maximopere commendantes pronas eius votis aures accommodare non destitimus.

Reservatione itaque in Litteris Nostris Apostolicis erectionis Quitensis et Guayaquilensis Dioecesium Nobis et Apostolicae Sedi expressa utentes novam quandocumque earum Dioecesium circumscriptionem ineundi, quum Nobis plene constet Venerabilem Fratrem Ignatium Checa hodiernum Quitensem Archiepiscopum, e cuius Dioecesis dismembratione alterius novi Episcopatus et Dioecesis erectio est in parte statuenda ultro libenterque pro hac sua parte assensum suum praebuisse; memorati Ignatii Archiepiscopi consensum ratum acceptumque habentes, con-

sensui vero Guayaquilen. Episcopi, e cuius Dioecesi pro nova alterius erectione territorii pars est seiungenda, qui deest ad praesens ob illius Sedis Episcopalis vacationem, aliorumque in huiusmodi negotio interesse quomodolibet habentium vel quovis modo habere putantium seu praetendentium supremae Nostrae potestatis plenitudine tenore praesentium omnino supplentes, omnesque et singulos quibus Nostrae hae litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, cunctis quae animadvertenda erant maturo consilio ac deliberatione perpensis; Motu proprio certa ex scientia et Apostolicae potestatis plenitudine totam civilem provinciam, quae « *Esmeraldas* » vocatur a Quitensi et Guayaquilensi vero Dioecesibus alteram, quae « *Manabi* » vulgari nomine nuncupatur una cum singulis quotcumque et qualiacumque ibi existant consitis civitatibus, oppidis, pagis, ruribus, eorumque territoriis, atque utriusque sexus incolis, nec non ecclesiis, ac omnibus cum Monasteriis, Oratoriis, Beneficiis, Piis Institutis, et ceteris accessoriis Apostolica Auctoritate perpetuo disiungimus et dismembramus, et ab ordinaria iurisdictione ac spirituali dominio et administratione praedictorum et pro tempore existentium Quitensis Metropolitani et Guayaquilensis Antistitis omnino et perpetuo Apostolica auctoritate eximimus.

Ex ipsis vero Esmeraldas et Manabi civilibus provinciis a Quitensi et Guayaquilensi respective

Dioecesibus ut supra disiunctis et dismembratis una cum suis respective accessoriis inhaerentibus et de more concomitantibus novam separatam et distinctam Dioecesim pro Episcopatu mox erigendo, et « Portus Veteris » nuncupando, simili Apostolica auctoritate perpetuo efformamus. Cum vero in Menabiana provincia civicum extet oppidum, quod « Porto Viejo » seu Portus Veteris, vulgari nomine appellatur, quodque peculiaribus, magisque opportunis praerogativis atque aliis circumstantiis ceteris praecellere perhibetur; ideo ipsum oppidum ad civitatis episcopalis fastigium pari Apostolica auctoritate evehimus atque attollimus: ac huiusmodi civitatem pro Portus Veteris Episcopi in temporibus sede et residentia constituimus et declaramus; fruituram deinceps omnibus et singulis praerogativis, honoribus, favoribus, praeeminentiis, gratiis, indultis et privilegiis quibuslibet, quibus aliae illarum regionum civitates episcopali titulo et decore insignitae sive de iure communi sive ex legitima consuetudine frui ac potiri solent.

Parochialem autem ecclesiam, quae in dicto oppido unica existit, ad Cathedralitatis fastigium et decorem, ita ut proinde ecclesia ipsa omnibus iuribus, honoribus et privilegiis (ceu aliae Aequatorianae Ditionis ecclesiae Cathedrales) fruatur, pari Apostolica auctoritate efferimus atque erigimus; cauto tamen, ut ecclesia ipsa pristinam invocationem et parochialitatem servet atque retineat, eiusque animarum cura habitualis penes Capitulum, uti inferius erigendum, resideat, actualis vero per Canonicum curatum exerceatur.

Hac igitur in ecclesia sedem, cathedram et dignitatem Episcopalem pari auctoritate perpetuo erigimus atque constituimus, pro uno posthac Episcopo « Portus veteris » nuncupando, qui Quitensi Sedi suffragetur, illiusque iuri Metropolitico iuxta sacrorum canonum praescriptiones subesse teneatur, quique eidem ecclesiae Cathedrali, civitati et Dioecesi, eiusque pariter clero et populo in Domino praesit, ac praeter ea omnia, quae iam ab anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo secundo per Conventionem ab ipso Aequatoriano Gubernio cum Sede Apostolica initam firmata sunt, religionem catholicam Apostolicam Romanam sartam, tectamque servare ac tueri iis cum iuribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione et ad sacrorum canonum normam atque Apostolicarum constitutionum frui, potirique debet, eamque pro viribus promovere et augere curet; Synodum insuper Dioecesanam, cum in Domino respective iudicaverit, convocare; cum suo clero et populo libere communicare; Dioecesim suam visitare; instructiones et ordinationes pro sua Dioecesi publicare; sacramentum confirmationis ministrare; Ordinationes peragere, Pontificalia statutis praesertim temporibus exercere, ceteraque pastoralia munia obire teneatur.

Cuicumque vero noviter sic erectae et constitutae Portus Veteris Dioecesis Antistiti pro tempore existenti liberam etiam facultatem et potestatem facimus atque tribuimus, ut quoties pro meliori christifidelium institutione et utilitate novas in sua Dioecesi paroecias instituere, vel iam inibi constitutas circumscribere censuerit, omnia haec, initis prius

cum eo Gubernio consiliis, tum pro congrua earum dotatione, tum pro praebendis earum rectoribus permanenter adsignandis, libere et licite peragere possit et valeat.

Iam vero ad dotationem posteramque incolumitatem Portus Veteris episcopatus, quod attinet; et ut decenti illius pro tempore existentis Antistitis exhibitioni consulto prospiciatur, statutum volumus, ut, donec bona stabilia suppetant, interea temporis ex decimarum collectis, quae a memorato Gubernio percipiuntur, quotannis duodecim nummorum millia, quos vulgo « Pesos » vocant, fideliter separentur: ex his vero sex millia mensae episcopali attribuantur, quatuor millia pro Seminario Dioecesano (uti inferius instituendo), duo tandem millia pro ipsius cathedralis fabrica et sacrario adiudicari mandamus.

Aequatorianae praeterea Ditionis Gubernii cura et expensis comparentur, et necessaria supellectili decenter instructae, perpetuoque dominio attribuantur aedes pro Episcopi congrua residentia eiusque curia et cancellaria, nec non pro episcopali seminario, commendantes enixe; ut aedes praedictae, quantum fieri potest, memoratae ecclesiae cathedrali sint proximae.

Sartum ceterum, tectumque ius reservatum existat favore mensae episcopalis Portus Veteris, et cathedralis ecclesiae, eiusque Capituli et Seminarii, nec non aliarum quoque minorum ecclesiarum et quorumvis piorum institutorum quandocumque in tota dicta Dioecesi extantium bona quaeque stabilia libere licite et valide legandi, acquirendi et absoluto plenoque cum dominio possidendi, administrandi ser-

vandi et vindicandi. Cetera siquidem, quae sive ad iura, sive ad munia, sive ad personas, sive ad ecclesiasticas quaestiones pertinent, iuxta memoratam cum Aequatorianae Ditionis Gubernio Conventionem ut praefertur initam et sacrorum canonum praescripta dirigi ac plene administrari, decernimus.

Cum vero divini cultus exequutio prae ceteris Nobis cordi esse debeat, etsi nequeant modo in promptu haberi media pro Capituli Cathedralis institutione, statutum id volumus, ut, quamprimum fieri possit, ad sacrorum canonum normam et praescriptum illud erigatur atque constituatur. Quod quidem Capitulum constet ex una post pontificalem maiore dignitate, Decanatu nuncupanda, quae semper per Sedem Apostolicam erit, dum pro tempore vacaverit, conferenda, et ex quatuor Canonicis, quorum alter Lectoris seu Theologalis alter Poenitentiarii, alter Curati, quartus denique, « de gratia » seu de mercede » titulum praeseferant, muniaque et officia ac iura eis respective adnexa supportare et exercere debeant et valeant. His vero inferior Cappellanorum seu Beneficiariorum aut Mansionariorum numerus accedat nec non ipsius Capituli Secretarius et Sacrista maior et Magister caeremoniarum. Qui quidem omnes tum Dignitarius videlicet, tum Canonici, tum Beneficiati seu Cappellani ab ipso Aequatoriano Gubernio erunt eodem modo dotandi, ac cetera memoratae Ditionis aliarum Dioecesium Capitula dotata comperiuntur.

Omnes vero et singulas tum ipsius paroeciae Cathedralis tum aliarum paroeciarum in dicta Dioecesi existentium provisiones, sicuti pariter singulas dictorum Theologalis et Poenitentiarii canonicatuum

collationes (vix illorum erectio locum habuerit) iuxta sacros canones et Apostolicarum constitutionum sacrosantae Tridentinae Synodi praescripta praevio concursu semper obeundas esse, simili Apostolica auctoritate volumus et mandamus.

Memorato insuper Capitulo, vix fuerit institutum, quemadmodum incumbere debent onera et munia, quae aliis in Aequatoriana Ditione Capitulis adnexa reperiuntur; ita etiam ut tum Canonici tum Beneficiarii seu Cappellani in choralibus et ecclesiasticis functionibus eas respective adhibere vestes, iisque uti indumentis et insigniis valeant, ceu alia finitimarum Dioecesium Capitula utuntur et adhibent: idemque ut omnibus et singulis iuribus, honoribus, gratiis, favoribus, privilegiis et ceteris quibuscumque, quibus alia illarum partium Capitula fruuntur et gaudent, itidem frui et gaudere possit, dummodo tamen illa ex peculiari concessione vel privilegio acquisita non fuerint, pari Apostolica auctoritate concedimus et indulgemus.

Ac pro certo eiusdem Capituli regimine, suorumque munerum norma et observantia eidem, vix fuerit constitutum, eadem Apostolica auctoritate veniam et facultatem facimus et impertimur, capitularia sibi statuta, ordinationes et decreta conficiendi, ita tamen ut a sacris canonibus et Apostolicis constitutionibus ac Tridentina praesertim Synodo minime discrepent; sed illis penitus sint consentanea, quaeque efficacem legis vim, et sanctionis robur nequeant ullatenus vindicare, nisi prius ab Episcopo Portus Veteris perpensa, eiusque auctoritate sancita fuerint atque approbata.

Praeterea, quum pro vinea Domini utilius atque latius excolenda necessarium admodum sit, ut Sacerdotum numerus augeatur: cumque ad hoc nil magis quam Seminaria conducere diuturna experientia compertum sit, ibi siquidem adolescentes, qui in sortem Domini sunt vocati, ad pietatem et religionem et zelum animarum informantur, pari Apostolica auctoritate praecipimus atque iubemus, quod Seminarium ipsum erigatur, quod iuxta canonicas sanctiones et ecclesiasticas leges ab Episcopo Dioecesano libere dirigi et accurate administrari debeat atque gubernari.

Porro ad singulas huius ecclesiae de proprio Antistite Apostolicas provisiones quod attinet, eiusque (quoties illa suo viduari pastore contigerit) Vicarii Capitularis electionem ea penitus observari ac plene adimpleri mandamus quae in supramemorata Conventione disposita sunt atque constituta, quaeque pro aliis Aequatorianae Ditionis Dioecesibus iamdiu observantur.

Decernimus praeterea simili auctoritate Apostolica, quod, quoties et quamdiu praefata Portus Veteris Cathedralis Ecclesia proprio utcumque pastore destituta remaneat, interea temporis omnes et singuli ipsius mensae reditus in tres aequas partes fideliter dividantur, quarum una Vicario uti praefertur Dioecesis administratori in honorarium tribuatur, altera Episcopo successori ad opportunitatem reservetur, reliqua demum pars vel in eiusmet Cathedralis ecclesiae fabricae et sacrarii, vel in Seminarii Dioecesani bonum atque utilitatem, prout magis in Do-

mino expediens atque opportunum visum fuerit, erogetur.

Canonicam autem taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoties Antistes eidem Cathedrali ecclesiae fuerit praeficiendus, in aureis de camera florenis triginta tribus cum tertia eiusdem floreni parte statuimus enunciari, sicque in libris camerae Apostolicae Sacrique Collegii inscribi et observari iubemus.

Ceterum, ut ipsius Cathedralis ecclesiae, illiusque universae Dioecesis procuratio forsan aliquando queat commodius navari, atque fructuosius expleri ob nimiam eius latitudinem et animarum in dies magis increbescentium numerum, atque alia rerum adiuncta, iterum ipsam Portus Veteris Dioecesim quovis tempore ac modo magis in Domino expedire visum fuerit circumscribendi, Nobis et Sanctae huic Apostolicae Sedi ius et facultatem reservamus.

Praesentes quoque Litteras et in eis contenta quaecumque ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, aliove quovis vitio seu intentionis Nostrae, aut quocumque alio defectu quamtumvis iuridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes vel habere putantes aut praetendentes cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanarunt, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quamtumvis legitima, pia, privilegiata ac speciali nota

digna, impugnari, invalidari, infringi, aut irritari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium, etiam ex capite cuiuscumque praeiudicii, impetrari, ac etiam motu et plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices successores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodolibet uti non posse; quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma et valida ac efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriore data quandocumque eligenda concessa esse et fore.

Sicque et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aut alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, privilegio, honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et potestate ubique iudicari et definiri debere, et quid-

quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabili Fratri Seraphino Vannutelli Archiepiscopo Niceaensi in partibus Infidelium apud Aequatorianam Rempublicam Nostro Delegato Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, necessarias et opportunas ei impertiendo facultates; quibus Is ad hoc explendum opus aliam idoneam, probamque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat; ita tamen ut ipse Seraphinus Archiepiscopus vel eius subdelegatus valeat ea omnia ordinare, statuere, declarare ac etiam definitive, omni appellatione remota, decernere, quae ad huiusmodi negotium probe feliciterque perficiendum oportuerint.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula « De iure quaesito non tollendo » ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, dictarumque Quitensis et Guayaquilensis ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut etiam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu, scientia et pote-

statis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, (tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium; et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod dictus Seraphinus Archiepiscopus, eiusve subdelegatus infra sex mensium spatium ab expleta Litterarum Apostolicarum exequutione ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem exemplar, authentica forma exaratum, tum decreti exequutorialis, tum aliorum quorumcumque, quae super hac re facta fuerint, una cum topographica charta totius novae sic erectae Portus Veteris Dioecesis transmittere teneatur, ut insimul in Archivio Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consistorialibus negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et observantiam custodiatur.

Volumus etiam, quod praesentium Litterarum Apostolicarum transumptis etiam impressis, manu ta-

men alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, disiunctionis, dismembrationis, exemptionis, efformationis, evectionis, elationis, constitutionis, declarationis, erectionis, facultatis, attributionis, concessionis, indulti, praecepti, mandati, decreti, reservationis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono decimo kalendas Aprilis (1) Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

G. Gori Svmmatarivs

N. Card. Paracciani-Clarelli.

Visa de Curia
Dominicus Bruti Abbreviator

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

(1) Idest 23 Martii 1870.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS R. P. D. ANTONIVS MARIA VALENZIANI EPISCOPVS FABRIANENSIS ET MATILICANVS CONVISITATOR APOSTOLICVS ORDINIS ARMENIORVM MONACHORVM S. ANTONII IN VRBE CONSTITVITVR.

VEN. FRATRI ANTONIO MARIAE EPISCOPO FABRIANENSI ET MATILICANO.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Apostolici ministerii ratio postulat, ut peculiarem curam Regularium Ordinum geramus; et solerter caveamus, ne a recto tramite deflectant, declinantes autem ad illum efficaciter revocemus. Ea de causa Apostolicis Nostris Litteris, quarum initium *Religiosas*, expeditis sub annulo Piscatoris die XXIII Februarii huiusce anni, quarum tenorem pro inserto praesentibus haberi volumus, Apostolicam Visitationem Antoniani Ordinis Monachorum Armenorum ex certis causis ibidem expressis indiximus, et Ven. Fratrem Antonium Iosephum Pluym Archiepiscopum Thyanensem, Nostrum in Urbe Constantinopolitana Delegatum, iisdem Litteris universi memorati Ordinis

Apostolicum Visitatorem renuntiavimus et constituimus, facta etiam illi potestate alias personas sibi benevisas in partes huius officii subdelegandi. Et ne huiusmodi Visitationi impedimento ulla ratione esse posset Abbatis Generalis auctoritas, mandavimus, ut Ven. Frater Placidus Kasangian, qui hactenus ex indulgentia Nostra et ad nutum S. Sedis munus istud gesserat, ab officio Abbatis Generalis praefati Ordinis discederet et cessaret omnino.

Equidem optandum fuisset, ut idem Ven. Frater Antonius Iosephus Apostolicam visitationem Romae auspicatus esset: verum gravissimae et numquam satis improbandae perturbationes, quibus Constantinopolitana Armeniorum Ecclesia iam inde divexabatur, suaserunt, ut illuc quantocius remearet, rei catholicae consulturus. Idcirco memoratae visitationi in hac alma Urbe peragendae, vices et facultates suas subdelegavit dilecto filio P. Ignatio ab Infante Iesu sacerdoti professo et Consultori Generali Congregationis, cui a SSma Cruce et Passione D. N. I. C. titulus est. Qui quidem cum ex peculiaribus causis Nobis notis et probatis veniam petierit se abdicandi praedicto munere Visitatoris subdelegati, Nos eiusdem votis annuendum censuimus; ac propterea hanc eius renunciationem vi praesentium Litterarum admittimus et excipimus.

Cum vero necessarium omnino sit, ut Apostolica visitatio praedicti Antoniani Armenii Ordinis Romae peragatur, eiusque necessitatis nova de die in diem argumenta suppetant, idcirco de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ri-

tus Orientalis, Te praefato Ven. Antonio Iosepho in praedicto visitationis opere exsequendo adsciscimus, et Convisitatorem constituimus, ut religiosam familiam, et domum cum continenti ecclesia praefati Ordinis Armeniorum Monachorum, quae est in hac alma Urbe Nostra, auctoritate Apostolica visites in spiritualibus et temporalibus: eaque de causa facultates omnes necessarias et opportunas vi praesentium Litterarum Tibi concedimus et impertimus. Praecipimus autem, ut sicuti per praecedentes Litteras Nostras omnino cessavit ab officio Abbatis Generalis Ven. Frater Placidus, ita ex nunc cessent officia omnium qui in eadem domo sunt, quocumque nomine illa veniant: nullaque ibidem canonica existat auctoritas sive in spiritualibus sive in temporalibus, quae a Te non procedat. Porro integrum Tibi erit eiusdem Domus gubernium et administrationem per Te ipsum exercere, vel Regularem Superiorem ibidem constituere: quem iis tantummodo facultatibus et non aliis pollere decernimus, quas Tu illi concedendas existimaveris.

Mandamus proinde in virtute sanctae obedientiae universis et singulis dicti Ordinis Monachis cuiuscumque gradus et dignitatis, etiamsi episcopalis vel archiepiscopalis, qui in praefata religiosa domo versantur, aut postea versari contingat, omnibusque et singulis ad quos spectat seu spectabit, ut Te in Apostolicum Convisitatorem per Nos electum ex praesentium tenore recipiant et admittant, Tibique in omnibus, quae ad praefatum officium pertinent praesto sint et obediant, Tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adim-

pleant. Quod si secus fieri contingat, volumus ut Tu, Ven. Frater, ea usus potestate, quam vi praesentium Litterarum Tibi tribuimus, contra inobedientes ac rebelles cuiuscumque gradus ac dignitatis etiam episcopalis vel archiepiscopalis existant, procedas prout de iure: Nos enim sententiam sive poenam quam in eosdem rite tuleris ratam habebimus, et faciemus usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Haec volumus praecipimus atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non praedicti Ordinis regulis, constitutionibus, statutis, decretis, conventis etiam iuramento firmatis, nec non privilegiis, consuetudinibus, ceterisque licet speciali mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Tandem volumus, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu dilecti filii Nostri Cardinalis Praefecti, nec non dilecti filii Secretarii Congregationis praedictae de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis subscriptis, eiusdemque Congregationis signo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Aprilis MDCCCLXX. Pontificatus Nostri anno XXIV.

N. Card. Paracciani Clarelli.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Iesus Christus, ad Patrem caelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis, ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque co-

hibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni

christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei

veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum (1).

Nos itaque inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est

(1) Is. LIX. 21.

re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae prater ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (1).

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (2). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius (3), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

DE REVELATIONE.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (4): attamen placuisse eius sapientiae et boni-

(1) Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter.*
(2) Sap. VIII. 1.
(3) Cf. Hebr. IV. 13.
(4) Rom. I. 20.

tati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio (1).

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (2).

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt (3). Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et

(1) Hebr. I. 1-2.
(2) 1. Cor. II. 9.
(3) Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

DE FIDE.

Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter

intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (1).

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (2). Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco (3).

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati (4). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum

(1) Hebr. XI. 1.
(2) Marc. XVI. 20.
(3) 2. Petr. I. 19.
(4) Syn. Araus. II. can. 7.

Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes (1), et ad se invitet, qui nondum credide-

(1) Is. XI. 12.

runt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur myste-

ria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est (1), pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: — Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei (2). Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis (3).

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem (4).

(1) Ioan. I. 17.
(2) 1. Cor. II. 7-9.
(3) Matth. XI. 25.
(4) 2. Cor. V. 7

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare séipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus (1). Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem falláciam (2). Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem praeseferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Qua-

(1) Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis.*
(2) Coloss. II. 8.

propter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (1).

(1) Vinc. Lir. Common. n. 28.

CANONES.

I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

DE REVELATIONE.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

DE FIDE.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

DE FIDE ET RATIONE.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem

Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Recitata Constitutione ex ambone, latisque a singulis Patribus suffragiis, Summus Pontifex assurgens Decreta et Canones, qui in hac Constitutione continentur, solemniter confirmavit his verbis:

Decreta et Canones qui in Constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, nemine dissentiente, Nosque, sacro approbante Concilio, illa et illos ut lecta sunt definimus, et Apostolica auctoritate confirmamus.

Ita est.

IOSEPHUS
Episcopus S. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

LITTERAE

AD ARMENOS CATHOLICOS PATRIARCHATVS CILICIAE

DILECTIS FILIIS ARMENIS CATHOLICIS
PATRIARCHATVS CILICIAE

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo impensiore studio Armeniorum Ecclesiae res erigere nisi sumus, et ad eum adducere ordinem eamque concordiam et firmitatem, quae antiquum ipsi decus referre possent, eo acerbius afficimur a nonnullorum malitia, qui curas Nostras omnes non modo frustrantur, sed per machinationes suas convertunt in animorum dissidium, in pusillorum scandalum, in propriae gentis perniciem. Mala sane eorum artibus excitata et iugiter invalescentia enumeravimus Litteris Nostris Apostolicis « *Non sine gravissimo* » quas dedimus die vigesima quarta Februarii huius anni, dum ad ea compescenda et dirimenda remittebamus ad vos Venerabilem Fratrem Antonium Iosephum Archiepiscopum Thyanaeum, Delegatum Nostrum Apostolicum.

Verum hodie gravius quoque dolere cogimur, quod nec suavitate eius, nec prudentia, nec auctoritate, perversorum audacia frangi, aut molliri ulla ratione potuerit. Ipse quidem vix Constantinopolim appulsus, memor ecclesiasticae lenitatis, accivit ad se praecipuos perturbationum auctores, eosque paternis monitis ad debita obsequia reducere conatus est. Frustra hanc industriam expertus, publice proposuit Litteras Nostras, quibus peculiaria novorum eventuum adiuncta commendantes eius zelo, confirmabamus Constitutionem Nostram « *Reversurus* » editam die duodecima Iulii 1867 pro recta Episcoporum electione, revocare nitebamur ad officia proprii instituti Clerum saecularem et Monachos, Laicos monebamus, ne limites ipsis ab Ecclesia constitutos excederent, et perspicue demonstrabamus inanitatem prolatarum a refractariis expostulationum. Ea vero occasione idem Ven. Frater Antonius Iosephus comminatus fuit ecclesiasticas censuras iis e clero, qui legitimae auctoritati intra statos dies se subiicere renuerent. At cum eos dies incassum dilabi vidisset prorogandum adhuc censuit praestitutum terminum, nec antea reluctantes suspensione innodavit, quam cognovisset, inutilem iam omnem esse patientiam, et praevertendum esse per hanc severitatem periculum ulterioris deceptionis simplicium.

Qui tamen ita mulctati fuerant non modo nihil de contumacia sua remiserunt, sed poenam ipsam convertentes in atrocius facinus, et gravius aliorum scandalum, impudenterque contemnentes Ecclesiae auctoritatem et leges, palam et etiam solemniore ritu omnia sacri ministerii munia sibi vetita obire

perrexerunt. Quo in crimine summopere dolemus, saecularibus aliquot sacerdotibus accessisse, ex Monachis Constantinopoli degentibus, fere omnes Mechitaristas Venetae Congregationis, universosque Monachos Antonianos; nec ab istorum ingenio admodum discrepasse qui hanc Nostram incolunt urbem. Hi enim non modo restiterunt visitationi Apostolicae eorum domus a Nobis demandatae, sicuti fratres eorum in Oriente, pluriesque priorem et alterum electum Visitatorem reiecerunt; sed omnes, nulla petita venia, se subduxerunt Nobis. Quos inter etiam Venerabilis Frater Placidus Kasangian, qui Antiochenae Ecclesiae titulo consecratus Congregationi toti iam praefuerat, immemor profecto muneris sui et censurarum Episcopos urgentium, qui, non impetrata Pontificia venia Concilium deserant, discessit.

Verum ipsa rebellium pervicacia, artesque ad concitandos animos adhibitae pretiosiorem Nobis faciunt et iucundiorem plurimorum firmitatem, qui nec insidiis, nec blanditiis, nec minis ab obsequio Nostrae, legitimaeque auctoritati debito se abduci siverunt. Quos inter commendandos nominatim censemus Mechitaristas Vindobonensis Congregationis, qui deploranda aliorum defectione minime labefactati, immoti persliterunt in officio. Haec vero tot piorum constantia in tanto discrimine merito Nobis spem facit vos, Dilectos Filios, humano quovis respectu posthabito, strenue sectaturos esse nobilia patrum vestrorum vestigia, qui fidem suam fluxis hisce praeferentes, exilium potius et aspera quaeque pertulerunt alacriter, quam infirmari paterentur coniunctionis suae vincula cum hoc unitatis catholicae centro, aut quidquam detrahi

de veneratione, qua documenta, regulasque prosequebantur ab ista veritatis magistra propositas. Id autem securius etiam expectamus a fide vestra, quod experti noveritis, quanta sollicitudine, quantoque studio Sancta ista Sedes gentis vestrae commodis, incremento et honori prospicere curaverit, sive a vobis avertendo schismaticorum insectationes, sive comparando vobis libertatem cultus, sive subducendo vos a iugo schismaticorum Patriarcharum, sive Primatialem sedem Constantinopoli constituendo; quae, addictis ei primum suffraganeis Ecclesiis, demum per coniunctionem eius cum Patriarchatu Ciliciae decorata fuit Patriarchae commoratione. Ita ut quocumque intendatis oculos conspicere debeatis, vigorem, libertatem, decus, quibus fruimini, accepta potissimum esse referenda studio in vos et affectui huius S. Sedis; vestrumque propterea interesse, ne ab illa ullo modo desciscatis.

Nec decipi patiamini a rebellium artibus, qui, ut vos ad se facilius pertrahant, passim asseverant, se sua agendi ratione, nec a fide et observantia Nobis debita, nec a catholicorum officio deficere; isti enim factis negant quod verbis confitentur. Et sane qui praefracte detrectant et contemnunt auctoritatem Successorum Petri, in quibus Petrus perpetuo vivit, et eorum qui sibi ab illis praepositi fuerunt; facto suo primatum illum inficiantur honoris simul et iurisdictionis in universam Ecclesiam, quem Christus Petro contulit, dum pascendi non minus agnos, quam oves totius gregis sui, seu regendi Ecclesiam, qua late patet in orbe toto, munus ei commisit. Iam vero in hoc plane censu apud

vos habendi sunt illi, qui et legitimi Patriarchae vestri, et eius, qui pro ipso Vicaria potestate fungitur, auctoritatem despexeruut; qui neglexerunt, aut recipere recusarunt istius sententias; qui eo pervenerunt, ut legitimam illius electionem, ut ut rite peractam et confirmatam a Nobis revocarent in dubium; qui restiterunt Delegato Nostro; qui eum muneris sui exercitio, quoad indictam a Nobis monasteriorum visitationem prohibuerunt; qui diserte se professi sunt *independentes*; qui id facto confirmarunt, dum non modo, exacto iam tempore demandatae sibi iurisdictionis, excipere perrexerunt fidelium confessiones, sed id facere praeterea ausi sunt postquam per editam suspensionis sententiam ipsis omnino fuerat eo munere interdictum; qui sacerdotalia omnia ministeria publice, et solemniori etiam ritu obire non destiterunt, in ecclesiasticarum censurarum contemptum; qui demum nihil sibi reliquum fecerunt, quo apertissime significarent, flocci se facere canonicas leges, legitimaeque potestatis, et istius S. Sedis auctoritatem. An istis qui tanta insurgunt audacia in auctoritatem Nostram, tantaque pervicacia perstant in proprio crimine, fides adhibenda sit dum profitentur, sentire se de primatu huius S. Sedis, uti catholicos decet, seque manere coniunctos Nobis et obsequentes, facile vos ipsi perspicietis. Quamobrem si discedere veremini ab ea catholica unitate, extra quam non est salus, si verae utilitati gentis vestrae prospicere cupitis, cavete ab artibus et insidiis istorum. Advertite vero potissimum ne vobis ingeratur confusio rituum et disciplinae, quam isti callide nituntur inducere in simplicium

animos, ut eos concitent in hanc S. Sedem, quam eo demum spectare iactant, ut paulatim, veteribus Orientalibus Ecclesiae ritibus obliteratis, iis latinum ritum sufficiat. Nam si Romani Pontifices studuere semper, ut unitati Ecclesiae responderet uniformitas disciplinae, quoad praecipua saltem capita; ritus tamen omnes, qui nec a recta fide, nec ab honestate deflecterent, servandos censuerunt. Defectio vero mox a Nobis reprobata ritus certe non spectat, sed disciplinam, quam nisi Christi Vicarius moderari possit ubique, frustra totius Ecclesiae regimen ei erit commissum; adeoque eam etiam praefert indolem quae ab illa recta fide desciscat, quam de divino Summi Pontificis primatu catholicos tenere oportet.

Futurum quidem confidimus, ut qui pertinaciter hactenus in sua defectione perstiterunt, Dei opitulante gratia, tandem resipiscant, et ad debitum revertantur obsequium. Verum si in sua contumacia permanserint, Nos memores, demandatam esse Nobis totius Dominici gregis curam, et Apostolum Paulum Satanae tradidisse Corinthium, ut fidelium scandalum submoveret, et ipsius quoque sontis spiritum salvum faceret; putrida haec membra, quae iam ultro secesserunt a capite, seiungere cogemur a ceteris, ne reliquum corpus contagione sua inficiant, reosque omnes schismaticos declarabimus, et ab Ecclesiae sinu divulsos. Utinam ipsi tantae poenae horrore perterriti redeant ad cor, conversique ad meliorem frugem molestissimam a Nobis avertant necessitatem tristissimi huius exercitii muneris Nostri. Et quo magis aberraverunt a via veritatis

ac iustitiae, eo demissiore obsequio se subiiciant Nostrae, legitimaeque ecclesiasticae auctoritati; et lapidem offensionis, quem sua agendi ratione pusillis obiecerunt, obedientiae suae et humilitatis exemplo tollere nitantur e medio, Nobisque sic optatissimam faciant potestatem paterno rursus eos excipiendi complexu.

Vos autem, qui licet difficultatibus et periculis circumsepti, perstitistis immoti, ab istorum discrimine moniti videte quomodo caute ambuletis, confirmamini in fide vestra, obsequentius semper obedite praepositis vestris, memores, omnem potestatem, maxime vero sacram, esse a Deo: et a sollicitudine Nostra studioque vestrae salutis et utilitatis excitati, sedulo fovete in vobis religiosam illam observantiam, qua sanctam Sedem prosequimini, et filialem illam caritatem, qua iungimini Nobis, ut unum semper Nobiscum esse possitis in Christo Iesu, Eiusque promereri benedictiones. Haec enixe poscimus a Patre misericordiarum, cuius gratiam in vos omnes affatim effundi desideramus. Superni vero favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vigesima Maii MDCCCLXX. Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE SEDIS EPISCOPALIS CAMPIFONTIS
SEV SPRIGFIELD IN DITIONE MASSACHVSETTS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ex commissi Nobis ab alto pastoralis officii debito ea omnia praestare alacri libentique solemus animo, quae in Christiani nominis bonum atque in universi Dominici gregis utilitatem et commodum cessura dignoscamus. Iam vero quum Venerabiles Fratres Archiepiscopus et Sacrorum Antistites Ecclesiasticae Provinciae Neo-Eboracensis in foederatis Americae Statibus enixe a Nobis postulaverint, ut a latissima dioecesi Bostoniensi, quae intra eiusdem provinciae Neo-Eboracensis limites consistit, nonnullas seiungamus partes, Comitatus nempe, qui nominantur, Berkshirc, Franklin, Hampshire, Hampden et Worcester, et novam ex hisce Comitatibus in Statu Massachusetts Episcopalem Sedem erigere de Apostolica auctoritate Nostra velimus, re cum Venera-

bilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Christianae fidei propagandae praepositis maturo diligentique perpensa examine, quum id maximo religionis bono et fidei incremento futurum noverimus, huiusmodi postulationibus obsecundandum censuimus, deque eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio ad novae in supradicto Statu dioecesis erectionem deveniendum decrevimus. Quare de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine novam in Ditione Massachusetts erigimus dioecesim, quae Comitatibus vulgari sermone Berkshire, Franklin, Hampshire, Hampden et Worcester nominatis constabit, ac proinde eosdem Comitatus a Bostoniensi dioecesi seiungimus, atque ab illius Episcopi iurisdictione omnino eximimus, atque ita seiunctos et exemptos novae huic dioecesi attribuimus. Novae autem huiusce dioecesis, quam Suffraganeam Neo-Eboracensi Episcopo assignamus, Episcopalem Sedem in Campifontis civitate, vulgo Sprigfield constituimus, eidemque dioecesi ab memorata Campifontis (Sprigfield) Civitate nomen fieri mandamus. Praecipimus item, ut nova haec per Nos instituta Campifontis dioecesis omnibus perfruatur iuribus, honoribus, et privilegiis, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur et gaudent. Haec volumus et mandamus decernentes has Litteras Nostras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iu-

et inflammare volentes, Tibi, tuisque in Oriolensi Pontificatu successoribus auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris potestatem facimus, cuius vi, durante tamen absentia Fratrum Karmelitarum, die decima sexta mensis Iulii singulis annis a Te, Venerabilis Frater, et a tuis in Oriolensi Pontificatu successoribus in ecclesia tertii Ordinis supradicti Apostolica Benedictio cum plenaria indulgentia in forma Ecclesiae consueta, servatisque servandis, impertiri adstantibus fidelibus libere possit et licite. In contrarium facientibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Iulii Anni MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno XXV.

N. Card. Paracciani Clarelli

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa

in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret (1). Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt, Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino

(1) S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui.

fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas (1), postquam ille suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (2). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas (3). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Aposto-

(1) Ioan. I. 42.
(2) Matth. XVI. 16-19.
(3) Ioan. XXI. 15-17.

lum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet (1). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo di-

(1) Cf. Ephesini Concilii Act. III.

spositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (1). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent (2).

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem

(1) S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.
(2) S. Iren. Adv. haer. l. III. c. 3. et Conc. Aquilei a. 381. inter epp. S. Ambros. ep. XI.

Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, ro-

boretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (1).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium (2), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectanctibus ad ipsius posse iudicium recurri (3); Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuipiam de eius licere iudicare iudicio (4). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romano-

(1) Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. XXX.
(2) Pii PP. VI. Breve, Super soliditate. d. 28. Nov. 1786.
(3) Concil. Oecum. Lugdun. II.
(4) Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

rum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri

Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas (1). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt; Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praede-

(1) Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII., Constantinopolitani IV., proposita et ab iisdem subscripta est.

cessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (1). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et Sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego

(1) Cf. S. Bern. Epist. CXC.

rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

Atvero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eius-

modi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Recitata Constitutione ex ambone, latisque a singulis Patribus suffragiis, Summus Pontifex assurgens Decreta et Canones, qui in hac Constitutione continentur, solemniter confirmavit his verbis:

« Decreta et Canones, qui in Constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis, Nosque, sacro approbante Concilio, illa et illos ita, ut lecta sunt, definimus et Apostolica auctoritate confirmamus. »

Ita est.

IOSEPHUS
Episcopus S. Hippolyti
Secretarius Concilii Vaticani.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE NOVA CIRCVMSCRIPTIONE TRIVM VICARIATVVM IN BIRMANICA REGIONE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod Catholici nominis bonum postulare videbatur, ut Vicariatus Avensis et Peguensis, qui amplissimum territorium Birmanicum, ibique finitimas regiones complectitur, in plures Vicariatus divideretur, quo facilius illis gentibus magna ex parte Idololatriae tenebris adhuc obcaecatis Evangelii lux effulgeret, id per Apostolicas Litteras, hac eadem forma die XXVII Novembris Anni MDCCCLXVI datis, praestitimus, et memoratum territorium tres in partes divisimus, certis unicuique parti limitibus adsignatis. At enim cum nova documenta et rationes illud post tempus ab Evangelicis Praeconibus, qui iis in regionibus morantur, in medium adductae fuerint, ut alia finium descriptio, quae magis in rem foret, a Nobis decerneretur, Nos, quibus Ecclesiae

universae cura est demandata, de illorum fidelium bono solliciti, iterum rem detulimus ad Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositos, omnibusque rei momentis sedulo perpensis, de eorum consilio, haec, quae infra scripta sunt, statuenda censuimus. Primum quidem dictas Nostras Litteras, in forma Brevis, quas die XXVII Novembris Anni MDCCCLXVI dedimus, tenore praesentium Apostolica Nostra auctoritate abrogamus, nulliusque momenti, et irritas declaramus. Deinde Birmanicam regionem tres in partes, seu Vicariatus dividimus, Vicariatum nempe Birmaniae septentrionalis, Birmaniae meridionalis, et Birmaniae orientalis. Tandem unumquemque horum Vicariatuum iis, qui sequuntur, terminis volumus circumscriptum. Vicariatui septentrionali, qui Birmaniam proprie dictam complectitur, illam territorii partem adsignamus, quae a septentrione Sinensi provincia Yun-nan nuncupata, ab oriente eadem provincia et flumine Saluaen clauditur; ad meridiem finibus possessionum Anglicarum, et territorii independentis Karian tribuum continetur; ad occidentem denique montibus Yehomadong, ac limitibus Imperii Birmanici per regiones Tipperah independentis, Mounipourii, et Assam terminatur. Vicariatui Meridionali pariter illam tribuimus quae Anglorum dominationi subest, et ad boream limites usque Birmanici Imperii attingit; ad ortum montes qui possessiones Anglicas a Karianis tribubus et Siamensi regno separant, per territoria Pegu, Marraban, et Tenasserim usque ad Isthmum, quo Malacae peninsula iungitur continenti. Ad au-

strum vero clauditur sinu Bengalico et Martabanico, additis Insulis Andamant nuncupatis; tandem ad occasum montibus Yehomadong continetur. Porro Territorium regni Arakan, quod memoratis montibus Yehomadong et Bengalico sinu circumscribitur, adiungimus Vicariatui Bengalae Orientalis. Denique Vicariatui Orientali eum terrae tractum relinquimus, qui ad orientem a flumine Salvaen pervenit usque ad flumen Me-Kong, atque a septentrione Sinensi provincia Yun-nan; ab oriente flumine Me-Kong; a meridie finibus Regni Xien-mar, circa vigesimum latitudinis Septentrionalis gradum, terminisque tribuum Karianarum, quae in hoc Vicariatu continentur, tandem ad occidentem iisdem finibus et Saluaen flumine clauditur. Huic vero Missioni Urbem Jon-ghoo in Peguensi territorio tamquam refugii locum relinquimus. Haec statuimus, mandamus, edicimus decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordi-

nationibus, nec non memorati territorii Birmanici etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX Iulii MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno XXV.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS MISSIO BENGALAE ORIENTALIS IN PRAEFECTVRAM APOSTOLICAM ERIGITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ex debito Pastoralis officii Humilitati Nostrae divinitus commendati ad eas praesertim Dominici gregis partes curas cogitationesque Nostras intendimus, quae longis terrarum marisque tractibus seiunguntur. Itaque si forte obtigerit, ut novas Dioeceses Vicariatusve, aut Praefecturas, in tam dissitis regionibus erigendo Christiani nominis incolumitati ac bono satius uberiusque prospici intelligamus, id actutum praestare de Apostolica Nostra auctoritate solemus. Cum itaque nuper expositum Nobis fuerit catholicae rei admodum profuturum si Missio Bengalae Orientalis, quae hactenus a Calcuttensi Vicariatu dependebat, in Praefecturam Apostolicam independentem a praedicto Vicariatu erigeretur, Nos de ea re mature egimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus

negotiis propagandae fidei praepositis; omnibusque rationum momentis sedulo perpensis, ad propositam erectionem deveniendum censuimus. Quae cum ita sint, ut spirituali Christifidelium bono, qui illa incolunt loca, uberius consultum sit, Missionem Bengalae Orientalis a Calcuttensi Vicariatu separamus, eamque in Praefecturam Apostolicam, ab illo Vicariatu independentem, hisce Litteris, auctoritate Nostra Apostolica erigimus et constituimus. Porro Missionem Bengalae Centralis ita definimus, ut Provincias civiles quae sequuntur complectatur; nimirum *Nuddya*, *Raishay*, *Bogra*, *Malda*, *Moorshedabad* et partem *Sunderbunds*, quae pervenit usque ad limites meridionales et occidentales territorii *Goordanya*, *Ionnuyur*, *Nuka*, *Konkurnugur*, et *Booreedunga*. Praeterea ad septentrionem et ad orientem Provincias adiicimus *Dinazapore*, *Rungpore*, *Cookbehar*, *Boutan*, *Assam*, et *Furredpore*, in quas hactenus Evangelii Praecones haud se contulerunt. Haec volumus, statuimus, edicimus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Aposto-

licis, ac Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, nec non dictae Missionis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX Iulii MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno XXV.

N. Card. Paracciani Clarelli

Ordinationibus, nec non speciali ac individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII Iulii MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno XXV.

N. Card. Paracciani-Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ACCVRATE CONSTITVVNTVR LIMITES VICARIATVS APOSTOLICI SIAMENSIS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ecclesiae universae divinitus Nobis commissa cura postulat ut ea praestare maturemus, quae catholico nomini bene, prospere, atque feliciter eveniant. Itaque vix dum relatum est Nobis haud exiguo religionis emolumento fore si limites Vicariatus Apostolici Siamensis, habito respectu ad finitimos Vicariatus Cambodiae, Birmaniae Orientalis, Birmaniae Meridionalis, ac Peninsulae Malacae accuratius constituerentur, statim ea de re egimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae fidei praepositis, ac singulis universisque rei momentis sedulo perpensis, de eorumdem Venerabilium Fratrum consilio haec, quae infra scripta sunt, Apostolica Nostra auctoritate decrevimus. Vicariatus Apostolici Siamensis limites a septemtrione clausos volumus finibus Meridionalibus Missionis Birmaniae Orientalis per vigesimum gradum latitudinis Borealis. Ab oriente flumine

hactenus est vocitatus, Vicariatus orae Benini debeat in posterum nuncupari. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri rec. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dicti Vicariatus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VICARIATVS APOSTOLICVS SINENSIS PROVINCIAE DE HVPE IN TRES DISTINCTOS VICARIATVS DIVIDITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae Christianae rei procurationi potius feliciusque expediendae maxime facere intellexerimus, ea pro supremi Apostolatus munere, quod fungimur, praestare maturamus, Nostra auctoritate idcirco interposita. Itaque simul ac Venerabilis Frater Eustachius Zanoli Episcopus Eleuteropolitanus, ac Vicarius Apostolicus Sinensis Provinciae de Hupe Nobis exposuit, magno catholicae fidei emolumento fore, si territorium sui Vicariatus in tres partes dividatur, singulae vero in distinctas missiones erigantur; in Vicariatum nempe orientalem, occiduo-septemtrionalem, et occiduo-meridionalem, Nos rem egimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis fidei Propagandae praepositis; omnibusque rationum momentis attente perpensis, de eo-

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS IN INSVLA TERRAE NOVAE DVAE NOVAE PRAEFECTVRAE APOSTOLICAE ERIGVNTVR

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae Catholieae rei fauste feliciterque procurandae maxime facere intelligimus, ea, ex supremi Apostolatus munere quod fungimnr mature praestamus. Itaque simul ac relatum est, catholico nomini summopere expedire, si in Insula Terrae Novae duarum dioecesium Sancti Ioannis nimirum et Portus Gratiae, aliquatenus limites immutarentur, et duae novae erigerentur Praefecturae, Nos cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis rem communicavimus, singulisque rationum momentis attente perpensis, quae infra scripta sunt censuimus decernenda. Quare memoratorum Venerabilium Fratrum consilio, auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris in Insula Terrae Novae duas novas Praefecturas erigimus et constituimus, quarum alteri a

Sancto Georgio, alteri a Placentia nomen facimus. Parva utraque Praefectura his, qui sequuntur, terminis definiatur. Praefectura Sancti Georgii incipiat a sinu La Poil exclusive, usque ad sinum Sanctae Genovefae in parte occidentali, eidemque adscribatur ea pars dioecesis Portus Gratiae, quae a memorato sinu Sanctae Genovefae ad sinum insularum protenditur. Praefectura vero Placentiae nuncupata a parte occidentali sinus eiusdem nominis, ad sinum La Poil inclusive extendatur. Quod vero spectat ad terminos Dioecesium Sancti Ioannis et Portus Gratiae eos ita componimus ac constituimus, ut duo Paroeciae vulgo dictae Brigus, et Harbour-Main Dioecesi Portus Gratiae accedant, atque termini posterioris Paroeciae ex hac parte utriusque dioecesis limites definiant. Volumus denique ut quousque, per Nos atque hanc Sanctam Sedem Apostolicam haud aliter provisum fuerit, Praefectura Placentiae, quae nominatur, Antistiti Sancti Ioannis in administrationem detur. Haec statuimus, mandamus, edicimus decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praede-

lariam expeditae, ea de re expediri mandavimus. At enim cum Venerabilis Frater Nicolaus Adames Episcopus Alicarnassensis, et Vicarius Apostolicus in memorato Ducatu, enixe postulaverit, ut nova Luxemburgensis Ecclesia, non secus ac Vicariatus antea existens ceteraeque Episcopales Ecclesiae in Hollandia erectae sub directione et dependentia manerent Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Fidei Propagandae negotiis praepositorum, Nos ad rem iterum animum appulimus, atque attente consideratis omnibus rationum momentis quae ab Alicarnassensi Episcopo adductae sunt, motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, haec, quae infrascripta sunt, decrevimus.

I. Vicariatum Apostolicum Luxemburgensem usque adhuc extantem omnino suppressum atque extinctum declaramus.

II. Civitatem Luxemburgensem in Magno eiusdem nominis Ducatu ad Episcopalis civitatis titulum, honorem et privilegium, sicuti ceterae Episcopales Civitates in Hollandia, evehimus, eamque pro uno eiusdem nominis ordinario Pastore residentiam statuimus, adsignamus.

III. Ecclesiam, quae inibi praestat, sub titulo B. Virginis Mariae Consolatricis Afflictorum, quae satis apta, decora et opportuna dignoscitur, retenta sui prisci nominis invocatione, nec non paroecialitate, quam habet, ad Episcopalem Ecclesiam efferimus, cum omnibus honoribus, iuribus, privilegiis, quibus ex iure communi ceterae Episcopales Ecclesiae in Hollandia nuperrime erectae utuntur fruuntur.

IV. Inibi igitur Cathedra constituatur et Sedes Episcopalis pro uno adsciscendo ordinario Episcopo Luxemburgensi, cum omnibus item honoribus, iuribus, ac privilegiis, quibus ex communi iure et legitima consuetudine in Hollandiae Regno ceteri novissimi Episcopi potiuntur.

V. Delegato Apostolico haec ad exequenda infra designando committimus, ut Capitulum Canonicorum, ceterorumque qui Ecclesiae Cathedralis servitio debent esse mancipati erigat, instituat, iuxta normam S. Concilii Tridentini, Apostolicarum Constitutionum, nec non aliarum in Hollandia Cathedralium novissime erectarum.

VI. Idem Delegatus tum Cathedralis Ecclesiae servitium, tum insignia huiusmodi Luxemburgensis Capituli Cathedralis, tum alia omnia quae necessaria sunt ad hanc rem rite iuxta sacros canones conficiendam, ad normam etiam aliarum in Hollandia mox erectarum Cathedralium constituat, decernat.

VII. Cum vero in Civitate Luxemburgensi iam extet Clericorum Seminarium, idcirco Delegatus Apostolicus omnia similiter statuat, declaret, quae ad Episcopale Seminarium constituendum necessaria dignoscuntur, iuxta sacrorum Conciliorum, praesertim Tridentini, et Apostolicarum Constitutionum sanctiones.

VIII. Nova haec sic erecta atque constituta Episcopalis Sedes Luxemburgensis iisdem omnino dioecesanis limitibus contineatur, quibus antea sub Apostolico mox suppresso Vicariatu sepiebatur; reservata tamen Nobis et Sanctae huic Sedi Aposto-

licae facultate, alteram quandocumque instituendi totius Dioecesis circumscriptionem.

IX. Porro volumus mandamus, praecipimus, ut Luxemburgensis Episcopatus Sanctae huic Sedi Apostolicae sit immediate subiectus, ita tamen ut sub dependentia Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum manere pergat.

X. Tandem Apostolicum ad haec munia exequenda delegatum statuimus deputamus dilectum filium Angelum Bianchi Nostrum et Sanctae huius Sedis apud Hollandiae Aulam Internuntium, eique idcirco omnes et singulas facultates necessarias, et opportunas tribuimus ac impertimus, facta eidem venia alteram personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi. Ipse vero, ac subdelegata persona teneantur post tres menses ab exequutione confecta, omnia acta, quae in id lata fuerint, ad memoratam Venerabilium Fratrum Congregationem negotiis Propagandae Fidei praepositam transmittere, adiecta Charta topographica huius novae sic erectae Dioeceseos Luxemburgensis.

Haec volumus, statuimus, edicimus decernentes praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedecessoris Nostri rec. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dicti Vicariatus Luxemburgensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Item volumus ut praesentium Litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Septembris MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

N. Card. Paracciani Clarelli

EPISTOLA

AD OMNES S. R. E. CARDINALES SINGILLATIM DATA.

PIVS PP. IX.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Dominus Noster Iesus Christus qui humiliat et sublevat, mortificat et vivificat (1), flagellat et salvat (2), permisit nuper ut haec romana urbs Supremi Pontificatus Sedes in hostiles manus incideret una cum reliqua illa parte ecclesiasticae ditionis, quam inimici ipsi aliquandiu ab usurpatione immunem relinquendam censuerunt. Paternae Nos caritatis affectu adducti erga dilectos Filios Nostros S. E. R. Cardinales, ac in Ipsis cooperatores huius supremi Nostri Apostolatus respicientes, constituimus hodie in luctu et moerore Nostro Eisdem declarare, uti officii Nostri ratio postulat, et ipsa Nos conscientiae vox urget, intimos animi Nostri sensus, queis palam et aperte hunc praesentem rerum statum detestamur ac reprobamus. Nos enim qui licet indigni et immerentes vicaria Christi Domini in terris potestate fungimur, et qui Pastor sumus in universa

(1) 1. Reg. 2. 6.
(2) Tob. 13 2.

domo Israel, nunc libertate illa carere reipsa experimur, quae ad regendam Ecclesiam Dei, eiusque rationes curandas omnino Nobis necessaria est, atque hanc protestationem a Nobis emittendam esse ex officii Nostri debito sentimus, eam publicis etiam consignare litteris in animo habentes, ut universo catholico orbi, veluti par est, innotescat. Nec vero cum ereptam ademptamque Nobis huiusmodi libertatem testamur, illud potest ab adversariis Nostris reponi, huiusmodi querelam et declarationem fundamento carere: nemo enim est sanae mentis quin videat et fateatur, quod erepta Nobis suprema illa ac libera potestate, qua in publici cursus usu, proindeque in publico epistolarum commercio civilis Nostri Principatus iure fruebamur, et cum fidere non possimus Gubernio ipsi quod eam sibi potestatem arrogavit, necessaria expeditaque via ac libera facultate prorsus destituamur negotia agendi, quae Iesu Christi Vicarius et communis Fidelium Pater, ad quem filii ex omni orbe confugiunt, omnino pertractare ac expedire debet. Quae sane observatio recenti etiam facto luculentius confirmatur, quod superioribus diebus accidit, quibus scilicet ii qui e Vaticani Nostri domicilii limine egrediebantur, perquisitioni subiecti fuere, explorantibus novi Gubernii militibus, si quae illi sub vestimentis occulerent. Contra huiusmodi rem reclamatum est, eique reclamationi erroris obtentu et excusatione responsum. At quis nesciat quam facili negotio huiusmodi allucinationes iterari, ac aliae ex aliis suboriri possint? Gravissimum praeterea malum in hac alma urbe institutionis publicae rationi impendet: non enim longe est ut in Lyceo

magno Urbis annuus disciplinarum cursus instauretur, atque ille locus qui maxima licet fere mille ac ducentorum iuvenum frequentia celebratus, hactenus tranquillitatis ac ordinis exemplo fuit, unicumque perfugium tot christianis honestisque parentibus, quo filios suos erudiendos absque hauriendae corruptionis periculo mitterent, ille quidem sive ob falsas erroneasque quae tradentur doctrinas, sive ob eorum ingenium qui ad eas tradendas eligentur, in eam conditionem prolapsurus esse intelligitur, quae a veteri longe discrepabit. Significatum porro fuit vigentes in urbe leges, eas ipsas, occupata urbe, integras inviolatasque permansuras, et tamen hisce declarationibus irritis, tabularia ipsa Paroeciarum urbis per vim excutiuntur et indagantur, nec obscurum est id fieri ad illas cognitiones petendas, quae tabulis fortasse militarium conscriptionum conficiendis inserviant, atque aliis finibus, qui facile perspici possunt. Hisce accedit quod insectationes et iniuriae ab ultionis cupiditate et partium studio profectae impunitae relinquantur, eademque impunitas servata est quoad foedas et indignas contumelias, quibus fideles Nostrorum militum cohortes de societate ac religione optime meritae, honestis viris dolentibus, fuerunt affectae. Ordinationes demum et decreta nuper edita quoad Ecclesiae bona, quo spectent usurpatorum consilia, iam satis aperte declararunt. Iamvero contra haec omnia quae iam gesta sunt, ac ea etiam quae deteriora imminent suprema Nostra auctoritate protestari intendimus, quemadmodum hisce Nostris litteris in praesentia protestamur, queis Tibi, dilecte Fili Noster, ac singillatim unicuique ex

S. E. R. Cardinalibus notam facimus peculiarium rerum quas breviter attigimus expositionem, id Nobis praeterea sumentes, ut alias uberiorem sermonem instituamus. Interea omnipotentem Deum fervidis ac non intermissis precibus obsecremus, ut inimicorum Nostrorum mentes illuminet, quo desinant animas suas ecclesiasticarum censurarum laqueis in dies magis obstringere, et terribilem Dei viventis ac videntis iram, cuius non est qui effugiat manum, in se concitare. Pro parte autem Nostra constanti animo ac humilitate divinam Maiestatem exoremus, Immaculata Deipara et Beatissimis Apostolis Petro ac Paullo deprecatoribus adhibitis, idque agamus sancta innixi fiducia ea quae petimus impetrandi, quoniam iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, ac prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Tibi interim, dilecte Fili Noster, pacem et gaudium a Domino Nostro Iesu Christo adprecantes, Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Septembris S. Michaeli Archangelo sacra. an. MDCCCLXX Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE MONASTERII FILIALIS CONGREGATIONI HELVETO-BENEDICTINAE IN AMERICA SEPTENTRIONALI

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Quod Monachis Ordinis Sancti Benedicti e Monasterio Beatae Mariae Virginis Einsidlensis apud Helvetos diu erat in votis, ut nempe domum aliquam filialem, uti vocant, in America Septentrionali conderent, in qua ab Religiosis eiusdem Ordinis Sodalibus ad sacrum ministerium iuvenes informarentur, atque unde novi Operarii mitterentur in messem Domini, illud, iuvante Deo, memoratis Monachis fauste feliciterque successit. Anno enim reparatae salutis MDCCCLII duo Religiosi sacerdotes, quibus ex animo in Domino benediximus, in Foederatos Americae Status ad opus hoc tam salubre ac frugiferum ex Monasterio illo profecti, Vincennopolim in Statu Indiano pervenerunt, ibique a Venerabili Fratre Mauritio de S. Palais Vincennopolitano An-

tistite humanissime et libentissime excepti, Sacris illico Missionibus operam dare, ministeriique sui partes summo studio atque industria variis in stationibus obire coeperunt, haud multo post in pago Spenar County, qui nominatur, sede firmata, possessionem satis amplam e collata idcirco a fidelibus stipe compararunt; dictoque Antistite annuente, eodemque probante, Missionis aedes extruere aggressi sunt. Hae, laetantibus plaudentibusque fidelibus, qui loca illa incolunt, die XXXI mensis martii anni MDCCCLIV, festo scilicet Sancti Patris Legiferi Benedicti, solemni ritu, sub invocatione Immaculatae Dei Genitricis inauguratae, quippe altera Eremus, titulo ac nomine Sancti Meinradi insignitae sunt. Crescentibus inde paulatim ex Monasterio materno viribus, transmarina Sancti Meinradi domus in Coenobium crevit, ubi monastica vita foveri atque exerceri; variae monasticae vitae occupationes inchoari, atque ad animarum curam, qua ibidem Religiosi Sodales distinebantur, monastica studia accedere; tum ad Ordinis Professos, iuvenesque instituendos, tum ad viciniae pueros erudiendos, atque ad pietatem virtutemque informandos. Conlegium deinde excitatum est, in quo studiosis adolescentibus a primis litterarum rudimentis ad scientiarum Theologicarum fastigium ascensus patet; iamque plures ex eo ad Domini vineam excolendam Sacerdotes prodiere. His omnibus ordine expositis, dilectus filius Abbas Monasterii Einsidlensis nuper Nobis adiecit, plures in novo Monasterio Sacerdotes professos, plures Accensos atque Candidatos Sodales reperiri, statumque temporalium rerum esse eiusmodi, ut de-

honesta Religiosae Familiae sustentatione nequeat dubitari. Quae cum ita sint, nomine etiam Monachorum, quotquot in memorato Monasterio Sancti Meinradi degunt supplices Nobis preces idem dilectus filius Abbas adhibuit, quo firmitati atque incremento huius operis consulere, Apostolica auctoritate Nostra dignaremur, aptius disposito regimine, quemadmodum ad aliorum Sancti Benedicti Institutorum bonum praestitum est. Nos igitur qui pro supremi Apostolatus munere quod fungimur, in id curas cogitationesque Nostras intendimus, ut Catholicum nomen ultimas etiam terrae plagas pervadat, atque Evangelii luce collustret, praefati dilecti filii Einsidlensis Abbatis obsecundandum votis existimavimus. Quam ob rem omnibus, quae adducta sunt, cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis sedulo attenteque perpensis, de eorumdem Venerabilium Fratrum consilio, haec, quae infra scripta sunt, Apostolica Nostra auctoritate decrevimus. I. Monasterium Sancti Meinradi in dioecesi Vincennopolitana exstans in Abbatiam absque territorio nullius dioecesis, vi praesentium, erigimus. II. Monachi eidem addicti, vel in posterum addicendi, in peculiarem Ordinis Sancti Benedicti Congregationem sub titulo Helveto-Americanae coalescere censeantur. III. Haec Congregatio praeter communem Sancti Benedicti regulam peculiaribus regatur constitutionibus, quae pro Congregatione Helveto-Benedictina approbatae existunt. IV. Eadem Congregatio adnexa seu *affiliata* habeatur dictae Congregationi Helveto-Benedictinae. V. Abbatis electio Capitulo sub

Episcopi, tamquam Sanctae huius Sedis Delegati, praesidentia demandetur; ita tamen ut eiusdem Capituli acta ad Sanctam Sedem mitti debeant, quo per eamdem sequuta electio confirmetur. VI. Abbati iura omnia et privilegia competant, quae penes Sancti Benedicti Ordinem, Abbatis, qui territorio nullius caret, propria dignoscuntur; quaeque memoratis Constitutionibus Helveto-Benedictinae Congregationis definiuntur. VII. Quod pertinet ad animarum curam, attentis praesertim illius regionis adiunctis, praeter communes Ecclesiastici iuris regulas, eae etiam a Benedictina Familia serventur, quae pro Missionibus generatim traditae sunt. VIII. Tandem si in Monasticum Conlegium studiorum causa saeculares Clericos cooptari contigerit, ius Episcopo competat super eorumdem doctrina et moribus investigandi. Haec volumus, mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Nostri Apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recol. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, nec non speciali atque individua men-

tione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX Septembris MDCCCLXX. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

N. Card. Paracciani Clarelli

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS OECVMENICVM VATICANVM CONCILIVM
SVSPENSVM DECLARATVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Postquam Dei munere Oecumenici Vaticani Concilii celebrationem inire anno proxime superiori Nobis datum est, vidimus sapientia virtute ac sollicitudine Patrum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus frequentissimi convenerant, maxime adnitente, ita res gravissimi huius et sanctissimi operis procedere, ut spes certa Nobis affulgeret, eos fructus quos vehementer optabamus, in Religionis bonum et Ecclesiae Dei humanaeque societatis utilitatem ex illo fore feliciter profecturos. Et sane iam quatuor publicis ac solemnibus Sessionibus habitis salutares atque opportunae in causa fidei Constitutiones a Nobis, eodem sacro approbante Concilio, editae ac promulgatae fuerunt, aliaque tum causam fidei tum ecclesiasticae disciplinae spectantia ad exa-

men a Patribus revocata, quae suprema docentis Ecclesiae auctoritate brevi sanciri ac promulgari possent. Confidebamus istiusmodi labores communi Fraternitatis studio ac zelo suos progressus habere, et ad optatum exitum facili prosperoque cursu perduci posse. Sed sacrilega repente invasio huius Almae Urbis, Sedis Nostrae, et reliquarum temporalis Nostrae ditionis regionum, qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicae Sedis Principatus inconcussa iura incredibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem coniecit, ut sub hostili dominatione et potestate, Deo sic permittente ob imperscrutabilia iudicia sua, penitus constituti simus. In hac luctuosa rerum conditione, cum Nos a libero expeditoque usu supremae auctoritatis Nobis divinitus collatae multis modis impediamur, cumque probe intelligamus minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma Urbe praedicto rerum statu manente, necessariam libertatem, securitatem, tranquillitatem suppetere et constare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas, cumque praeterea necessitates fidelium, in tantis iisque notissimis Europae calamitatibus et motibus, tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiantur; idcirco Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, praevia matura deliberatione, motu proprio eiusdem Vaticani Oecumenici Concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum, Apostolica auctoritate tenore praesentium suspendimus,

et suspensam esse nunciamus, Deum adprecantes auctorem et vindicem Ecclesiae Suae, ut submotis tandem impedimentis omnibus Sponsae Suae fidelissimae ocius restituat libertatem ac pacem. Quoniam vero quo pluribus et gravioribus periculis malisque vexatur Ecclesia, eo magis instandum est obsecrationibus et orationibus nocte ac die apud Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, volumus ac mandamus, ut ea quae in Apostolicis Litteris die 11 Aprilis anno proxime superiori datis, quibus indulgentiam plenariam in forma Iubilaei occasione Oecumenici Concilii omnibus Christifidelibus concessimus, a Nobis disposita ac statuta sunt, iuxta modum et rationem iisdem Litteris praescriptam in sua vi firmitate et vigore permaneant, perinde ac si ipsius Concilii celebratio procederet. Haec statuimus, nunciamus, volumus. mandamus, contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum et inane decernentes si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum suspensionis nunciationis voluntatis mandati ac decreti infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri ac Paulli Apostolorum Eius se noverit incursurum. Ut autem eaedem praesentes Litterae omnibus quorum interest innotescant, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, nec non S. Mariae Maioris de Vrbe affigi et publicari, sicque publicatas

et affixas omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX Octobris Anno MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.

N. Card. Paracciani Clarelli

EPISTOLA

AD ALIQVOT GERMANIAE EPISCOPOS IN CIVITATE FVLDENSI CONGREGATOS QVA LAVDAT EORVM VIGILANTIAM PASTORALEM IN MONENDIS FIDELIBVS CREDENDI ET PROFITENDI VERITATES IN VATICANO CONCILIO DEFINITAS.

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Inter gravissimas afflictiones, quibus improbi homines post multa detestanda facinora, conculcatis non solum religionis sed etiam naturalis iustitiae et honestatis iuribus, tandem calicem amaritudinis Nostrae usque ad summum compleverunt, magnum Nobis et desideratissimum solatium attulit zelus pro domo Dei ac sollicitudo pro integritate fidei catholicae, quam Tu, Venerabilis Frater, cum plerisque in Germania Episcopis calamitoso hoc tempore demonstrasti, ut luculenter perspeximus ex litteris pastoralibus ad greges vestros directis, quas a Venerabili Fratre Petro Francisco Archiepiscopo Damasceno Nostro apud

Bavariae Regem Nuntio ad Nos transmissas accepimus. Communi consilio in civitate Fuldensi congregati pro pastoralis muneris debito docuistis fideles vestrae curae commissos, quanta sit omnibus qui unius, sanctae, catholicae et Apostolicae Ecclesiae membra esse ac manere velint, obligatio et necessitas veritates a Nobis, approbante sacro et oecumenico Vaticano Concilio, in utraque Sessione die 24 Aprilis et 18 Iulii definitas, firma fide ut a Deo revelatas credendi ac profitendi, et quantopere ipsis principiis catholicae religionis repugnet eorum hominum assertio, qui dicere non verentur, doctrinam in hoc sacro Vaticano Concilio definitam non contineri in divina Scriptura et Traditione, immo eidem esse contrariam.

Quanto autem acerbiorem schismaticae istae et haereticae sententiae animo Nostro tot iam angustiis oppresso addiderunt dolorem, tanto magis laudamus et commendamus Tuam, Venerabilis Frater, et aliorum Episcoporum Germaniae vigilantiam pastoralem ad occurrendum ingruentibus his periculis adeo necessariam. Plenior tamen futura fuisset consolatio Nostra, si, quo instructio vestra pastoralis esset efficacior, omnium Venerabilium Fratrum Episcoporum Germaniae nomina iisdem vestris litteris subscripta vidissemus. Nec vero vel minimum dubitamus, quin Antistites illi, quorum nomina desiderantur, omnes aeque intelligant, quam manifestum sacris Pastoribus incumbat officium, greges suos docendi de veritatibus fidei in sacro oecumenico Concilio definitis, quo oves sibi creditas arceant a venenatis, et nutriant salutaribus pascuis catholicae doctrinae;

quando in istis praesertim regionibus filii quidam superbiae qui se Catholicos nominant, non solum occultis fraudibus sed aperta fronte ipsum fidei catholicae dogma oppugnant. Eo enim devenerunt, ut per libellos in vulgus editos et per publicas ephemerides contra auctoritatem et decreta ipsius oecumenici Concilii atque in primis contra doctrinam fidei in eodem Concilii irreformabili sanctione definitam de Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitate rebelles audeant insurgere, et alios in eamdem rebellionem ac perditionem trahere conentur.

Mendaciter iactant pro more omnium, qui schismata et haereses umquam disseminarunt, se antiquam fidem catholicam retinere, dum ipsum fundamentale principium catholicae fidei ac doctrinae subvertunt. Licet namque profiteantur Scripturam et Traditionem fontes esse divinae revelationis, magisterium tamen semper vivens Ecclesiae ex Scriptura et Traditione manifestum atque divinitus institutum sicut ad perpetuam custodiam ita ad infallibilem explicationem et declarationem dogmatum, quae in Scriptura vel Traditione nobis transmissa sunt, iidem audire detrectant; atque ita se ipsos singuli per suam fallibilem et fallacem scientiam independenter ab auctoritate, immo etiam contra auctoritatem huius divinitus ordinati magisterii constituunt iudices dogmatum, quae in fontibus revelationis contineantur. Quid enim aliud agunt, dum dogma fidei a Nobis, approbante sacro Concilio, definitum audent dicere, non esse veritatem a Deo revelatam et catholica fide credendam, quia ipsi secundum suam

intelligentiam illud in Scriptura et Traditione se non reperire affirmant? Quasi vero non is sit ordo fidei a Redemptore nostro in sua Ecclesia institutus semperque retentus, ut ipsa dogmatis definitio haberi debeat per se sola sufficiens, certissima, et omnibus fidelibus accomodata demonstratio, doctrinam definitam contineri in deposito revelationis scriptae vel traditae. Unde tales dogmatum definitiones necessario sunt et quovis tempore fuerunt incommutabilis norma sicut pro fide ita etiam pro scientia catholica, ad cuius munus nobilissimum pertinet ostendere, quomodo doctrina eo ipso sensu, quo definita est, in fontibus revelationis contineatur.

Neque minus iidem homines, quantum in ipsis est, ad Ecclesiae et fidei catholicae subversionem tendunt, dum per calumnias ac praetextus prorsus inanes, quemadmodum in litteris pasteralibus a Te et ab aliis Venerabilibus Fratribus Episcopis Germaniae ad greges vestros directis significare non omisistis, illis suis perniciosissimis scriptis affirmare praesumunt, sive in ipsa definitione, sive in promulgatione decretorum Conciliarium, ac speciatim dogmatis de Romani Pontificis infallibilitate aliquid defuisse ad plenum valorem et ad plenam auctoritatem Concilii oecumenici constituendam. Sane in hoc sacrosancto oecumenico Concilio assistentiam Spiritus Sancti ad infallibilitatem definitionum negare non possunt nisi ex principiis, quibus universim supernaturali infallibilitati atque adeo proprietati essentiali Ecclesiae catholicae bellum indicitur. Nemo certe ignorat, similibus praetextibus aliorum etiam Conciliorum definitiones ab iis, quorum er-

rores condemnati erant, impugnari consuevisse, quemadmodum notissimae calumniae demonstrant, quibus tum alia oecumenica Concilia ab aliis, tum speciatim Florentinum ac Tridentinum a schismaticis et haereticis recentioribus ad suam perniciem et ad spiritualem ruinam plurimorum impugnata sunt.

Tanta degenerum filiorum perversionem ac tanta pericula, in quae improvidos et imperitos, maxime vero incautam iuventutem coniiciunt, quomodo possemus sine intimo cordis Nostri dolore et sine amaris lacrymis intueri? Sinum Matris Ecclesiae a qua foeti et nutriti sunt, impie lacerant, cibum salutiferum ab ea paratum venenis commutant, atque in superbiam elati scientiam, qua alios erudire deberent ad salutem, in suam et aliorum perditionem convertunt. In hoc igitur fidei et salutis animarum sanguine Christi redemptarum discrimine, pro sollicitudine omnium Ecclesiarum quae Nobis incumbit, hortamur et obsecramus, Venerabilis Frater, Tuum zelum Tuumque amorem erga sponsam Iesu Christi catholicam Ecclesiam, ut Tu cum reliquis Episcopis in Germania, unitis animis ac consiliis et omni opera tum per vestram pastoralem auctoritatem, providentiam, doctrinam, tum per alios adiutores vestros, quorum fidei integritas ac doctrina vobis perspecta est, a mentibus cunctorum fidelium vestrae curae commissorum atque in primis catholicorum iuvenum qui in scholis erudiuntur, arceatis pericula labefactandae fidei catholicae; ac quantum per divinam gratiam valetis, omnes imbuere ac confirmare studeatis in obedientia et amore erga sanctam Matrem Ecclesiam et erga beatissimum Petrum, super

quem Christus Redemptor ipsam suam aedificavit Ecclesiam.

Quoniam vero neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, die ac nocte extollamus manus nostras ad Deum, unde veniet auxilium nobis; imploremus intercessionem immaculatae Virginis Matris Dei, Principis Apostolorum Petri et Coapostoli eius Pauli, aliorumque Sanctorum Ecclesiae triumphantis, ut Dominus respiciat Ecclesiam suam in terris inter tantos labores et tanta pericula militantem, eam tueatur, donis suis caelestibus amplificet et exaltet; ut qui fide stant, confirmentur et augmentum faciant in charitate, qui autem fracti sunt rami, iterum inserantur, sicque omnes in Una, Sancta, Catholica, Apostolica Romana Ecclesia ad Deum perveniant, et in Deo pacem habeant et salutem aeternam. Ut hunc laborum ac vigilantiae pastoralis fructum Deus pro grege Tibi commisso concedat uberrimum divinae gratiae auspicem et praecipuae Nostrae erga Te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem Tibi ipsi, Venerabilis Frater, omnibusque fidelibus Tuae curae concreditis toto cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 28 Octobris anno MDCCCLXX. Pontificatus Nostri anno vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

Non abs re erit hic adnotare, reliquos Germaniae Episcopos qui a commemorato conventu Fuldensi abfuerant processu temporis suorum Collegarum sententiae omnino adhaesisse.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Respicientes ea omnia, quae Subalpinum Gubernium pluribus ab annis non intermissis molitionibus gerit ad evertendum civilem Principatum singulari Dei providentia huic Apostolicae Sedi concessum, ut Beati Petri successores in exercitio spiritualis suae iurisdictionis necessaria ac plena libertate et securitate uterentur, fieri non potest, VV. FF., ut in tanta contra Ecclesiam Dei et Sanctam hanc Sedem conspiratione intimo cordis Nostri dolore non moveamur; atque hoc tam luctuoso tempore, quo idem Gubernium sectarum perditionis consilia sequens,

sacrilegam Almae Urbis Nostrae et reliquarum civitatum, quarum Nobis imperium ex superiori usurpatione supererat, invasionem quam iamdiu meditabatur, contra omne fas vi armisque complevit, dum Nos arcana Dei consilia coram Ipso prostrati humiliter veneramur, illam prophetae vocem usurpare cogimur « ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi quoniam invaluit inimicus » (1).

Satis quidem VV. FF. a Nobis exposita et catholico orbi iamdiu patefacta est nefarii huius belli historia, idque fecimus pluribus Allocutionibus Nostris, Encyclicis, Brevibusque litteris diverso tempore habitis aut datis, nempe diebus 1 Novemb. an. 1850, 22 Ian. et 26 Iulii 1855, 18 et 28 Iunii et 26 Sept. 1859, 19 Ian. 1860, ac Apostolicis Litteris 26 Martii 1860, Allocutionibus deinde 28 Sept. 1860, 18 Martii et 30 Sept. 1861 et 20 Sept. 17 Octob. et 14 Novem. 1867. Horum documentorum serie perspectae atque exploratae fiunt gravissimae iniuriae a Subalpino Gubernio iam ante ipsam Ecclesiasticae ditionis superioribus annis inceptam occupationem Supremae Nostrae et huius Sanctae Sedis auctoritati illatae, tum legibus contra naturale, divinum et ecclesiasticum ius rogatis, tum sacris ministris, religiosis familiis et Episcopis ipsis indignae vexationi subiectis, tum obligatam solemnibus conventionibus cum eadem Apostolica Sede initis fidem infringendo, atque earum inviolabile ius

(1) Ierem. thr. 1. 16.

praefracte denegando vel eo ipso tempore, quo novas Nobiscum tractationes inire velle significabat. Ex iisdem documentis plane liquet, VV. FF., totaque videbit posteritas, quibus artibus et quam callidis ac indignis molitionibus idem Gubernium ad iustitiam et sanctitatem iurium huius Apostolicae Sedis opprimendam pervenerit; ac simul cognoscet quae curae Nostrae fuerint in illius audacia, quae augebatur in dies, quantum in Nobis erat compescenda atque in Ecclesiae causa vindicanda. Probe nostis anno 1859 ab ipsa Subalpina potestate praecipuas Aemiliae civitates submissis scriptis, conspiratoribus, armis, pecunia ad perduellionem fuisse excitatas; nec multo post, comitiis populi indictis, captatisque suffragiis plebiscitum confictum esse, eoque fuco et nomine provincias Nostras in ea regione positas a paterno Nostro imperio, bonis frustra refragantibus, avulsas. Perspectum quoque est, anno deinde consequuto idem Gubernium ut alias huius S. Sedis provincias in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas in praedam suam converteret, dolosis praetextibus adductis, improviso impetu milites Nostros et voluntariam Catholicae iuventutis manum, quae religionis spiritu et pietate erga communem Parentem adducta ex omni orbe ad defensionem Nostram convolaverat, magno circumvenisse exercitu, eosque tam subitam irruptionem minime suspicantes, impavide tamen pro religione certantes cruento praelio oppressisse. Neminem latet insignis eiusdem Gubernii impudentia et hypocrisis, qua ad minuendam sacrilegae huius usurpationis invidiam iactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut

principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsae cuiusque doctrinae diffusionem cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam poenas sumens de Sacris Antistitibus, de Ecclesiasticis cuiusque gradus viris, quos in custodiam abripuit et publicis contumeliis vexari permisit, dum interea insectatoribus et iis qui ne Supremi quidem Pontificatus dignitati in persona humilitatis Nostrae parcebant, impune esse pateretur. Constat praeterea, Nos debito officii Nostri munere non solum iteratis semper obstitisse consiliis et postulationibus Nobis oblatis, quibus agebatur, ut officium Nostrum turpiter proderemus, vel scilicet iuribus et possessionibus Ecclesiae dimissis ac traditis, vel nefaria cum usurpatoribus conciliatione inita; verum etiam Nos iniquis hisce ausibus et facinoribus contra omne humanum et divinum ius perpetratis solemnes protestationes coram Deo et hominibus opposuisse, illorumque auctores et fautores Ecclesiasticis censuris obstrictos declarasse et quatenus opus esset iisdem censuris in illos denuo animadvertisse. Denique exploratum est, praedictum Gubernium in sua contumacia suisque machinationibus nihilominus perstitisse, rebellionemque in reliquis Nostris provinciis et in Urbe praesertim promovere immissis perturbatoribus ac omnis generis artibus, sine intermissione curavisse. Hisce autem conatibus minime ex sententia procedentibus propter inconcussam Nostrorum militum fidem, Nostrorumque populorum amorem ac studium insigniter et constanter Nobis declaratum, turbulentam demum illam tempestatem

in Nos erupisse anno 1867, quum Autumni tempore conversae in Nostros fines et hanc Urbem fuerunt perditissimorum hominum cohortes scelere et furore inflammatae et subsidiis Gubernii eiusdem adiutae, quorum ex numero occulti plures in ipsa hac Urbe pridem consederant; atque ab earum vi crudelitate et armis omnia Nobis Nostrisque dilectissimis subditis acerba et cruenta timenda erant, uti liquido apparuit, nisi Deus misericors earumdem impetus et strenuitate Nostrarum copiarum et valido legionum auxilio ab inclyta natione Gallica Nobis submisso irritos reddidisset.

In tot vero dimicationibus, in tanta periculorum, sollicitudinum, acerbitatum serie maximum Nobis interim Divina Providentia solatium conferebat ex praeclara vestra, VV. FF., vestrorumque Fidelium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate ac studio, quod et insignibus significationibus editis et catholicae charitatis operibus iugiter demonstrastis. Et quamquam gravissima in quibus versabamur discrimina vix aliquas Nobis inducias relinquerent, nihil tamen unquam, Deo Nos confortante, curarum remisimus, quae ad temporalem subditorum Nostrorum prosperitatem tuendam pertinebant; ac quae esset apud Nos tranquillitatis et securitatis publicae ratio, quae optimarum quarumcumque disciplinarum et artium conditio, quae populorum Nostrorum erga Nos fides et voluntas omnibus nationibus facile innotuit, ex quibus advenae frequentissimi in hanc Urbem occasione praesertim plurium celebritatum, quas peregimus, sacrorumque solemnium certatim omni tempore confluxerunt.

Iamvero cum res ita se haberent Nostrique populi tranquilla pace fruerentur, Rex Subalpinus eiusque Gubernium capta occasione ingentis inter duas potentissimas Europae nationes flagrantis belli, quarum cum altera pepigerant se inviolatum servaturos praesentem ecclesiasticae ditionis statum, nec a factiosis violari passuros, protinus reliquas dominationis Nostrae terras Sedemque ipsam Nostram invadere et in suam potestatem redigere decreverunt. At quorsum hac hostilis invasio, quaenam causae praeferebantur? Notissima profecto cuique sunt ea quae in Epistola Regis die 8 proxime elapsi Septembris ad Nos data et per ipsius Oratorem ad Nos destinatum Nobis tradita disseruntur, in qua longo fallacique verborum et sententiarum ambitu, ostentatis amantis filii et catholici hominis nominibus causaque ostenta publici ordinis, Pontificatus ipsius et personae Nostrae servandae, illud poscebatur, ne temporalis nostrae potestatis eversionem velut hostile facinus vellemus accipere, atque ultro eadem potestate cederemus, futilibus confisi sponsionibus ab ipso oblatis, quibus vota, ut aiebat, populorum Italiae cum supremo spiritualis Romani Pontificis auctoritatis iure et libertate conciliarentur. Nos equidem non potuimus non vehementer mirari, videntes qua ratione vis quae Nobis brevi inferenda erat obtegi et dissimulari vellet, nec potuimus non dolere intimo animo vicem Regis eiusdem qui iniquis consiliis adactus nova in dies Ecclesiae vulnera infligit et hominum magis quam Dei respectu habito non cogitat esse in caelis Regem regum et Dominum dominantium, qui « non subtrahet personam

cuiusquam, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, fortioribus autem fortior instat cruciatio » (1). Quod autem attinet ad propositas Nobis postulationes cunctandum Nobis non esse censuimus, qui officii et conscientiae legibus parentes, Praedecessorum Nostrorum exempla sequeremur, ac praesertim fel. rec. Pii VII, cuius invicti animi sensa ab eo prolata in simili prorsus causa, ac Nostra est, hic uti Nobis communia exprimere ac usurpare iuvat. « Meminera-
» mus cum S. Ambrosio (2) *Nabuth Sanctum vi-*
» *rum possessorem vineae suae interpellatum peti-*
» *tione regia ut vineam suam daret, ubi rex suc-*
» *cisis vitibus olus vile sereret, eumdem respondis-*
» *se: absit ut ego patrum meorum tradam haere-*
» *ditatem.* Multo hinc minus fas esse Nobis iudica-
» vimus tam antiquam ac sacram haereditatem (tem-
» porale scilicet Sanctae huius Sedis Dominium non
» sine evidenti Providentiae divinae consilio a Ro-
» manis Pontificibus praedecessoribus Nostris tam
» longa saeculorum serie possessum) tradere, aut
» vel tacite assentiri ut quis Urbe principe Orbis
» Catholici potiretur, ubi perturbata destructaque
» sanctissima regiminis forma, quae a Iesu Christo
» Ecclesiae Sanctae Suae relicta fuit, atque a Sa-
» cris canonibus Spiritu Dei conditis ordinata, in
» eius locum sufficeret Codicem non modo sacris
» Canonibus, sed Evangelicis etiam praeceptis con-
» trarium atque repugnantem, inveheretque, ut as-

(1) Sap. VI. 8. et 9.
(2) De Basil. trad. n. 17.

» solet, novum huiusmodi rerum ordinem qui ad » consociandas confundendasque sectas superstitio- » nesque omnes cum Ecclesia Catholica manifestis- » sime tendit.

» *Nabuth vites suas vel proprio cruore de-* » *fendit* (1). Num poteramus Nos, quidquid tandem » eventurum esset Nobis, non iura possessionesque » Sanctae Romanae Ecclesiae defendere, quibus » servandis, quantum in Nobis est, solemnis iuris- » iurandi Nos obstrinximus religione? vel non li- » bertatem Apostolicae Sedis cum libertate atque » utilitate Ecclesiae universae adeo coniunctam vin- » dicare?

» Ac quam magna revera sit temporalis hu- » ius Principatus congruentia atque necessitas ad » asserendum Supremo Ecclesiae Capiti tutum ac » liberum exercitium spiritualis illius, quae divini- » tus Illi toto orbe tradita est, potestatis, ea ipsa, » quae nunc eveniunt (etiamsi alia deessent argu- » menta) nimis iam multa demonstrant » (2).

His igitur inhaerentes sensibus quos in pluribus Allocutionibus Nostris constanter professi sumus, responsione Nostra ad Regem data, iniustas eius postulationes reprobavimus, ita tamen ut acerbum dolorem Nostrum paternae charitati coniunctum ostenderemus, quae vel ipsos filios rebellem Absalon imitantes nescit a sua sollicitudine removere. Hisce autem litteris nondum ad Regem perlatis, ab eius interea exercitu pontificiae Nostrae ditionis in-

(1) S. Ambr. ibid.
(2) Litt. Apost. 10 Iun. 1809.

tactae hactenus et pacificae urbes occupatae fuerunt, praesidiariis militibus, ubi resistere conati fuerant, facile disiectis; ac brevi deinde infaustus ille dies proxime elapsi Septembris vicesimus illuxit, quo hanc Urbem Apostolorum Principis Sedem, catholicae religionis centrum omniumque gentium perfugium multis armatorum millibus obsessam vidimus, factaque murorum labe et excussorum missilium terrore intra ipsam illato, vi et armis expugnatam deplorare debuimus eius iussu, qui paulo ante filiali in Nos affectu et fideli in religionem animo esse tam insigniter professus fuerat. Quidnam Nobis ac bonis omnibus illo die luctuosius esse potuit? in quo copiis Urbem ingressis, magna factiosorum adventitia multitudine repleta Urbe, vidimus statim publici ordinis rationem perturbatam et eversam, vidimus in Nostrae humilitatis persona Supremi ipsius Pontificatus dignitatem et sanctitatem impiis vocibus impetitam, vidimus fidelissimas Nostrorum militum cohortes omni contumeliarum genere affectas, atque effraenem late licentiam ac petulantiam dominari, ubi paulo ante filiorum affectus communis Parentis moerorem relevare cupientium eminebat. Ab eo deinde die ea sub oculis nostris consequuta sunt, quae non sine iusta bonorum omnium indignatione commemorari possunt: nefarii libri mendaciis, turpitudine, impietate referti ad facilem emptionem proponi coepti et passim disseminari; multiplices ephemerides in dies vulgari ad corruptelam mentium et honesti moris, ad contemptum et calumniam religionis, ad inflammandam contra Nos et hanc Apostolicam Sedem publicam opinionem spectantes; foe-

dae indignaeque imagines publicari, aliaque huius generis opera, quibus res personaeque sacrae ludibrio habentur et irrisioni publicae exponuntur; decreti honores et monumenta iis qui iudicio et legibus poenas gravissimorum criminum dederunt; Ecclesiae ministri, in quos omnis conflatur invidia, plures iniuriis lacessiti, ac aliqui etiam proditoriis percussionibus sauciati; nonnullae religiosae domus iniustis conquisitionibus subiectae; violatae Nostrae Quirinales domus, atque ex iis ubi Sedem habebat unus S. R. E. Cardinalibus violento iussu raptim abire coactus, aliique Ecclesiastici viri e familiarium Nostrorum numero ab illarum usu exclusi et molestiis affecti; leges et decreta edita quae libertatem, immunitatem, proprietates et iura Ecclesiae Dei manifeste laedunt ac pessundant; quae mala gravissima latius etiam, nisi Deus propitius avertat, progressura esse dolemus, dum Nos interim ab ullo aliquo remedio afferendo conditionis Nostrae ratione praepediti vehementius in dies admonemur de ea captivitate, in qua sumus ac de defectu plenae illius libertatis, quam Nobis relictam esse in Apostolici Nostri ministerii exercitio Orbi mendacibus verbis ostenditur, et necessariis, quas appellant, cautionibus firmari velle ab intruso Gubernio iactatur.

Neque hic praeterire possumus immane facinus quod vobis profecto innotuit, VV. FF. Perinde enim ac Sedis Apostolicae possessiones et iura tot titulis sacra atque inviolabilia, ac per tot saecula semper explorata et inconcussa habita in controversiam ac disceptationem revocari possent, et quasi censurae gravissimae quibus ipso facto et absque ulla nova

declaratione violatores praedictorum iurium et possessionum innodantur, populari rebellione atque audacia vim suam amittere possent, ad sacrilegam quam passi sumus expoliationem honestandam, communi naturae ac gentium iure despecto, quaesitus est ille apparatus ac ludicra plebisciti species alias in provinciis Nobis ademptis usurpata; et qui exultare solent in rebus pessimis hac occasione rebellionem et ecclesiasticarum censurarum contemptum, veluti triumphali pompa, per Italicas urbes praeferre non erubuerunt, contra germana sensa longe maxime Italorum partis, quorum religio devotio ac fides erga Nos et Ecclesiam Sanctam multis modis compressa, quominus libere manare possit, impeditur.

Nos interim qui a Deo universae domui Israel regendae et gubernandae praepositi et supremi religionis ac iustitiae vindices et Ecclesiae iurium defensores constituti sumus, ne coram Deo et Ecclesia tacuisse, ac silentio Nostro tam iniquae rerum perturbationi assensum praestitisse redarguamur, renovantes et confirmantes quae in superius citatis Allocutionibus, Encyclicis ac Brevibus litteris alias solemniter declaravimus, ac novissime in protestatione, quam iussu ac nomine Nostro Cardinalis publicis negotiis praepositus ipso vicesimo Septembris die ad Oratores, Ministros et Negotiorum gestores exterarum nationum apud Nos et hanc S. Sedem commorantes dedit, solemniori quo possumus modo iterum coram Vobis, VV. FF., declaramus, Nostram mentem, propositum et voluntatem esse omnia huius S. Sedis dominia eiusdemque iura integra intacta inviolata retinere, atque ad Successores Nostros transmit-

tere ; quamcumque eorum usurpationem, tam modo quam antea factam, iniustam violentam nullam irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoque modo cofirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari et abrogari. Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo orbe Catholico, Nos in eiusmodi captivitate versari, ut supremam Nostram pastoralem auctoritatem tuto expedite ac libere minime exercere possimus. Tandem monito illi S. Paulli obtemperantes « Quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial » (1), palam aperteque edicimus ac declaramus, Nos memores officii Nostri et solemnis iurisiurandi quo tenemur, nulli umquam conciliationi assentiri vel assensum praestituros, quae ullo modo iura Nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis destruat vel imminuat: itidemque profitemur Nos paratos quidem divinae gratiae auxilio, gravi Nostra aetate, usque ad fecem pro Christi Ecclesia calicem bibere, quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est, nunquam commissuros ut iniquis postulationibus quae Nobis offeruntur adhaereamus atque obsecundemus. Uti enim praedecessor Noster Pius VII aiebat: « vim huic summo Sedis » Apostolicae imperio afferre, temporalem ipsius » potestatem a spirituali diseerpere, Pastoris et Prin» cipis munia dissociare, divellere, excindere, nihil

(1) 2. Cor. cap. VI. 14. et 15.

» aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere
» velle, nihil nisi dare operam ut religio maximum
» detrimentum capiat, nihil nisi eam efficacissimo
» spoliare praesidio, ne summus ipsius Rector, Pa-
» stor Deique vicarius in Catholicos quoquo terra-
» rum sparsos atque inde auxilium et opem flagi-
» tantes, conferre subsidia possit, quae a spirituali
» Ipsius, per neminem impedienda, petuntur pote-
» state » (1).

Quoniam vero Nostra monita, expostulationes et protestationes in irritum cesserunt, idcirco auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Paulli ac Nostra Vobis, VV. FF., ac per Vos universae Ecclesiae declaramus, eos omnes qualibet dignitate, etiam specialissima mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae ditionis atque almae huius Urbis invasionem, usurpationem vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, audiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, maiorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis constitutionibus et generalium Conciliorum, Tridentini (Sess. 22 c. 11 de Reform.) decretis inflictas incurrisse iuxta formam et tenorem expressum in superius commemoratis Apostolicis litteris Nostris die 26 Mart. a. 1860 datis.

Memores vero Nos eius locum tenere in terris

(1) Alloc. 16 Martii 1808.

qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil magis optamus quam devios filios ad Nos revertentes paterna charitate complecti. Quare levantes manus Nostras in caelum in humilitate cordis Nostri dum Deo, cuius est potius quam Nostra, iustissimam causam remittimus et commendamus, Eum per viscera misericordiae suae obsecramus obtestamurque, ut adsit praesenti auxilio Nobis, adsit Ecclesiae suae, ac misericors et propitius efficiat ut hostes Ecclesiae aeternam perniciem quam sibi moliuntur cogitantes, formidandam eius iustitiam ante diem vindictae placare contendant, et mutatis consiliis sanctae Matris Ecclesiae gemitus Nostrumque moerorem consolentur.

Quo vero huiusmodi tam insignia beneficia a divina clementia assequamur, Vos enixe ac summopere hortamur, VV. FF., ut una cum fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis, vestras fervidas preces Nostris votis coniungatis, atque omnes simul ad thronum gratiae et misericordiae adeuntes Immaculatam Deiparam Virginem Mariam et Beatos Apostolos Petrum et Paulum deprecatores adhibeamus. « Ecclesia Dei ab exortu sui usque ad haec tempora pluries tribulata est et pluries liberata est. Ipsius vox est: *saepe expugnaverunt me a iuventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Non est abbreviata manus Domini, nec facta impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore absque dubio sponsam suam qui suo sanguine redemit eam,

suo spiritu dotavit, donis caelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis » (1).

Interim uberrima caelestium gratiarum munera Vobis, VV. FF., cunctisque Clericis Laicisque Fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae commissis a Deo ex animo adprecantes, praecipuae Nostrae erga Vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis Ipsis eisdemque Dilectis Filiis ex intimo corde depromptam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Novembris Anno MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

(1) S. Bern. Ep. 244. ad Conradum Reg.

EPISTOLA

AD VENERABILEM FRATREM IOSEPHVM HIPPOLYTVM ARCHIEPISCOPVM TURONENSEM.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gravis et acerba conditio in quam Nos et hanc Apostolicam Sedem malitia hominum coniecit, quaeque in dies durior efficitur, non tamen patitur ut oblivisci possimus mala et calamitates, quibus misere Gallia divexatur. Memores immo tot amplissimarum significationum filialis affectus ac studii, quas semper et in magnis tribulationibus Nostris ab hac generosa Natione accepimus, enixas assiduasque preces ad Deum misericordiarum convertere nunquam omisimus, ut Nobis aliquo modo dignaretur ostendere, quo grati animi Nostri officio Eius in Nos meritis aliquam vicem impendere, eiusque aerumnis solatium adhibere possemus. In hac cogitatione ac sollicitatione, qua animus Noster vehementer movebatur, in eam persuasionem confestim venimus, nullum opportuniorem ac meliorem modum gratae voluntatis in istam catholicam Nationem demonstrandae Nobis fore, quam si eam ad pacis consilia et

tranquillitatis portum, pro paternae Nostrae caritatis studio, vocaremus. Utinam, Ven. Frater, humilitati Nostrae detur, posse rem tam salutarem bonorum votis exoptatam obtinere! Nullum enim certe modum in agendis Deo gratiis Nobis imposituri essemus, propterea quod tam insignis boni procurandi Nos administros et cooperatores adhibere dignatus esset. At vero ad huiusmodi finem assequendum, atque ad hoc ut tam diuturnae gravesque calamitates, veluti vehementer optamus, cessare possint, necesse est, ut Nostris hisce desideriis, et paternae sollicitudinis stimulis dociles adhibeantur animi, ac pacatis immo diremptis tot animorum offensionibus optati sensus mutuae fiduciae mutuaeque concordiae omnino succedant. Quidni sperare possit Iesu Christi in terris Vicarius ut huius voti compos fiat, atque ita tandem tranquillitatem ac pacem tam amplae Europae parti videat restitutam? Nos itaque te requirimus, Ven. Frater, qui Antistes es istius urbis, ubi pars eorum residet, qui publicas Galliae res moderantur, ac maiori qua possumus contentione hortamur, ut pro eximio tuo pastorali zelo hanc tanti momenti causam apud eosdem publicarum rerum Moderatores suscipias atque urgeas, simulque confidimus tuos in Episcopatu Collegas ipsum hoc opus eorum virtute et religione dignum coniunctis tecum studiis impigre promoturos, quo certe de patria ac religione optime mereantur. Nulla igitur interposita mora, Ven. Frater, age tuis suasionibus apud homines, age fervidis apud Deum precibus, spectatumque tuorum Fratrum zelum in societatem tuorum studiorum incendas, dum Nos ea fiducia nitimur fore, ut Deus det voci ve-

strae vocem virtutis, utque Ipso favente voluntates hominum et generosae suae indolis memores et boni communis amore excitatae Nostris desideriis et stimulis obsecundare non renuant. Atque hic, Ven. Frater, facere non possumus, quin omni studio paternique animi sollicitudine te aliosque omnes Galliae Antistites in Domino rogemus et excitemus, ut serio monere non omittatis istam Nationem, cuius quidem nobilissimi sensus et militaris virtus tot tantisque gloriae monumentis commendata adversis casibus obscurari non possunt, ne velit inclinare aures perniciosis doctrinis publicum societatis ordinem evertentibus, quas turbolenti homines militaris sub obtentu auxilii in istas regiones progressi, isthic disseminare ac propagare non desinunt, ex quarum dilatatione nihil aliud expectari potest nisi ut discordiae et calamitates augeantur, et iustitiae ac moralitatis retardetur triumphus, a quo uno pendet, ut iste inclytus populus ad avitum decus novumque splendorem assurgat. Quoniam vero probe agnoscimus frustra a Nobis hanc operam impensam fore, nisi etiam aequitas et magnitudo animi illius Principis, cuius armis Deus exercituum tot prosperos successus attribuit, ministerium pacis quo fungimur propensa voluntate ac studio prosequatur, idcirco hoc etiam munus, Ven. Frater, libentissime assumimus, ut ad Maiestatem Illustris Regis Borussiae hac de re litteras demus, ac regiae humanitati Eius susceptum a Nobis pacis patrocinium enixe commendemus. Quem exitum hoc Nostrum officium ac studium apud Maiestatem Eius sit habiturum, pro certo affirmare non possumus: sed tamen iustam profecto bene

sperandi causam habemus ex eo, quod eumdem Regem benevolo admodum erga Nos animo aliis in rerum adiunctis semper Nos expertos esse meminimus. Divino igitur auxilio fretus, Ven. Frater, delatas tibi partes, quarum tempus urget, obire contende, idque prompte atque expedite efficere poteris, cum in Episcopalium tuarum aedium hospitio Eos habeas apud quos optatae pacis sacerdotali legatione fungaris. Sed quoniam neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui propitio exitu desideria Nostra implere potest Deus, hinc opus est, Ven. Frater, ut in omni humilitate et fiducia in conspectu Dei prostrati Divinum Cor Eius misericordiae et caritatis fontem sollicitemus, una cum ipso fideli populo in animo contrito clamantes « parce Domine parce populo tuo ». Hoc autem a Divina misericordia in assidua obsecratione praestolantes, interim tibi, Ven. Frater, in commissi tibi muneris auspicium et in praecipuae benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem nec non universis catholicae istius Nationis Fidelibus toto cordis affectu peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Novembris Anno 1870. Pontificatus Nostri Anno Vicesimo-quinto.

PIVS PP. IX.

DECRETVM

VRBIS ET ORBIS

QVO S. IOSEPH DEIPARAE VIRGINIS IMMACVLATAE SPONSVS CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONVS CONSTITVITVR.

Quemadmodum Deus Iosephum illum a Iacob Patriarcha progenitum praepositum constituerat universae terrae Aegypti ut populo frumenta servaret, ita temporum plenitudine adventante, cum Filium suum Unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum, cuius ille primus typum gesserat, quemque fecit Dominum et Principem domus ac possessionis suae, principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit Immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius Ioseph, illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverant, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus, eumque paterno affectu complexus, deosculatusque est; nec non solertissime enutrivit quem populus fidelis uti panem de caelo descensum sumerat ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper Beatissimum Iosephum post Deiparam Virginem eius Sponsam Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta

est, eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit. Verum cum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique insectata adeo gravioribus opprimatur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tandem praevalere autumarent, ideo Venerabiles universi Orbis Catholici sacrorum Antistites suas ac Christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pontifici porrexerunt, quibus petebant ut Sanctum Iosephum Catholicae Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde cum in Sacra Oecumenica Synodo Vaticana easdem postulationes et vota enixius renovassent, Sanctissimus Dominus Noster PIUS Papa IX nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo Sancti Patriarchae Iosephi patrocinio Se ac Fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit, eumque CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONUM solemniter declaravit; illiusque festum die decimanona Martii occurrens, in posterum sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione Quadragesimae, celebrari mandavit. Disposuit insuper ut hac die Deiparae Virgini Immaculatae ac castissimi Iosephi Sponsae sacra huiusmodi declaratio per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum publici iuris fieret. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die VIII. Decembris anni MDCCCLXX.

C. Episc. Ostien. et Velit. Card. Patrizi S.R.C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius

DECRETVM GENERALE

AD PRAECAVENDAS ALIQVOT IRREGVLARITATES IN SERVORVM DEI ACTIBVS CONFICIENDIS

Sacra Rituum Congregatio expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos, gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive ordinaria sive etiam Apostolica eiusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio cum Iuris regulis minime consona videatur, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, *censuit prohibendum, si SSmo placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis, ad eiusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis*. Die 10 Decembris 1870.

Factaque de praemissis per me subscriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam Sacrae Congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali Decreto promulgari et ab omnibus servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 eiusdem Mensis et Anni.

C. Ep. Ost. et Velit. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius

L. ✠ S.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO CONSTANTINO S. R. E. CARDINALI PATRIZI EPISCOPO OSTIENSI ET VELITERNO SACRI CARDINALIVM COLLEGII DECANO VICARIO NOSTRO GENERALI IN SPIRITVALIBVS ROMAE EIVSQVE DISTRICTVS.

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ecclesia Dei, tamquam Regina circumdata varietate, sicuti nobili diversorum Regularium Ordinum ornamento decorata fuit, sic sedulam semper eorum operam adhibuit ad propagandam divini Nominis gloriam, ad christianae reipublicae negotia expedienda, et ad inducendum etiam vel provehendum in populis, doctrinae et caritatis ope, civilis vitae cultum. Quotquot idcirco fuerunt unquam osores Ecclesiae, Regulares Ordines maxime sunt insectati, et inter eos primas odii sui partes tribuere consueverunt Societati Iesu, utpote quam operosiorem, suisque propterea consiliis infestiorem existimarunt. Id in praesentiarum rursum fieri dolentes conspicimus, dum civilis Nostrae ditionis invasores praedae inhiantes, exitiosae semper ereptoribus, familiarum omnium Religiosarum suppressionem a Pa-

tribus Societatis Iesu exordiri velle videntur. Cui quidem facinori ut viam sibi sternant, invidiam ipsis conflare nituntur apud populum, eosque simultatis accusant cum praesenti regimine, ac potissimum insimulant eius potentiae apud Nos et gratiae, quae Nos eidem regimini faciat infensiores, quaque sic occupemur, ut nonnisi suadentibus ipsis, quidquid agimus perficiamus. Quae stulta calumnia, si in summum vergit contemptum Nostrum, qui prorsus hebetes ducimur et inepti cuicumque ineundo consilio, absurda prorsus evincitur, cum noverint omnes, Romanum Pontificem, divino implorato lumine et auxilio, id facere et praecipere, quod rectum et utile iudicaverit Ecclesiae: in gravioribus vero negotiis eorum opera uti consuevisse, cuiusvis demum sint gradus, aut conditionis, aut Regularis Ordinis, quos materiae, de qua agitur, peritiores, sententiam suam sapientius ac prudentius proferre posse arbitratur. Profecto Patres etiam e Societate Jesu haud raro adhibemus, et varia munera, ac illud imprimis sacri ministerii eis committimus, qui in hisce obeundis probatius semper Nobis faciunt studium illud et zelum, quorum gratia crebras et amplissimas a Decessoribus Nostris promeruerunt laudes. Verum aequissima ista dilectio Nostra et existimatio Societatis, egregie semper de Ecclesia Christi, ac Sancta Sede, et christiano populo meritae, longe abest a servili illo obsequio, quod comminiscuntur ipsius obtrectatores; quorum calumniam a Nobis et a demissa optimorum Patrum devotione indignanter propulsamus. Haec vero Tibi significanda duximus, Venerabilis Frater Noster, ut et insidiae Societati structae com-

pertae fiant, et sententia Nostra turpiter insipienterque detorta ac subversa restituatur, et inclytae eidem Societati novum praesto sit propensissimae voluntatis Nostrae testimonium. Liberet utique, hac occasione nacta, Te diutius distinere de aliis quotidie increbrescentibus doloris Nostri causis; at cum adeo ampla sit earum seges, ut epistolae finibus concludi non valent, unum attingemus commentum concessionum, quas dicunt *guarentigie*, ubi nescias, num primas teneat absurditas, an versutia, an ludibrium, et cui iamdiu operosum et inutile studium impendunt Subalpini Gubernii moderatores. Coacti enim a communi catholicorum expostulatione et politica necessitate ad larvam quamdam Regiae potestatis Nostrae servandam, ne cuiquam obnoxii videamur in exercitio supremi regiminis Ecclesiae; id assequi se posse censuerunt per concessiones. Atqui cum concessio suapte natura postulet potestatem concedentis in eum cui conceditur, eumdemque, saltem quoad rem concessam, subiiciat illius ditioni et arbitrio; necessario fit, ut ipsi operam perdant in adstruendo summae potestatis Nostrae fastigio per ea adminicula, quae ipsum omnino subruant et deleant. Intima vero concessionum indoles est eiusmodi, ut unaquaeque peculiarem servitutem inducat; quae durior etiam fit ab invectis deinde emendationibus. Hostile demum et dolosum ingenium, quod ex iis, licet insidiose velatum, erumpit, sic illustratur a iugi factorum serie, ut neminem sanae mentis decipere possit, et apertissimam ludificationis speciem iis conditionibus affingat. Verum si Ecclesia referre debet imaginem divini auctoris sui, nonne Nos, qui, licet

immerentes, Christi vices gerimus in terris, ei gratias agere debebimus, quod irrisoriis regni insignibus et Nos circumdari sinat? Profecto sic ipse vicit mundum; atque ita etiam per sponsam suam Ecclesiam rursum de mundo triumphum aget. Interim copiosa Tibi, Venerabilis Frater Noster, adprecamur caelestia munera; eorumque auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 2 Martii anno 1871. Pontificatus Nostri anno Vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

VEN. FRATRIBVS ANTONIO PETRO IX. PATRIARCHAE CILICIAE, ATQVE CATHOLICIS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ARMENII RITVS GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBVS, NEC NON DILECTIS FILIIS SACERDOTIBVS, MONACHIS, ET LAICIS CATHOLICIS EIVSDEM RITVS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ubi prima novi schismatis, inter Armenios Constantinopolitanae Urbis nuper conflati, indicia eruperunt, non omisimus pro universali Ecclesiarum omnium sollicitudine omnes admonere sive per Nostras Litteras, sive per Delegatum Nostrum illic residentem, ut fortes atque in fide stabiles permanerent: qui autem a recto tramite aberrassent, eos hortati sumus in Domino, ut ad saniora consilia reverterentur. Hi autem a vocibus Nostris aures avertentes, contumaces in coeptis perstiterunt; immo ab iisdem Apostolicae Sedis divina atque universalis potestas et auctoritas in his potissimum, quae ad disciplinam pertinent, impetita fuit, licet omnium temporum et Ecclesiae filiorum reverentia ac fide tam in Occidentalibus quam in Orientalibus

regionibus semper celebrata, novissimeque Oecumenici Concilii Vaticani dogmatico decreto declarata fuerit, rursusque firmata. Hinc eo Nos adactos sensimus, ut ad tuendam pro Apostolico Nostro munere fidei unitatem, formulam seu declarationem fidei certis verbis expressam, pro recepto in Ecclesia more, iisdem subscribendam proponi iuberemus; cui si subscribere recusassent, iam ecclesiasticae perduellionis se reos proderent et a Catholicae Ecclesiae unitate avulsos. Quod cum detrectassent, Ven. Fr. Antonius Iosephus Archiep. Thyanaeus, Apostolicus Constantinopoli Delegatus, Nostris obsequens mandatis, Nostraque usus auctoritate, eosdem schismatis reos, ac proinde maioris excommunicationis vinculo irretitos solemni decreto pronunciavit.

Profecto post hoc iudicium, nullus iam supererat tergiversandi locus, et novis hisce schismaticis alterutrum incumbebat, ut vel ad bonam frugem reverterentur, vel ementitum catholicorum nomen omnino deponerent. Verum magno cum Nostro dolore eo deventum est, quo eosdem refractarios fore processuros, etsi non levia subessent indicia, animus tamen Noster credere refugiebat. Etenim indictum est conciliabulum, in quo de novo patriarcha constituendo egerunt tum laici tum monachi Sacerdotes schismaticae factionis; atque adeo quatuor Episcopi, videlicet Iacobus Bahatiarian Diarbechiriensis, Basilius Gasparian Cyprensis, nec non Ignatius Kalybgian Amasenae, et Placidus Kasangian Antiochenae Ecclesiarum titulis consecrati; immemores profecto dignitatis suae, fideique et obedientiae, quam in ipsa sua consecratione Nobis Nostrisque Succes-

soribus iureiurando promiserunt. Deinde quod sibi proposuerant, opere compleverunt, electo scilicet in pseudopatriarcham dicto Iacobo Bathiarian Archiepiscopo Episcopo Diarbekirensi, cui Iacobi Petri IX nomen inditum est, et abnegato legitimo Ciliciae Patriarcha Ven. Fratre Antonio Petro IX, licet is unanimi suffragio Episcoporum ante triennium fuisset electus, a Nobis confirmatus, sacroque Pallio ipsis Nostris manibus decoratus.

Quantus exinde dolor animo Nostro et moeror accesserit, satis verbis explicare non possumus. Hoc enim facto, gravissimum vulnus Unitati catholicae illatum est, proculcata ecclesiasticae disciplinae regula, sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum vis et auctoritas omnino spreta atque despecta, firmatum teterrimum schisma; atque fidelibus incautis vel ignorantibus nova errandi occasio exhibita ab iis, qui licet excommunicati auctoritate Nostra fuerint, et ab Ecclesiae Catholicae unitate omnino segregati, se tamen Catholicos Nobisque fideles et obedientes audent iactare, populisque illegitimum et schismaticum pastorem, perinde ac si catholicus esset, obtrudere.

Cum haec ita sint, Nos muneri Nostro omnino deesse videremur, si speculatores a Domino Nostro Iesu Christo universae Ecclesiae constituti, vocem Nostram contra ausus istos attollere moraremur; et ab omni erroris periculo fideles Armenios eripere. Quapropter Apostolica Nostra auctoritate decernimus ac declaramus illegitimum, schismaticum et omnino irritum tum praedictum conciliabulum factiosorum, tum electionem in eo attentatam Ia-

cobi Bahatiarian in patriarcham; et hunc nulla prorsus ecclesiastica et spirituali iurisdictione pollere, omnique exercitio episcopalis Ordinis esse suspensum; insuper tam memoratum Iacobum quam electores poenas a sacris canonibus contra eos, qui talia ausi fuerint, sancitas omnino incurrisse. Eidem porro Iacobo sub interminatione divini iudicii districte praecipimus, ne praetensum patriarchae titulum a schismaticis sibi temere, nulloque iure delatum, ullo pacto audeat usurpare; neve quidquam eo nomine attentare praesumat. Quod vero ausi sunt Refractarii in praedicto conciliabulo contra Ven. Fr. Antonium Petrum IX Hassun, illud pariter nullius momenti ac roboris, quin et schismaticum facinus declaramus; ipsumque Ven. Fr. Antonium Petrum, verum, solum, ac legitimum esse Patriarcham Armeniorum Ciliciae edicimus et confirmamus.

Porro universos Catholicos Armenios cuiusvis ordinis ac dignitatis existant, pro supremi Nostri Apostolatus officio graviter monemus, ut a praedicto Iacobo nec non ab eius electoribus et a reliquis omnibus qui novo huic schismati adhaerent, caveant diligenter; legitimo autem suo Patriarchae, et, imprimis Apostolicae huic Sedi fideles maneant, et obedientes: *neque enim*, ut ad rem monuit sanctus Carthaginiensis Episcopus Cyprianus (1), *aliunde haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

(1) S. Cyprian. Epist. Ad S. Cornel. Pap.

Providissimus autem Deus qui laeta tristibus miscere consuevit, dolori Nostro lenimentum ac solamen praebuit in fide et constantia, qua et populus et clerus patriarchatus istius erga legitimum Patriarcham et hanc Apostolicam Sedem usi sunt; ac potissimum in Vobis, Ven. Fratres, qui in officio constanter permanentes, fideles vestrae curae concreditos a commemoratis erroribus et fraudibus incolumes servare studuistis atque studetis.

Caeterum ipsos Neo-schismaticos, imprimis vero illos Episcopos qui tanto cum Nostro et omnium bonorum luctu ab unitate Catholica defecerunt, hortamur, ut quoniam peccaverunt, non adiiciant iterum. Videant quo demum evaserint, quamtamque procellam in Catholica Armenia Ecclesia excitaverint. Haec quidem donec in *Petrae* a Christo positae firmitate constiterit, submergi non poterit: ipsi vero et cuncti, qui eis adhaerent, perpendant, quam grave sit a vera Christi Ecclesia defecisse et ab eius unitate fuisse divulsos. Etsi enim adhuc se catholicos appellare velint, factis tamen ipsis suis, quin et proprio conscientiae iudicio erroris convincantur oportet. *Qui enim Ecclesiae*, ut ait idem S. Cyprianus (1), *renititur, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? Nemo fraternitatem mendacio fallat.* Redeant igitur praevaricantes ad cor, et sciant in Apostolica Sede non solum Iudicem sedere, qui in promptu habet ulcisci omnem inobedientiam, verum etiam Patrem amantissimum, qui errantes filios,

(1) S. Cyprian. lib. de Unit. Eccles.

culpam suam humiliter confitentes, et sincere detestantes in ulnas suas excipere paratus est.

Precemur igitur universi auctorem et consummatorem fidei nostrae Iesum Christum, deprecatoribus apud Ipsum humiliter adhibitis Deipara Immaculata, Beatis Apostolorum Principibus, et Magno illo Armeniae Illuminatore Gregorio Sancto, ut errantibus lumen et robur suae gratiae concedat, quo omni humano respectu posthabito, ad Ecclesiam reverti festinent; et iis qui adhuc steterunt, maiora semper gratiae incrementa largiatur.

Vobis autem, Ven. Fratres et dilecti Filii, quos tanto maiori charitate complectimur, quo firmiorem Vestram virtutem, Deo sic favente, conspicimus, Apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam et uberioris semper praesidii auspicem singulis universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die undecima Martii An. Dom. MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri XXV.

PIVS PP. IX.

DECRETVM

VRBIS ET ORBIS.

QVO S. ALPHONSVS MARIA DE LIGORIO DOCTORIS ECCLESIAE TITVLO HONESTATVR.

Inter eos qui fecerunt et docuerunt, quosque Dominus Noster Iesu Christus magnos fore vocavit in Regno Caelorum, merito recensendus est Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutor et Sanctae Agathae Gothorum Episcopus. Hic virtutum omnium exempla faciens, veluti lucerna supra candelabrum posita omnibus Christifidelibus, qui in Domo Dei sunt, adeo illuxit ut iam inter cives Sanctorum et domesticos Dei fuerit relatus. Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem ipse errorum tenebras ab Incredulis et Ianseniànis late diffusas doctis operibus maximeque Theologiae Moralis tractationibus dispulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. Simulque Immaculatae Deiparae Conceptionis et Summi Pontificis ex Cathedra docentis infallibilitatis doctrinas accurate illustravit ac strenue asseruit, quae postea aevo hoc

nostro dogmaticae declaratae sunt. Scripturarum denique aenigmata reseravit tum in asceticis lucubrationibus, caelesti quadam suavitate refertis, tum in saluberrimo quodam Commentario, quo Psalmos et Cantica in Divino Officio a Clericis recitanda ad eorum pietatem fovendam et mentem erudiendam explanavit. Summam Alphonsi sapientiam iam demiratus fuerat Pius Septimus sa. me., eumque commendaverat, quia *voce et scriptis in media saeculi nocte errantibus viam iustitiae ostendit, per quam possent de potestate tenebrarum transire in Dei lumen et regnum*. Neque minori laude *inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinae* in libris ab ipso conscriptis prosequutus est alter Summus Pontifex Gregorius XVI sa. mem. in Litteris decretalibus, quibus Alphonso maiores Caelitum honores tribuebantur.

Verum temporibus hisce nostris adeo sapientiam eius enarrant gentes, et laudem eius enuntiat Ecclesia, ut plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, fere omnes totius Orbis Sacrorum Antistites, Supremi Religiosorum Ordinum Moderatores, insignium Academiarum Theologi, illustria Canonicorum Collegia, et docti ex omni coetu Viri supplices libellos Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo porrexerint, quibus communia exposuere vota, ut Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio Doctoris Ecclesiae titulo honoribusque cohonestaretur. Sanctitas Sua, preces benigne excipiens, gravissimum huiusmodi negocium de more Sacrorum Rituum Congregationi expendendum commisit. Itaque in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes

infrascripta die collectis Emi et Rmi Patres Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, audita relatione Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizii Episcopi Ostiensis et Veliterni, Sacri Collegii Decani, eidem S. Congregationi Praefecti, Causaeque Ponentis, consideratis animadversionibus R. P. D. Petri Minetti Sanctae Fidei Promotoris, Patroni Causae responsis, nec non Theologorum pro veritate sententiis; omnibus denique severissime hinc inde libratis, unanimi consensu rescribendum censuerunt: *Consulendum Sanctissimo pro concessione seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa iam concessis, addito* Credo, *Antiphona et Magnificat in utrisque Vesperis:* O Doctor, *ac Lectionibus I. Nocturni:* Sapientiam, *et VIII. Responsorio:* In medio Ecclesiae. Die 11 Martii 1871.

Postmodum facta horum omnium et singulorum eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per infrascriptum ipsius S. Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit; ac desuper generale Decretum Urbis et Orbis expediri mandavit. Die 23 iisdem mense et anno.

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C, Praef.

L. ✠ S.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS MITTITVR CONSTANTINOPOLIM LEGATVS EXTRA ORDINEM.

VEN. FR. ALEXANDRO ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI IN PARTIBVS INFIDELIVM NVNCIO APOSTOLICO CVM FACVLTATIBVS LEGATI A LATERE IN HISPANIARVM REGNO.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Caritatem illius imitantes, qui de caelis in terras descendit, ut quaereret et salvum faceret quod perierat, solliciti semper fuerunt Romani Pontifices praedecessores Nostri, cum de catholica fide in universum orbem propaganda, tum de eiusdem integritate atque unitate contra haereticam vel schismaticam pravitatem solertissime custodienda. Idcirco vel a primis Ecclesiae saeculis Legatos suos in diversas mundi regiones tam occidentales quam orientales mittere consueverunt, quorum munus erat vel dissidia atque contentiones componere, aut subortas

haereses et schismata profligare, vel cavere, ne iam profligata et compressa in aliqua parte revirescerent, ac demum in dogmaticis sive canonicis ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis Romani Pontificis exprimere ac gerere personam.

Hinc Praedecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, divinoque auxilio confisi, numquam omisimus catholicae Fidei et ecclesiasticae disciplinae, quae illius retinaculum est, sedulo advigilare, praesertim in Ecclesiis ritus Orientalis, quarum eo maior sollicitudo Nobis incumbit, quo difficilior et periculosior earum conditio est. Verum, inimico homine superseminante zizania, fructus labori, res expectationi postremis potissimum hisce temporibus in illis regionibus cumulate non respondit. Etenim excitatum apud Armenios Catholicos Constantinopolitanae Urbis grave dissidium, in manifestum schisma demum erupit, et multa ecclesiasticae rei confusio et perturbatio consequuta est.

Nos quidem tantis malis praevertendis, vel depellendis curas omnes adhibuimus, sive per Nostras Apostolicas Litteras, sive per Ven. Fr. Antonium Iosephum Archiep. Thyanaeum Nostrum Delegatum Constantinopoli residentem, qui pro sua pietate et prudentia officium ac munus suum naviter ac diligenter exequutus est et exequitur. Sed quominus Nostrae illae curae ac sollicitudines felicem in omnibus exitum haberent, obstitit aliorum infirmitas, aliorum autem obfirmata malitia. Iam vero ne intentatum quidquam relinquamus, illud etiam extraordinarium remedium adhibendum censuimus, quod magnus ille Caesariensis Episcopus S. Basilius, Orientalium

Ecclesiis haeresi exagitatis, a S. Damaso praedecessore Nostro flagitabat, ut scilicet Legatum a facie Nostra extra ordinem mittamus, qui perturbato ordini restituendo adlaboret, qui catholicos constantes in fide et obedientia legitimis pastoribus, imprimis vero Apostolicae huic Sedi debita roboret atque confirmet; et Neoschismaticos catholicorum nomen, ad simplicium deceptionem adhuc subdole usurpantes, ad sinceram poenitentiam, miserante Deo, convertere satagat.

Quapropter, de consilio Ven. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Nostrae Congregationis de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis Te, Ven. Frater, cuius doctrinam ac peritiam in ecclesiasticis negotiis procurandis perspectam habemus, ad Constantinopolitanam Urbem mittimus, Tibique vices Nostras cum facultatibus omnibus necessariis et opportunis demandamus, ut doctrinae opportunitate et veritate infirma confirmes, disrupta consolides, depravata convertas, afflictaeque Ecclesiae Armeniae statum componens, omne virus pravi schismatis, auxiliante Domino, radicitus evellas.

Non dubitamus autem, quin universi et singuli cuiusque gradus et conditionis Apostolicae Sedis dignitatem auctoritatemque in tua persona intuentes debito honore atque obedientia Te prosequantur.

Faxit misericors Deus, ut quod Eo aspirante in bonum Armeniae Ecclesiae decernimus, ad Eius nominis gloriam ex votis Nostris succedat, qui cogitamus cogitationes pacis. Adsit Tibi propitius, viamque tuam et gressus dirigat; quo commisso munere strenue et utiliter perfungaris. Adsit demum illis qui

ignorant et errant, ac iis praesertim qui in iniquitate sua obdurati, a Nobis alieni facti sunt, ut in domum paternam, sanctam videlicet Ecclesiam catholicam, in similitudinem prodigi illius filii, quem abscedendo misere imitati sunt, poenitentia ducti revertantur.

Caelestis denique praesidii auspicem esse volumus Apostolicam benedictionem, quam Tibi, Ven. Frater, ex intimo corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimaprima Martii an. MDCCCLXXI Pontificatus Nostri XXV.

N. Card. Paracciani Clarelli

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO CONSTANTINO S. R. E. CARDINALI PATRIZI EPISCOPO OSTIENSI ET VELITERNO SACRI CARDINALIVM COLLEGII DECANO, VICARIO NOSTRO GENERALI IN SPIRITVALIBVS ROMAE EIVSQVE DISTRICTVS.

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Res maximi plane momenti, Venerabilis Frater Noster, postulat, rogari Te a Nobis atque excitari, ut opera studioque tuo extenuare contendas, aut etiam, si fieri possit, amoliri a iuventute nostra studiosa periculum exitii ei parati. Litteris sane manu Nostra datis non semel monueramus aliquem e populorum moderatoribus, ut usi auctoritate desuper eis commissa, memoresque muneris sui tuendae civilis societatis ab incredulitate, peste omnium perniciosissima, arcerent a Magistrorum subselliis homines, qui non solum omnia despicerent officia religionis, sed odio eius acti, spirituque vere satanico, eamdem carperent, traducerent, oppugnarent. Irrita tamen fuerunt monita Nostra, siquidem veritum est, aut non libuit opponere murum aeneum monstri progressui; licuitque propterea iuveniles animos perver-

sis vitiare doctrinis, et per calumniosa, versuta, impudentissima commenta in fidem, religionem, Ecclesiam, sacros ritus, eorumque administros ac sanctiora quaeque concitare. Nonnulli vero e caecis istis et perditis caecorum ducibus, ad exacerbanda mala Nostra, huc etiam per diruta Urbis moenia sunt advecti; quibus perpauci e veteribus variarum disciplinarum professoribus, abiectissimi sane ingenii, versipelles et cuiusvis grati animi sensus expertes accesserunt, qui retusis conscientiae stimulis, omnique posthabito religioso respectu, ultro se signum constituerunt irae Dei, cui severissimam reddituri sunt rationem malorum, quae fecerunt in Ierusalem. Eorum autem omnium impiae mentis detestabilisque doctrinae specimen habetur indubium in iis, quas ad Doellingerum dederunt, litteris errore, blasphemiis, incredulitate scatentibus. Equidem, Venerabilis Frater Noster, zizania perfecte non secernentur a frumento ante magnam illam diem, in qua Dominus tempus accipiens iustitias iudicabit. Verum expedit, ut citius innotescat universis, eos, qui nomina sua scelestis litteris adscripserunt, catholicos esse desiisse, adeoque vitandos esse a catholicis. Nos quidem et pro iis oramus, ut in se reversi recedant a tenebricosa inferorum doctrina; eaque damnantes quae sunt professi, verbo et exemplo submovere nitantur scandalum a se proximis obiectum. Interim vero, Venerabilis Frater Noster, Tu Parochos omnes istius Metropolis orbis catholici moneto, eorum esse officii, nullam negligere occasionem suadendi iuvenibus curae suae creditis, non licere prorsus auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem, qui

nefariis litteris subscripserunt; quorum nomina cum publicae nunciaverint ephemerides, recensenda non ducimus. Utinam sollicitudo Nostra zelo adiuta tuo, et piorum huius urbis parochorum, sistat irrumpentis incredulitatis impetum, multosque ex adolescentibus a barathro retrahat impietatis, in quod compelluntur. Id enixe poscimus a Deo, cuius favoris auspicem, simulque testem praecipuae benevolentiae Tibi, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Maii Anno 1871. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ubi Nos arcano Dei consilio sub hostilem potestatem redacti tristem atque acerbam vicem huius Urbis Nostrae et oppressum armorum invasione civilem Apostolicae Sedis Principatum vidimus, iam tum datis ad Vos Litteris die prima Novembris anno proxime superiori, Vobis ac per Vos toti orbi catholico declaravimus qui esset rerum Nostrarum et Urbis huius status, quibus obnoxii essemus impiae et effraenis licentiae excessibus; et ex supremi officii Nostri ratione coram Deo et hominibus salva ac integra esse velle iura Apostolicae Sedis testati su-

mus, Vosque et omnes dilectos Filios curis vestris creditos fideles ad divinam Maiestatem fervidis precibus placandam excitavimus. Ex eo tempore mala et calamitates, quas prima illa luctuosa experimenta Nobis et huic Urbi praenunciabant, nimium vere in apostolicam dignitatem et auctoritatem, in Religionis morumque sanctitatem, in dilectissimos subditos Nostros reipsa redundarunt. Quin etiam, Venerabiles Fratres, conditionibus rerum quotidie ingravescentibus, dicere cogimur Sancti Bernardi verbis: initia malorum sunt haec; graviora timemus (1). Iniquitas enim viam suam tenere pergit et consilia promovet, neque iam valde laborat, ut velum obducat operibus suis pessimis quae latere non possunt, atque ultimas ex conculcata iustitia, honestate, religione exuvias referre studet. Has inter angustias, quae dies Nostros amaritudine complent, praesertim dum cogitamus quibus in dies periculis et insidiis fideles et virtus populi Nostri subiicitur, eximia merita vestra, Venerabiles Fratres, et dilectorum Nobis fidelium, quos cura vestra complectitur, sine gratissimo animi sensu recolere aut commemorare non possumus. In omni enim terrarum plaga exhortationibus Nostris admirabili studio respondentes Christifideles, Vosque duces et exempla sequuti, ex infausto illo die expugnatae huius Urbis assiduis ac ferventibus precibus institerunt, et seu publicis atque iteratis supplicationibus, seu sacris peregrinationibus susceptis, seu non intermisso ad Ecclesias concursu, et ad sacramentorum par-

(1) Epist. 243.

ticipationem accessu, sive praecipuis aliis christianae virtutis operibus, ad thronum divinae clementiae perseveranter adire, sui muneris esse putarunt. Neque vero haec flagrantia deprecationum studia amplissimo apud Deum fructu carere possunt. Multa immo ex iis iam profecta bona etiam alia, quae in spe et fiducia expectamus, pollicentur. Videmus enim firmitatem fidei, ardorem caritatis sese in dies latius explicantem, cernimus eam sollicitudinem in Christifidelium animis pro huius Sedis et supremi Pastoris laboribus et oppugnationibus excitatam quam Deus solus ingerere potuit, ac tantam perspicimus unitatem mentium et voluntatum, ut a primis Ecclesiae temporibus usque ad hanc aetatem nunquam splendidius ac verius dici potuerit quam his diebus nostris, multitudinis credentium esse cor unum et animam unam (1). Quo in spectaculo virtutis silere non possumus de amantissimis filiis Nostris huius almae Urbis civibus, quorum ex omni fastigio atque ordine amor erga Nos et pietas, itemque par certamini firmitas luculenter eminuit atque eminet, neque solum maioribus suis digna sed aemula animi magnitudo. Deo igitur misericordi immortalem gloriam et gratiam habemus pro vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et pro dilectis filiis Nostris Christifidelibus, qui tanta in vobis, tanta in Ecclesia sua operatus est et operatur, effecitque ut, superabundante malitia, superabundaret gratia fidei, caritatis et confessionis. « Quae est ergo spes Nostra et gaudium Nostrum et corona gloriae? Nonne

(1) Act. 4, 32.

vos ante Deum? Filius sapiens gloria est Patris. Benefaciat itaque vobis Deus et meminerit fidelis servitii et piae compassionis et consolationis et honoris, quae sponsae Filii eius in tempore malo et in diebus afflictionis suae exhibuistis et exhibetis » (1).

Interea vero subalpinum Gubernium dum ex una parte Urbem properat Orbi facere fabulam (2), ex altera ad fucum catholicis faciendum et ad eorum anxietates sedandas, in conflandis ac studendis futilibus quibusdam immunitatibus et privilegiis quae vulgo *guarentigie* dicuntur, elaboravit eo consilio ut haec Nobis sint in locum civilis principatus, quo Nos longa machinationum serie et armis parricidialibus exuit. De hisce immunitatibus, et cautionibus, Venerabiles Fratres, iam Nos iudicium Nostrum protulimus, earum absurditatem, versutiam ac ludibrium notantes in Litteris die 2 Martii pr. pr. datis ad Venerabilem Fratrem Nostrum Constantinum Patrizi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, sacri Collegii decanum ac Vicaria Nostra potestate in Urbe fungentem, quae typis impressae protinus in lucem prodierunt.

Sed quoniam subalpini Gubernii est perpetuam turpemque simulationem cum impudenti contemptu adversus Pontificiam Nostram dignitatem et auctoritatem coniungere, factisque ostendit Nostras protestationes, expostulationes, censuras pro nihilo habere; hinc minime obstante iudicio de praedictis cautionibus a Nobis expresso, illarum discussionem

(1) S. Bern. ep. 238. et 130.
(2) S. Bern. ep. 243.

et examen apud supremos Regni Ordines urgere et promovere non destitit, veluti de re seria ageretur. Qua in discussione cum veritas iudicii Nostri super illarum cautionum natura et indole, tum irritus hostium in velanda earumdem malitia et fraude conatus luculenter apparuit. Certe, Venerabiles Fratres, incredibile est, tot errores catholicae fidei ipsisque adeo iuris naturalis fundamentis palam repugnantes, et tot blasphemias, quot ea occasione prolatae sunt, proferri potuisse in media hac Italia, quae semper catholicae religionis cultu et Apostolica Romani Pontificis Sede potissimum gloriata est et gloriatur. Et revera, Deo Ecclesiam suam protegente, omnino alii sunt sensus, quos reipsa fovet longe maxima Italorum pars, quae novam hanc et inauditam sacrilegii formam Nobiscum ingemit ac deplorat, et insignibus ac in dies maioribus suae pietatis argumentis officiisque Nos docuit uno se esse spiritu et sensu cum ceteris orbis Fidelibus consociatam.

Quapropter Nos iterum hodie ad Vos voces Nostras convertimus, Venerabiles Fratres, et quamquam Fideles vobis commissi sive litteris suis, sive gravissimis protestationum documentis aperte significaverint quam acerbe ferant eam qua premimur conditionem, et quam longe absint ut iis eludantur fallaciis quae cautionum nomine teguntur; tamen Apostolici Nostri officii munus esse ducimus ut per Vos toti orbi solemniter declaremus, non modo eas quae cautiones appellantur, quaeque Gubernii Subalpini curis perperam cusae sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia et

quidquid cautionum seu *guarentigie* nomine veniat, nullo modo valere posse ad adserendum expeditum liberumque usum divinitus Nobis traditae potestatis et ad tuendam necessariam Ecclesiae libertatem.

His ita se habentibus, quemadmodum pluries declaravimus et professi sumus, Nos absque culpa violatae fidei iuramento obstrictae nulli adhaerere conciliationi posse quae quolibet modo iura Nostra destruat aut imminuat, quae sunt Dei et Apostolicae Sedis iura; sic nunc ex debito officii Nostri declaramus, nunquam Nos admissuros aut accepturos esse nec nullo modo posse, excogitatas illas a Guberuio Subalpino cautiones seu *guarentigie* quaecumque sit earum ratio, neque alia quaecumque sint eius generis et quocumque modo sancita, quae specie muniendae Nostrae sacrae potestatis et libertatis Nobis oblata fuerint in locum et subrogationem civilis eius Principatus, quo divina Providentia Sanctam Sedem Apostolicam munitam et auctam voluit, quemque Nobis confirmant tum legitimi inconcussique tituli, tum undecim et amplius saeculorum possessio. Plane enim cuique manifesto pateat necesse est quod, ubi Romanus Pontifex alterius Principis ditioni subiectus foret, neque ipse revera amplius in politico ordine suprema potestate praeditus esset, neque posset, sive persona eius sive actus Apostolici ministerii spectentur, sese eximere ab arbitrio illius, cui subesset, imperantis, qui etiam vel haereticus vel Ecclesiae persecutor evadere posset, aut in bello adversus alios Principes vel in belli statu versari. Et sane, ipsa haec concessio cautionum, de quibus loquimur, nonne per se ipsa luculentissimo documen-

to est, Nobis quibus data divinitus auctoritas est leges ferendi ordinem moralem et religiosum spectantes, Nobis, qui naturalis ac divini iuris interpretes in toto orbe constituti sumus, leges imponi, easque leges, quae ad regimen universae Ecclesiae referuntur, et quarum conservationis ac exequutionis non aliud est ius quam quod voluntas laicarum potestatum praescribat ac statuat? Quod autem ad habitudinem pertinet inter Ecclesiam et Societatem civilem, optime nostis, Venerabiles Fratres, praerogativas omnes et omnia auctoritatis iura ad regendam universam Ecclesiam necessaria Nos in persona Beatissimi Petri ab ipso Deo directe accepisse, immo praerogativas illas ac iura, aeque ac ipsam Ecclesiae libertatem, sanguine Iesu Christi parta fuisse et quaesita, atque ex hoc infinito divini sanguinis eius pretio esse aestimanda. Nos itaque male admodum, quod absit, de divino Redemptoris Nostri sanguine mereremur, si haec iura Nostra, qualia praesertim nunc tradi vellent adeo deminuta ac turpata, mutuaremur a Principibus terrae. Filii enim, non domini Ecclesiae sunt Christiani Principes; quibus apposite inquiebat ingens illud sanctitatis et doctrinae lumen Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: « ne putetis vobis Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam; nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae » (1). Atque incitamenta eis addens alio loco scribebat: « numquam aestimetis vestrae celsitu-

(1) Ep. 8. l. 4.

dinis minui dignitatem, si Sponsae Dei et Matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem, ne putetis vos humiliari si eam exaltatis, ne credatis vos debilitari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu, considerate Principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorificant, cum illa et in illa glorificabuntur » (1).

Iamvero ex iis quae alias ad vos, Venerabiles Fratres, et modo a Nobis exposita sunt, nemini profecto obscurum esse potest, iniuriam huic S. Sedi hisce acerbis temporibus inlatam in omnem Christianam Rempublicam redundare. Ad omnem enim, uti aiebat S. Bernardus, spectat Christianum iniuria Apostolorum, gloriosorum scilicet Principum terrae; et cum pro Ecclesiis omnibus, uti inquiebat praedictus S. Anselmus, Romana laboret Ecclesia, quisquis ei sua aufert, non ipsi soli sed Ecclesiis omnibus sacrilegii reus esse dignoscitur (2). Nec profecto ulli dubium esse potest quin conservatio iurium huius Apostolicae Sedis cum supremis rationibus et utilitatibus Ecclesiae universae et cum libertate Episcopali ministerii vestri arctissime coniuncta sit et illigata.

Haec omnia Nos, ut debemus, reputantes et cogitantes, iterum confirmare constanterque profiteri cogimur, quod pluries Vobis Nobiscum unanimiter consentientibus declaravimus, scilicet civilem

(1) Ep. 12. l. 4.
(2) Ep. 42. l. 3.

S. Sedis Principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili Potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere ac maiori eiusdem Ecclesiae bono utilitati et indigentiis consulere possit. Id vos, Venerabiles Fratres, ac vobiscum Fideles vobis crediti probe intelligentes, merito omnes ob causam religionis, iustitiae et tranquillitatis, quae fundamenta sunt bonorum omnium, commoti estis, et digno spectaculo fidei, caritatis, constantiae, virtutis illustrantes Ecclesiam Dei ac in eius defensionem fideliter intenti, novum et admirandum in annalibus eius exemplum in futurarum generationum memoriam propagatis. Quoniam vero misericordiarum Deus istorum bonorum est auctor, ad ipsum elevantes oculos, corda et spem Nostram Eum sine intermissione obsecramur, ut praeclaros vestros et fidelium sensus, et communem pietatem, dilectionem, zelum confirmet, roboret, augeat; Vosque item et commissos vigilantiae vestrae populos enixe hortamur ut in dies firmius et uberius quo gravius dimicatio fervet, Nobiscum clametis ad Dominum, quo ipse propitiationis suae dies maturare dignetur. Efficiat Deus ut Principes terrae quorum maxime interest, ne tale usurpationis quam Nos patimur exemplum in perniciem omnis potestatis et ordinis statuatur et vigeat, una omnes animorum et voluntatum consensione iungantur, ac sublatis

discordiis, sedatis rebellionum perturbationibus, disiectis exitialibus sectarum consiliis, coniunctam operam navent ut restituantur huic S. Sedi sua iura et cum iis visibili Ecclesiae Capiti sua plena libertas, et civili societati optata tranquillitas. Nec minus, Venerabiles Fratres, deprecatione vestra et Fidelium apud divinam clementiam exposcite, ut corda impiorum, coecitate mentium depulsa, ad poenitentiam convertat, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, aut reprimendo eorum nefanda consilia ostendat quam insipientes et stulti sunt qui petram a Christo fundatam evertere et divina privilegia violare conantur (1). In his precibus spes Nostrae firmius in Deo consistant. « Putatisne avertere poterit Deus aurem a carissima Sponsa sua, cum clamaverit stans adversus eos qui se angustiaverunt? Quomodo non recognoscet os de ossibus suis et carnem de carne sua, imo vero iam quodammodo spiritum de spiritu suo? Est quidem nunc hora malitiae et potestas tenebrarum. Ceterum hora novissima est et potestas cito transit. Dei virtus et Dei sapientia Christus Nobiscum est qui et in causa est. Confidite, ipse vicit mundum » (2). Interim vocem aeternae veritatis magno animo et certa fide sequamur quae dicit: pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos (3).

Uberrima demum caelestium gratiarum mune-

(1) S. Greg. VII ep. 6. l. 3.
(2) S. Bern. Ep. 126. n. 6. et 14.
(3) Eccl. 4, 33.

ra Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis a Deo ex animo adprecantes, praecipuae Nostrae erga Vos atque Ipsos intimaeque caritatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis iisdemque dilectis Filiis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die decimaquinta Maii anno Domini MDCCCLXXI.

Pontificatus Nostri Anno vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NONNVLLA PRAESCRIBVNTVR AD SPLENDOREM
ET CVLTVM SACRARII AD PRAESEPE
IN BASILICA LIBERIANA.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

De insignium pietatis, religionis, atque artis monumentorum incolumitate solliciti curas Nostras convertimus in celebratissimum sacrarium ad Praesepe Iesu Christi in Patriarchali Basilica Liberiana a fel. rec. Sixto V. Praedecessore Nostro magnifica, elegantique structura excitatum, quod temporis iniuria, opportunisque reparationibus ob publicarum rerum perturbationem neglectis fatiscens proximam minitabatur ruinam. Sacrarii huius Patronus ad id rogatus, quum se ob tenuitatem patrimonii imparem ingentibus hisce expensis ferendis faceret, tum Cappellae patronatum, cum iura omnia, quae in Cappellam eamdem, et Conlegium ibidem institutum ex eiusdem Decessoris Nostri Apostolicis Litteris Anno MDLXXXVII. datis ad eum pertinebant, per Syn-

grapham manu sua subscriptam libere Nobis ac sponte cessit. Quapropter Apostolicis Litteris Nostris die XXVIII. Decembris Anno MDCCCLXIX. datis supradictas Decessoris Nostri Litteras derogantes, admissa Patroni abdicatione, acceptaque iurium omnium, et quorumlibet in praefatum Sacrarium, et Collegium Nobis a Patrono facta cessione, Sixtinum Cappellanorum Conlegium extinximus, singulaque bona, iura, et actiones ad Cappellam Praesepis Domini, et ad praedictum Conlegium, Praeposituram, Secretarium, Cappellanias, et Beneficia quomodolibet spectantia liberae dispositioni Nostrae reservavimus, ita tamen ut hodierni Praepositus, Cappellani, et Beneficiarii, quamdiu ipsis vita suppetat, titulo et reditibus Beneficii sui fruantur, et singulis inhaerentia Beneficiis onera adimpleant, eidemque Cappellae cultum praestare pergant donec aliter provisum sit. Hinc ne illustre hoc Decessoris Nostri tum pietatis, tum artis monumentum ruinam faceret, nulla interposita mora tanto operi manum admovimus; idque luctuosissimis hisce temporibus perficere potuisse Deo, et Patronae Nostrae Deiparae sine labe Conceptae acceptum omnino referimus. Huiusce enim splendididissimi Sacrarii fundamentis firmatis, pilis refectis, testudine plumbeis laminis obtecta, picturis in pristinum suum decus restitutis, sectili pavimento instaurato, sacro Tabernaculo expolito, ac gemmis ornato non modo excidium averrumcavimus, sed illud ornatius redintegravimus, et solidius. Quo autem Sanctuarium hoc omni cura, debitoque cultu habeatur, nonnulla, quae hoc, futurisque temporibus servanda putamus, hisce Litteris constituimus. Itaque

omnia , et singula Apostolicis Litteris Nostris die XXVIII. Decembris Anno MDCCCLXIX. sancita confirmantes munus et officium Cardinalis Protectoris in supradicti Sixti V. Litteris constitutum prorsus abolemus, et supprimimus, et Cappellam ad Praesepe Domini in Patriarchali S. Mariae Maioris Basilica ad Exquilias Nobis, et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus immediate subiectam volumus atque edicimus, et quae liberae dispositioni Nostrae reservavimus, bona, iura, et actiones ad praedictum Sacrarium et Conlegium quovis nomine pertinentes, Sacrario eidem perpetuum in modum assignamus, attribuimus. Proinde decernimus, ut dilectus Filius Noster Cardinalis nunc et pro tempore Praefectus aedium Pontificalium, vel Antistes Urbanus Noster, ac Successorum Nostrorum Diaetarcha, quatenus ei procuratio Palatii Apostolici loco Cardinalis Praefecti committatur, vice sacra eidem praesit, bonorumque omnium redituum, proventuum, iurium, et actionum eidem Sacrario a Nobis hisce Litteris perpetuo adscriptorum curam, et procurationem Cardinali pro tempore Palatii Apostolici Praefecto, vel eius loco Antistiti Urbano Diaetarchae omnino committimus, ac demandamus, ea tamen lege, ut quidquid ab expensis in eiusdem Sacrarii procurationem, cultum, reparationes, ac onerum praesertim Missarum adimplementum sit reliquum rite, ac legitime fructuosa ratione collocetur, ut Sacrarii census augeatur, et cumulus extraordinariis quoque impendiis par fiat. Nostrum porro, et Successorum Nostrorum esse volumus idoneum virum ecclesiasticum ad Nostrum, et eorumdem Successorum Nostrorum nutum

amovibilem deligere, qui praefato Cardinali, vel Antistiti praedicto in omnibus omnino subsit, et honoris causa gratis Sacrarii huius curam immediate gerat, itemque illius cultui, et tuitioni, atque personis Sacrario eidem ministrantibus praesit, et advigilet. Ad hoc autem munus per Nos, et Successores Nostros delectum virum Ecclesiasticum a praedicto Cardinali Palatii Apostolici Praefecto, vel eius loco ab Antistite Pontificiae Domus Diaetarcha tam ordinariorum, quam extraordinariorum ad eiusdem Sacrarii procurationem, cultum, et reparationes impendiorum approbationem in antecessum consequi, et quotannis, et etiam quoties requisitus fuerit, eisdem Cardinali, vel Antistiti cuiuslibet expensi, et accepti rationes reddere, et ad illum de conditione sacrarum supellectilium, atque aedificii accurate referre iubemus, et volumus. Ipsi praeterea Cardinali Palatii Apostolici Praefecto, vel Antistiti Diaetarchae facultatem facimus deligendi, constituto stipendio, et ad nutum amovibiles Presbyterum, Aedituum, Clericum Sacrario ministrantem, et Laicum, qui a custodia eiusdem Sacrarii sit, illiusque munditiam, et nitorem curet, iisdemque propria cuiusque officia suo lubitu praescribendi, quos moneri volumus, ut sedulo, et assidue in suum quisque munus incumbat; Nobis enim summopere cordi est huiusce Sacrarii decor, et cultus. Quo autem sua munia diligentius obeant, et Sacrario adsint praecipimus, et mandamus, ut extructis aedibus, quas ad id aere Nostro aedificari iussimus, quasque item una cum aliis bonis et iuribus, ut supra, perpetuum in modum Sacrario eidem concedimus, Sacerdos, Aedi-

tuus, et Laicus Custos superiorem istarum aedium partem hoc, futurisque temporibus inhabitent, utque inferior earumdem pars Nostro, et Successorum Nostrorum usui, et commoditati servetur. Pari insuper auctoritate Nostra praecipimus, ut reditus omnes tuto in loco per eumdem Cardinalem Praefectum designando deponantur, nec inde extrahi, nec persolvi sive de ordinariis, sive extraordinariis impendiis agatur, nisi per syngraphas Praefecturae Palatii Apostolici possint. Verum quum ex Sixtino Conlegio a Nobis extincto plerique adhuc adsint sui Beneficii oneribus, aliisque in Sacrarii procurationem, et cultum expensis ferendis, ut antea omnino obnoxii, administrationem bonorum, et officia omnia, quae ad eos spectabant ex arbitrio, ac lubitu, et sub dependentia Cardinalis Praefecti Palatii Apostolici, vel Praesulis Diaetarchae Domus Pontificalis idem Praepositus, ac Beneficiarii interim retinere poterunt, donec a Nobis, vel ab eodem Cardinali Praefecto, vel ab Antistite praedicto iuxta Nostras superius datas ordinationes aliter provideatur. At hodierno Praeposito vita functo, licet eius officium extinctum remanere debeat, tamen ne superstites Beneficiarii interim quallibet directione careant, Praefectus Palatii Apostolici pro suo beneplacito, et arbitrio idoneum virum ecclesiasticum sive ex superstitibus Beneficiariis extincti Conlegii, sive ex aliis ecclesiasticis deputare valeat, qui loco defuncti Praepositi procurationi huiusmodi, ceterisque ex Conlegio extincto praesideat. Ius vero sibi accrescendi favore Conlegii vacantium Beneficiorum reditus relate ad Beneficia in posterum vacatura abolemus, illosque

statim ad Sacrarium devolvi volumus, ita tamen, ut pro rata eorumdem redituum portione Sacrarium ipsum conferre debeat ad expensas et onera ferenda, quibus superstites Beneficiarii obnoxii remanent. Durante autem procuratione superstitibus extincti Conlegii per Nos concessa volumus, ut quotannis, et quoties de hoc rogetur, Praepositus, et Beneficiarii accepti, et expensi rationem reddere, deque statu Sacrarii, de supellectilibus, et onerum adimplemento Praefecturae Palatii Apostolici scripto referre debeant. Nihil denique hisce Litteris Nostris innovatum edicimus, ac declaramus quod ad Patriarchalis Capituli Liberiani sacras functiones in eodem Sacrario statis diebus ab ipso peragendas, quas iuxta morem, et consuetudinem celebrare possit, et debeat, atque etiam quod ad obligationem ipsius Capituli duas Lampades ad Altare sanctissimi Sacramenti servandi, et alendi; itemque nihil innovatum volumus quod ad custodiam sanctissimae Eucharistiae, illiusque administrationem, et ad claves tabernaculi, atque ostii tam maioris, quam minoris ferrei cancelli, atque insuper praecipimus, ut Liberianum Capitulum ea omnia adimplere pergat, quae praestare consuevit. Non obstantibus Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, ac praesertim ea de iure quaesito non tollendo, memorata Decessoris Nostri Xisti V. Constitutione, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis specifica, et individua men-

tione dignis etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibusvis clausulis, ac decretis derogatoriis, atque irritantibus in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes ad praemissorum effectum plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV Maii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno XXV.

N. Card. Paracciani Clarelli

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Beneficia Dei ad celebrandum eius benignitatem Nos vocant, dum novam in Nobis protectionis suae gratiam et maiestatis suae gloriam ostendunt. Quintus enim et vicesimus iam elabitur annus ex quo Apostolatus huius Nostri, Deo disponente, ministerium suscepimus, cuius aerumnosa tempora perspecta ita sunt Vobis, ut longiori Nostra commemoratione non egeant. Vere patet, Venerabiles Fratres, ex serie tot eventuum militantem Ecclesiam inter crebra certamina et victorias cursum tenere; vere Deus rerum vices temperat ac regit in Orbe, qui est scabellum pedum suorum; vere infirmis et contemptibilibus saepe

instrumentis utitur, ut indè consilia expleat sapientiae suae.

Iesus Christus Dominus Noster, auctor et supremus moderator Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, suffragantibus meritis Beatissimi Petri Apostolòrum Principis, qui in hac Romana Sede semper vivit ac praesidet, diuturno hoc Apostolicae Nostrae servitutis tempore infirmitatem ac tenuitatem Nostram sua gratia ac virtute ad maiorem sui nominis gloriam et populi sui utilitatem dignatus est regere et sustentare. Hinc Nos divino eius auxilio suffulti, constanterque usi consiliis Ven. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et non semel vestris etiam, Ven. Fratres, qui simul hic Romae magna frequentia Nobiscum adfuistis, hanc veritatis cathedram vestrae virtutis et unanimis pietatis splendore decorantes, potuimus in huius Pontificatus cursu ex Nostris et catholici Orbis votis Conceptionem Deiparae Virginis Immaculatam dogmatica definitione declarare, ac pluribus religionis nostrae heroibus Caelestes honores decernere, quorum et praesertim divinae Matris praesidia catholicae Ecclesiae tam adversis eius temporibus praesto esse futura non dubitamus. Divinae pariter opis fuit et gloriae, ut verae fidei lumen in dissitas et inhospitas etiam regiones evangelicis operariis missis proferre possemus, in pluribus locis ecclesiasticae Hierarchiae ordinem constituere, et errores humanae rationi bonisque moribus, et rei tum christianae tum civili adversos hac praesertim aetate invalescentes solemni condemnatione configere. Deo pariter auxiliante, firmo ac solido, quantum poteramus, concordiae vin-

culo ecclesiasticam et civilem potestatem sive in Europae sive in Americae partibus inter se consociare, pluribusque Orientalis Ecclesiae, quam ab initio Apostolici Nostri ministerii paterno semper cum affectu respeximus, necessitatibus consulere curavimus; ac non ita pridem Oecumenici Vaticani Concilii opus aggredi et promovere Nobis datum est, cuius tamen dum maximi fructus partim suscepti erant, partim expectabantur ab Ecclesia, ob notissimas rerum vices suspensionem decernere debuimus.

Nec vero, Venerabiles Fratres, quae civilis Nostri imperii ius et officium poscebant, ea unquam, Deo donante, exequi praetermisimus. Gratulationes et plausus, ut meministis, qui initia Nostri Pontificatus exceperunt, brevi in iniurias et oppugnationes adeo conversi fuerunt, ut Nos e dilectissima hac Urbe Nostra exulare coegerint. At vero ubi communibus catholicorum populorum et Principum studiis et viribus adnitentibus, Pontificiae huic Sedi restituti fuimus, continuo omnes Nostras vires et studia contulimus ad promovendam et conciliandam fidelibus Nostris subditis solidam illam et non fallacem prosperitatem, quam uti gravissimum civilis Nostri Principatus munus semper agnovimus. At vero vicini Potentis cupiditas temporalis Nostrae dominationis regionibus inhiavit, consilia sectarum perditionis paternis Nostris atque iteratis admonitionibus et vocibus obstinate praeposuit, et novissime, ut vobis compertum est, Filii illius Prodigi, de quo in Evangelio legimus, impudentiam longe supergressus hanc quoque urbem Nostram, quam sibi postulabat, vi et armis expugnavit, eamque nunc in sua potestate

contra omne fas retinet, veluti substantiam, quae ipsum contingat. Fieri non potest, Venerabiles Fratres, quin vehementer ob hanc tam nefariam usurpationem, quam patimur, moveamur. Angimur omnino tanta iniquitate consilii quod eo spectat, ut civili Nostro Principatu deleto, una eademque opera, si ita evenire posset, spiritualis Nostra potestas et Christi regnum in terris deleatur. Angimur tot gravium malorum adspectu, eorum praesertim quibus aeterna populi Nostri salus in discrimen vocatur; qua in acerbitate nihil Nobis est luctuosius quam oppressae Nostrae libertatis conditione impediri, quominus tot malis necessaria remedia adhibeamus. Hisce moeroris Nostri causis, Venerabiles Fratres, accedit etiam louga illa et miseranda series calamitatum et malorum, quae nobilissimam Gallicam Nationem tamdiu perculerunt et afflixerunt; quae in immensum his diebus aucta tot prorsus inauditis excessibus ab efferata ac perdita hominum colluvie patratis, atque atrox nominatim impii parricidii scelus in caede Venerabilis Fratris Parisiensis Antistitis consummatum probe intelligitis quos sensus in Nobis commovere debuerint, cum totum orbem metu atque horrore compleverint. Est demum et alia Nobis, Venerabiles Fratres, caeteris etiam maior amaritudo, cum videamus tot rebelles filios, tot tantisque censurarum laqueis obstrictos nulla paternae Nostrae vocis, nulla salutis suae ratione habita pergere adhuc oblatum a Deo poenitentiae tempus contemnerc, et divinae ultionis iram contumaciter, quam misericordiae fructum in tempore malle experiri.

Iam vero per tot rerum vicissitudines, Deo cle-

mentissimo Nos protegente, natalitium illum Nostrae provectionis diem iam adesse videmus, in quo sicuti in Beati Petri Sede successimus, sic licet eius meritis quam longissime impares annorum eius in Apostolicae servitutis diuturnitate reperimur esse consortes. Novum hoc profecto, singulare ac ingens est divinae dignationis munus, ac in tanta sanctissimorum Nostrorum Praedecessorum serie in longo undeviginti saeculorum cursu Nobis unice, Deo disponente, collatum. In quo eo etiam admirabiliorem Nobiscum divinam benignitatem agnoscimus, cum videamus hoc tempore dignos Nos haberi qui pro iustitia persecutionem patiamur, et cum aspiciamus mirum illum devotionis et amoris affectum, quo Christianus populus vehementer agitur ubique terrarum, et ad hanc Sanctam Sedem unanimi studio compellitur. Quae sane munera cum in Nos adeo immerentes collata fuerint, vires Nostras prorsus impares experimur, ut gratiae reddendae officio pro debita ratione respondeamus. Quamobrem dum ab Immaculata Deipara Virgine petimus, ut Nos doceat eodem ac ipsa spiritu reddere gloriam Altissimo sublimibus illis verbis « fecit mihi magna qui Potens est », Vos etiam atque etiam rogamus, Venerabiles Fratres, ut una cum gregibus Vobis commissis cantica atque hymnos laudis et gratiarum Nobiscum Deo persolvatis. Magnificate Vos Dominum mecum, dicimus Leonis Magni vocibus, et exaltemus nomen eius in invicem, ut tota ratio gratiarum et miserationum, quas accepimus, ad laudem sui referatur auctoris. Populis autem vestris significate incensam caritatem Nostram, gratissimosque animi sensus ob praeclara ipsorum

erga Nos filialis pietatis testimonia et officia tamdiu et tam perseveranter edita. Nos enim, quod ad Nos attinet, cum usurpare iure possimus Regii Vatis verba « incolatus meus prolongatus est », vestrarum deprecationum ope iam ad hoc indigemus, ut virtutem, fiduciamque assequamur reddendi animam Nostram Pastorum Principi, in cuius sinu est refrigerium malorum turbulentae huius et aerumnosae vitae et beatus portus aeternae tranquillitatis ac pacis.

Ut autem ad maiorem Dei gloriam proficiat quod Pontificatus Nostri beneficiis de Eius largitate accessit, spiritualium gratiarum thesaurum hac occasione reserantes, Vobis, Venerabiles Fratres, potestatem facimus ut in vestra quisque Dioecesi, die decimosexto aut vigesimoprimo huius mensis, aut alio ad vestrum arbitrium eligendo Benedictionem Papalem cum applicatione plenariae indulgentiae in forma Ecclesiae consueta auctoritate Nostra Apostolica impertire possitis et valeatis. Spirituali autem Fidelium utilitati consulere cupientes, tenore praesentium in Domino concedimus, ut omnes Christifideles tam saeculares quam regulares utriusque sexus, quocumque in loco cuiusque vestrum Dioecesis existant, qui sacramentali confessione expiati et sacra communione refecti pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione effuderint, eo die, quem Vos ad praedictam Benedictionem largiendam ex auctoritate Nostra designaveritis aut elegeritis, vel in Dioecesibus, ubi Sedes Cathedralis vacet, Vicarii Capitulares pro tempore existentes elegerint et designaverint, omnium peccatorum suorum plenariam indul-

gentiam consequi possint ac valeant. Minime dubitamus quin hac occasione populus christianus efficacius excitetur ad orandum, atque ita multiplicatis precibus eam misericordiam suscipere mereamur, quam tot praesentium malorum adspectus Nos segniter implorare non sinit.

Vobis interim, Venerabiles Fratres, constantiam, caelestem spem, et solamen omne a Deo omnipotenti adprecamur, quorum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Vobis Clero et populo unicuique Vestrum concredito plena cordis Nostri exuberantia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die quarto Iunii Sanctissimae Trinitati sacro, Anno MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri anno vicesimoquinto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PRO CELEBRATIONE FESTI S. IOSEPHI
EIVSQVE PATROCINII.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Inclytum Patriarcham Beatum Iosephum, quem Deus Omnipotens prae omnibus Sanctis suis purissimum verumque sponsum esse voluit in terris immaculatae Virginis Mariae, ac putativum unigeniti Filii sui patrem, quemque ad tam sublimia munera fidelissime implenda gratiis prorsus singularibus auxit et abunde cumulavit merito Catholica Ecclesia gloria et honore in caelis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu. Quamobrem Romani Pontifices Praedecessores Nostri, ut augerent in dies, ac ardentius excitarent in Christifidelium cordibus devotionem et reverentiam erga sanctum Patriarcham, eosque cohortarentur ad illius apud Deum intercessionem summa cum fiducia implorandam haud omiserunt, quoties opportuna esset occasio, novas semper ac maiores publici cul-

tus significationes eidem decernere. Inter eos memoria repetere sufficiat Praedecessores Nostros felicis recordationis Xistum IV, qui festum S. Iosephi inseri voluit in Breviario et Missali Romano, Gregorium XV, qui decreto diei VIII. Maii An. MDCXXI. festum ipsum sub duplici praecepto in universo orbe recoli mandavit; Clementem X, qui die VI. Decembris An. MDCLXX. eidem festo ritum duplicis secundae classis concessit; Clementem XI, qui decreto diei IV. Februarii An. MDCCXIV. festum praedictum Missa ac Officio integre propriis condecoravit; ac tandem Benedictum XIII, qui nomen Sancti Patriarchae decreto edito die XIX. Decembris An. MDCCXXVI. Sanctorum litaniis addi iussit. Ac Nos ipsi, postquam investigabili Dei iudicio ad supremam Petri Cathedram evecti fuimus, moti tum illustrium Praedecessorum Nostrorum exemplis, tum singulari devotione, qua usque ab adolescentia erga eumdem sanctum Patriarcham affecti fuimus, decreto diei X. Septembris An. MDCCCXLVII. magno animi Nostri gaudio ad universam Ecclesiam sub ritu duplicis secundae classis extendimus festum Patrocinii eius, quod iam pluribus in locis speciali huius Sanctae Sedis indulto celebrabatur. Verum postremis hisce temporibus, in quibus immane ac teterrimum bellum contra Christi Ecclesiam fuit indictum fidelium devotio erga Sanctum Iosephum adeo increvit et progressa est, ut omni ex parte ad Nos innumerae ac fervidissimae pervenerint postulationes, quae nuper dum Sacrum Oecumenicum Concilium Vaticanum haberetur, ab omni fidelium coetu, et quod maxime interest, a plurimis ex Venerabilibus Fra-

tribus Nostris S. R. E. Cardinalibus et Episcopis renovatae fuere, quibus flagitabant, ut luctuosis hisce temporibus ad mala omnia propulsanda, quae Nos undique conturbant, efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem Sancti Iosephi exoraremus Illum Catholicae Ecclesiae Patronum declarantes. Nos itaque hisce postulationibus moti, Divino lumine invocato, tot ac tam piis votis annuendum censuimus, ac peculiari Decreto Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis quod inter Missarum solemnia in Nostris Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana ac Liberiana die VIII. Decembris elapsi anni MDCCCLXX. immaculatae Conceptioni Ipsius Sponsae sacro publicari iussimus, eumdem Beatum Patriarcham Iosephum Ecclesiae Catholicae Patronum solemniter declaravimus, Illiusque festum die decimanona Martii occurrens, deinceps sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione quadragesimae, in Orbe universo celebrari mandavimus. Et quoniam aequum reputamus, post Nostram declarationem Sancti Patriarchae in Catholicae Ecclesiae Patronum, Ipsi in publico ecclesiastico cultu omnes et singulas honoris praerogativas tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani rubricas Sanctis Patronis praecipuis competunt, ideo Nos ex consulto Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum renovantes, confirmantes, atque etiam ampliantes praesentibus Nostris Litteris praefatam dispositionem illius Decreti, mandamus insuper, ac iniungimus, quae sequuntur. Volumus scilicet, quod tam in festo Na-

tali Sancti Iosephi, quam in alio Ipsius Patrocinii, etiamsi occurrant extra Dominicam diem, addatur semper in Missa Symbolum seu « Credo ». Volumus insuper quod in oratione « A cunctis » quandocumque recitanda erit, adiiciatur semper post invocationem Beatae Mariae Virginis, et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis, et Sancto Ioanne Baptista, commemoratio S. Iosephi per haec verba « cum Beato Ioseph ». Volumus denique ut hoc ipso ordine servato inter Suffragia Sanctorum, quandocumque illa a rubricis praescribuntur, apponatur sequens commemoratio in honorem Sancti Iosephi. (Ad Vesperas Antiphona) « Ecce » fidelis servus et prudens, quem constituit Domi- » nus super familiam suam – ℣. Gloria et divitiae » in domo eius ℟. Et iustitia eius manet in saeculum » saeculi. (Ad Laudes Antiphona): Ipse Iesus erat » incipiens quasi annorum triginta ut putabatur fi- » lius Ioseph. ℣. Os iusti meditabitur sapientiam. » ℟. Et in lingua eius loquetur iudicium » (Oratio) » Deus, qui ineffabili providentia Beatum Ioseph » Sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere di- » gnatus es, praesta quaesumus, ut quem prote- » ctorem veneramur in terris, intercessorem habe- » re mereamur in caelis ». Haec volumus, mandamus, decernentes has Litteras Nostras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis Litterarum, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici sub-

scriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII. Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.

Pro Domino Card. Paracciani Clarelli

F. Profili Substitutus.

L. ✠ S.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS MAIORI CVLTVI S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO CONSVLITVR

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Qui Ecclesiae suae numquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suae immaculatae Sponsae esse perspexerit, insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui *repleti spiritu intelligentiae, tamquam imbres mittant eloquia sapientiae suae.* Neque enim sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, quum Iansenistarum doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, tunc potissimum extaret ALPHONSVS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutor, et Sanctae Agathae Gothorum Episcopus, qui *bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiae*; scriptisque doctis et la

boriosis, istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico exterminandam curaret. Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; sed in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad Klerum informandum, instituendum; sive ad Catholicae fidei veritatem confirmandam, et contra cuiusque generis aut nominis Haereticos defendendam; sive ad asserenda huius Apostolicae Sedis iura; sive ad fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui maxima saltem ex parte non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae, tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex Cathedra docentis Infallibilitate, plaudente christiano populo, et frequentissimo universi catholici orbis Antistitum consessu approbante, a Nobis sancita sunt, in Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata?

Quamobrem in Hunc perbelle cadit nobilissimum illud divinae Sapientiae praeconium: *Non recedet memoria Eius, et nomen Eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam Eius enarrabunt gentes, et laudes Eius enuntiabit Ecclesia.* Ac Pius VII. Praedecessor Noster recolendae memoriae, summam Alphonsi sapientiam demiratus, gravissimum

hoc de eo protulit testimonium: *Voce* nimirum *ac scriptis in media saeculi nocte errantibus viam iustitiae ostendisse, per quam possent de potestate tenebrarum in Dei lumen ac regnum transire.* Item fel. rec. Decessor noster Gregorius XVI. *incredibilem* Alphonsi *dicendi vim, copiam, varietatemque doctrinae* maximis laudibus prosequutus, Eum Sanctorum Caelitum fastis adscripsit. Tandem nostris hisce temporibus plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, fere omnes totius orbis Sacrorum Antistites, Supremi religiosorum Ordinum Moderatores, insignia Sodalium Theologorum corpora, illustria Canonicorum collegia, et docti ex omni coetu Viri supplices Nobis preces porrexerunt, ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio Doctoris Ecclesiae titulo honoribusque augeamus. Nos itaque piis hisce precibus obsecundare lubenti animo volentes, gravissimum hoc negotium, ut moris est, Congregationi VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium tuendis Ecclesiae Ritibus praepositorum expendendum commisimus. Iam vero, cum dicta VV. FF. NN. Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas aedes die XI Martii huius vertentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Constantini S. R. E. Cardinalis Patrizi nuncupati, Episcopi Ostien. et Veliterni, eiusdem Congregationis Praefecti, Causaeque Ponentis; consideratis animadversionibus dilecti Filii Petri Minetti Presbyteri, Fidei Promotoris; item Patroni Causae responsis, nec non Theologorum pro veritate sententiis, omnibus denique rationum momentis sedulo attenteque perpensis, unanimi consensu rescribendum censuerit: *Consulendum Sanctissimo pro concessione,*

seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa iam concessis; addito Credo, *Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis:* O Doctor, *ac Lectionibus I. Nocturni;* Sapientiam, *et VIII. Responsorio:* In medio Ecclesiae; Nos Rescriptum istud, edito die XXIII eiusdem mensis et anni, Generali Urbis et Orbis Decreto approbandum, confirmandumque existimavimus

At enim dilectus Filius Nicolaus Mauron, Superior Generalis et Rector Maior Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ad iam memoratam Cardinalium Congregationem tuendis Ecclesiae Ritibus supplex adiit, ut in Festo eiusdem Sancti Alphonsi, per Decretum, de quo habita ante mentio est, inter Ecclesiae Doctores adsciti, in Martyrologio Romano, post verba: *Sanctorum fastis adscripsit*, sequentia adderentur: *et Pius IX Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit*; item in VI Lectione post verbum: *accensuit*, haec alia: *tandem Pius IX Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit;* utque concessiones omnes hac super re factae, Apostolicis Nostris Literis confirmarentur. Quae quidem Cardinalium Congregatio cum in conventu die XXII mensis Aprilis huius anni, de more habito rescripserit: *Pro gratia;* Nos die XXVII mensis eiusdem Rescriptum illud ratum habuimus, atque Apostolicas Literas in forma Brevis expediri mandavimus. Quae cum ita sint, memorati dilecti

Filii Nicolai Mauron obsequuti votis, deque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis legitimis Ritibus cognoscendis, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium, titulum Doctoris in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutoris, et Sanctae Agathae Gothorum Episcopi, confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo Ei tribuimus, impertimus; ita quidem ut in universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, atque in die festo anniversario tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium et Missa fiat iuxta Sacrae Rituum Congregationis Decretum Rescriptumque quod memoravimus. Praeterea huius Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

Tandem ut Christifidelium pietas ad huius Doctoris diem festum rite colendum, eiusque opem pie implorandam magis accendatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, vere poenitentes et sacramentali confessione praemissa Sanctissimam Eucharistiam sumpse-

rint, et quamlibet ex Ecclesiis Congregationis Sanctissimi Redemptoris devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino in perpetuum concedimus.

Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum Regularibus, ubique locorum et gentium inviolabiliter et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri An. XXVI.

PRO DOMINO CARD. PARACCIANI CLARELLI
F. PROFILI SVBSTITVTVS

Loco ✠ Annuli Piscatoris

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS
ET LOCORVM ORDINARIIS VNIVERSIS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE
HABENTIBVS

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SVLVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Saepe, Venerabiles Fratres, in hoc diuturno Pontificatu ad Vos conversi significavimus Vobis, quam grato exceperimus animo argumenta devotionis illius et dilectionis, quas misericordiarum Deus indidit Vobis, ac fidelibus curae vestrae creditis erga Nos et Apostolicam hanc Sedem. Et sane cum inimici Dei civilem eius ditionem invadere coeperunt, ut tandem, si fieri posset, praevalerent adversus Iesum Christum et Ecclesiam, *quae est corpus Ipsius et plenitudo Eius*; Vos Venerabiles Fratres, et christianus populus, numquam Deum, *cui venti et mare obediunt*, exorare desiistis, ut procellam sedare

vellet, nec unquam destitistis ab iterandis amoris vestri testimoniis, omnibusque adhibendis officiis, quibus Nos in tribulatione Nostra solari possetis. Postquam vero hac ipsa urbe totius orbis catholici capite privati fuimus, et eorum arbitrio commissi, qui Nos oppresserant, Vos una cum plerisque e Dioecesium vestrarum fidelibus ingeminastis preces, crebrisque denunciationibus asseruistis sacrosancta religionis et iustitiae iura, quae incredibili proculcantur ausu. Nunc autem, cum novo post S. Petrum aventu, et in Romanorum Pontificum serie prorsus inusitato, sextum et vicesimum attigimus annum Apostolici Nostri ministerii in Romana Cathedra, indicia edidistis adeo illustria gaudii vestri ob insigne hoc beneficium tenuitati Nostrae largitum, et adeo perspicue demonstrastis florentissimam vitam, qua ubique informatur christiana familia, ut profunde commoti fuerimus; votaque Nostra vestris iungentes, novas inde vires duxerimus ad plenum absolutumque triumphum Ecclesiae fidentius expectandum. Contigit autem Nobis acceptissimum, creberrima ubique affluxisse supplicantium agmina ad sanctiora templa, eaque in toto terrarum orbe confertissima redundasse fidelium frequentia, qui una cum proprio Pastore, per publicas preces et sacramentorum usum Deo gratias agebant de beneficio Nobis collato, et instanter ab ipso Ecclesiae victoriam postulabant. Moerorem autem, curasque Nostras non levari modo, sed et in gaudium converti sensimus a litterarum vestrarum gratulationibus, obsequiis, votis, a creberrimo fidelium undique confluentium adventu, quos inter plurimi eminebant nobilitate generis,

aut dignitatibus ecclesiasticis vel civilibus praestantes, sed fide nobiliores, quique omnes affectu et opere iuncti plerisque ex istius urbis et occupatarum provinciarum civibus, huc a dissitis etiam regionibus convolarunt, iisdemque se obiicere voluerunt periculis et contumeliis, quibus Nos sumus obnoxii, ut coram testarentur religiosos suos, suorumque concivium erga Nos sensus, Nobisque volumina afferrent, quibus plurima centena millia fidelium ex omni gente, proprio adscripto nomine, Nostri principatus invasionem acerrime configebant, eiusque restitutionem a religione, iustitia, ipsaque civilitate flagitatam et praeceptam graviter expostulabant. Hac vero occasione stips quoque Nobis solito largior affluxit, qua pauperes simul ac divites occurrere conati sunt factae Nobis inopiae, cui accessere munera multiplicia, varia, nobilissima, splendidumque christiananarum artium et ingeniorum tributum relevandae praesertim accommodatum duplici Nobis a Deo concessae potestati spirituali ac regiae; et praeterea copiosa splendidaque supellex sacrarum vestium et utensilium, qua squalori et egestati tot Ecclesiarum undique occurrere possemus. Mirum certe spectaculum unitatis catholicae, quod evidenter ostendit, Ecclesiam universam, licet toto diffusam orbe, gentibusque compactam disparibus moribus, ingenio, studiis, uno informari Dei spiritu; et eo prodigiosius ab ipso confortari, quo furiosius illam insectatur et urget impietas, et quo callidius omni ipsam humano auxilio destituere conatur. Effusae igitur et maximae Ei gratiae habeantur, qui dum ita dat gloriam nomini suo, per praesentem ipsam virtutis opisque

suae demonstrationem afflictas erigit mentes ad spem indubii triumphi. Verum si bonorum omnium Datori haec referimus accepta, gratissimo simul animi sensu afficimur in eos, qui se instrumenta praebentes divinae providentiae, Nos omni cumularunt auxilii, solatii, obsequii, devotionis, amoris officio. Sublatis autem ad caelum oculis ac manibus, quidquid huiusmodi impensum est Nobis a filiis Nostris in nomine Domini Ei offerimus, enixe poscentes, ut communibus eorum votis pro huius Sanctae Sedis libertate, pro Ecclesiae victoria, pro mundi tranquillitate citius obsecundet, et liberaliter unicuique in caelestibus ac terrestribus illam referat gratiam, quam Nos referre nequimus. Significare profecto peculiariter optaremus universis et singulis gratum animum Nostrum, Nostramque testari propensissimam voluntatem; at uberrima ipsa copia officiorum re, scripto, verbis undique oblata id fieri plane non patitur. Ut igitur quod cupimus aliquo modo assequamur, Vos, Venerabiles Fratres, quibus primas sensuum horumce Nostrorum partes deferimus, rogamus, ut eos Clero populoque vestro diserte nuncietis ac aperiatis. Hortamini autem omnes, ut constanter vobiscum in oratione perseverent animo plane fidenti; nam si oratio iusti assidua penetrat nubes nec discedit, donec Altissimus aspiciat, et Christus promisit, adfuturum se duobus in nomine suo coniunctis et consentientibus, Patremque caelestem facturum quidquid ipsi petierint; multo magis profecto Ecclesia universa iugi et unanimi oratione sua assequetur, ut demum, divina propitiata iustitia, contritas videat infernas vires, profligatos ac deletos humanae malitiae conatus, pa-

cemque et iustitiam reductas in terram. Vos autem quod spectat, Venerabiles Fratres, in hoc praesertim animum intendite et vires, ut arctius semper inter Vos coniuncti confertam veluti phalangem obiiciatis Dei hostibus, qui Ecclesiam, nulla unquam vi destruendam, novis adhuc artibus et impetu aggrediuntur; quo facilius et efficacius eorum incursui resistere et eorum agmina fundere possitis. Haec quae vehementissime desideramus et enixe petimus, Vobis, totique catholicae familiae toto corde adprecamur; atque interim auspicem optatissimi eventus, divinique favoris Apostolicam Benedictionem, indubiam praecipuae benevolentiae Nostrae, gratique animi testem, unicuique vestrum, Venerabiles Fratres, Cleroque et populo toti singulorum curae commisso ex imo pectore depromptam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die V. Augusti festo Mariae S. in Esquiliis anno Domini MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.

PIVS PP. IX.

LETTERA

AL MARCHESE FRANCESCO CAVALLETTI

CARISSIMO MARCHESE SENATORE
E FIGLIO IN GESV' CRISTO

Le molteplici prove di affetto filiale che ogni giorno mi pervengono da ogni punto dell'Orbe Cattolico producono in me la più viva commozione, e Mi obbligano ad una sincera gratitudine che procuro soddisfare colla preghiera a favore di tanti e tanti Figli della Chiesa, a pro de'quali applico in ogni settimana il Sacrifizio d' infinito valore, quello cioè della S. Messa, e che, a soddisfare il comune desiderio, applicherò, a Dio piacendo, anche nel giorno 23 corrente, domandando a Dio che liberi questa nostra Italia dai tanti mali che ogni giorno l'opprimono di più. Ultimamente fui sorpreso, Dilettissimo Figlio in Gesù Cristo, che sempre foste così affezionato a questa Santa Sede, fui sorpreso, dissi, per la notizia che Voi mi comunicaste, e cioè che due nuovi e veramente inaspettati tratti di amor filiale si disponevano i buoni Cattolici a manifestar-

mi, ossia l'offerta di una Sedia Pontificale Aurea, e l'aggiunta del titolo di Grande al nome di Pio Nono.

Col cuore sulle labbra, e colla sincerità di un Padre che ama affettuosamente i suoi figli in Gesù Cristo, risponderò sull'una sull'altra di queste due offerte. E in quanto al prezioso dono dell'aurea Cattedra, si è subito presentato alla mia mente il pensiero d'impiegare la somma che potrà ricavarsi dalle oblazioni cattoliche nel riscatto dei giovani Chierici, che una legge tenebrosa ed inaudita costringe ad assumere il servizio militare. Il Clero è l'aureo seggio che sostiene la Chiesa, e perciò contro il Clero sono diretti principalmente gli sforzi dei presenti dominatori, e collo spogliamento e colle persecuzioni, e sopratutto col rendere difficilissime le vocazioni al Santuario, onde così ridurre sempre più scarse le sostituzioni nella Gerarchia Ecclesiastica, la quale decimata ogni giorno dalla morte e dalle amarezze lascia continui voti che non possono riempirsi, con sommo detrimento della Chiesa di Gesù Cristo.

Sembra che i presenti dominatori abbiano assunto l'impegno di tutto distruggere, e specialmente quello che si riferisce alla Religione e alla Chiesa. E mentre largheggiano di lodi e di sovvenzioni per incoraggiare Ecclesiastici disubbidienti ai Prelati, ed apostati della Fede, proseguono nell'infernale sistema di osteggiare il gran numero dei buoni, solo perchè contrarii alle dottrine dei persecutori, e alle loro disposizioni anticristiane. Ma lasciamo che questi ciechi dominatori corrano la via della perdizione, giacchè, fatti sordi ai primi latrati della co-

scienza, e divenuti beffardi per burlarsi delle sane dottrine che loro si pongono sott'occhio, corrono per quella china che li conduce all'abisso profondo.

E parlando del secondo pensiero di aggiungere la parola *Grande* al Nome Nostro, Mi occorre pure alla mente una sentenza del Divin Redentore. Percorreva Egli le diverse contrade della Giudea avendo assunta la umana natura, e qualcuno ammirando le sue divine virtù chiamollo « *Maestro buono* ». Ma Gesù prontamente rispose: « *Come tu mi chiami buono? Dio solo è buono* ». Se dunque Gesù Cristo, avendo riguardo a sè come Uomo, dichiarò che Dio solo è buono, come non dovrà dire il suo indegno Vicario, che Dio solo è Grande? Grande pei favori che concede a questo stesso suo Vicario, Grande pel sostegno che accorda alla Chiesa Sua, Grande per la pazienza infinita che adopera co'nemici suoi, Grande per li premi che prepara a tutti quelli che abbandonano le vie del peccato per applicarsi all'esercizio della penitenza, Grande pei rigori della Giustizia che adopererà a punizione degli increduli e di tutti i nemici ostinati della Sua Chiesa.

Ciò posto, sento il bisogno di confermare quanto ho accennato di sopra, e cioè che venga applicato il denaro, che si raccoglierà, non per la Cattedra, ma pel riscatto dei Chierici, e in secondo luogo di sentire pronunziato il Mio Nome come fu sempre, volendo che tutti ripetano a gloria di Dio: *Magnus Dominus et laudabilis nimis*. È questo il desiderio che il Padre espone a' suoi figli carissimi, e col desiderio ripete le assicurazioni di amore e di gratitudine verso di loro. È vero che a tre Pontefici

veramente grandi fu dato questo titolo, ma ciò avvenne dopo la loro morte, essendo allora più chiari e tranquilli i giudizi degli uomini.

Questi pertanto restino grandi nelle bocche e nei cuori di tutti, mentre Io con effusione di cuore comparto a Voi, alla vostra Famiglia e a tutti i buoni Cattolici l'apostolica Benedizione.

Dal Vaticano 8 Agosto 1871.

PIO PP. IX.

ALLOCVTIO

HABITA IN AEDIBVS VATICANIS AD S. R. E. CARDINALES
DIE XXVII. OCTOBRIS AN. MDCCCLXXI.

VENERABILES FRATRES

Ordinem Vestrum amplissimum, usitati ritus solemnitate intermissa, huc convocavimus, ut illud Vobiscum pro rei gravitate communicemus, quod ad consulendum spiritualibus christiani populi in Italia necessitatibus perficere decrevimus. Non opus est, Venerabiles Fratres, ut hic Vobis ea recenseamus quae pluries in Nostris Allocutionibus aut in Nostris ad universos Episcopos datis encyclicis litteris deploravimus. Compertae enim sunt omnibus atque adeo exploratae, ut summa sine impudentia denegari, aut ad invidiam levandam excusatione tegi non valeant, hostiles et ingentes iniuriae, quae iam pridem et continenter in hac afflicta Italia catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi inferuntur, quasque occupata per vim hac Urbe Nos ipsi Vobiscum pati et videre cogimur, ita ut Regii Prophetae verbis dicere iure possimus: *vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius et iniustitia* (1). Equidem, Ve-

(1) Psalm. 54.

nerabiles Fratres, his tantis exundantium malorum fluctibus iam fere obruimur: at duriora etiam perpeti pro iustitia, Deo infirmitatem Nostram confortante, haudquaquam refugimus: immo mortem ipsam libentissime oppetere parati sumus, si Deo misericordi placuerit pro Ecclesiae pace et libertate huius hostiae humilitatem excipere.

Iamvero acerbissima semper, inter tam multas alias, doloris causa Nobis extitit viduitas longe plurimarum sedium, quae in misera Italia iamdiu suorum Episcoporum praesidio carent; ac illa porro exinde profecta spiritualis auxilii necessitas, qua fideles populi in tam calamitosa rerum ac temporum conditione quotidie magis premuntur. Cum autem ea necessitas talis evaserit, ut ei iam non possimus caritate Christi Nos urgente non occurrere, inspecto nempe ingenti numero viduarum Sedium et amplis frequentissimisque Italiae provinciis, quae vix duos aut tres Sacrorum Antistites numerant, inspecto diuturnae persecutionis in Ecclesiam impetu et conatibus impiorum ad fidem catholicam ex animis Italorum evellendam, inspectis maximarum perturbationum periculis, quae civili ipsi societati impendent, cunctandum amplius non esse iudicavimus, quin opem dilectis filiis Italiae fidelibus, quorum etiam clamores de sua orbitate querentium ad Nos saepe pervenerunt, quantum in Nobis est, afferremus, iisque virtute spectatos praeficeremus Antistites, qui Dei gloria et negotio animarum salutis sibi unice proposito, in haec omnes suas curas et zelum adiiciant.

Suos itaque Episcopos viduatis Italiae Ecclesiis in nomine Iesu Christi Filii Dei partim hodierna die

adsignamus, partim quamprimum in posterum constituemus, confisi fore, ut Ipse, qui Nobis auctoritatem contulit et officium demandavit, propter infinitam misericordiam suam, omnibus difficultatibus, si quae huic Nostri ministerii operi opponi vellent, remotis, curis hisce Nostris pro spirituali animarum salute unice susceptis, benedicat atque obsecundet. Simul autem coram universa Ecclesia protestamur, Nos cautiones eas, quae *guarentigie* appellantur, quemadmodum in litteris Nostris encyclicis die XV. Maii hoc anno datis luculenter ediximus, omnino respuere, et aperte declaramus, Nos, in hac gravissima parte Apostolatus Nostri exercenda, potestate uti ab Ipso collata, qui est Pastorum Princeps et Episcopus animarum nostrarum, scilicet potestate a Iesu Christo Domino Nostro Nobis tradita in persona Beatissimi Petri, *a quo,* ut ait S. Innocentius Praedecessor Noster, *ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit* (1).

Hac vero occasione silentio praeterire non possumus impiam quorumdam hominum in alia Europae regione temeritatem et perversitatem, qui a regula et communione Catholicae Ecclesiae misere deviantes, tum libellis omni errorum et mendaciorum genere refertis, tum sacrilegis inter se conventibus celebratis, palam impugnant auctoritatem sacrosancti oecumenici Vaticani Concilii, veritatesque fidei ab eodem solemniter declaratas et definitas; ac praesertim supremam ac plenam iurisdictionis potestatem, quam Romanus Pontifex Beatissimi Petri successor

(1) Epist. ad Conc. Carthagin.

in universam Ecclesiam divina ordinatione obtinet, nec non infallibilis magisterii praerogativam qua idem pollet, cum supremi Fidelium Pastoris et Doctoris munere fungitur in fidei morumque doctrinis definiendis.

Quo autem hi perditionis filii contra catholicam Ecclesiam persecutionem saecularium potestatum excitent, persuadere istis fraudulenter conantur, Concilii Vaticani decretis veterem Ecclesiae doctrinam esse immutatam, ac ipsi reipublicae et societati civili grave inde periculum esse conflatum. Quibus calumniis, Venerabiles Fratres, quidnam iniquius, aut eodem tempore absurdius fingi vel excogitari potest? Nihilominus dolendum est alicubi accidisse, ut ipsi reipublicae administri huiusmodi improbis insinuationibus capti, et nullam rationem habentes offensionis populi fidelis, palam suo patrocinio tegere et favore confirmare in eorum rebellione novos sectarios non dubitarint. Haec dum presse ac breviter hodie cum moerore Nostro apud vos conquerimur, meritam omnino laudem Nos tribuere debere intelligimus, spectatis regionis eius Episcopis, quos inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Monacensem honoris causa ultro nominamus, qui singulari animorum coniunctione, pastorali zelo, admirabili fortitudine et eximiis scriptis, veritatis causam contra huiusmodi conatus praeclarissime defendunt; huiusque commendationis partem universi etiam Cleri Populique fidelis egregiae pietati et religioni tribuimus, qui, Deo protegente, Pastorum suorum sollicitudini cumulate respondent.

At Nobis interea, Venerabiles Fratres, illuc convertendi sunt oculi et cordis vota, unde potest

necessarium ac praesens auxilium adesse. Ne cessemus igitur noctes ac dies clamare ad Deum clementissimum, ut per merita Iesu Christi Filii sui lucem immittat errantium mentibus, qua viae suae abyssum respicientes sempiternae saluti consulere non morentur, Ecclesiae autem suae in tanto certamine spiritum fortitudinis et zeli uberrime praestare pergat; eique maturare dignetur per oblationem sanctorum operum, per dignos fidei fructus, et sacrificia iustitiae optatos propitiationis dies, quibus erroribus et adversitatibus destructis, ac regno iustitiae et pacis restituto, laudis et gratiarum maiestati Eius debita sacrificia persolvat.

APPENDIX

CONTINENS TRIA ACTA AN. MDCCCLXVIII.

EDITA

DECRETVM

DE SVPPRESSIONE EPISCOPALIS SEDIS ANTIOQVIAE IN REPVBLICA NEOGRANATENSI ET DE ILLIVS TRANSLATIONE ET ERECTIONE IN ALTERO CIVICO OPPIDO MEDDELLENSI.

Apostolici ministerii munus, quod pro omnibus Catholici Orbis Ecclesiis Romano Pontifici maximopere incumbit, pastoralem Illius movet sollicitudinem, non modo ad novas Episcopales Sedes persaepe instituendas pro Christianae fidei promulgatione, et conservatione, sed etiam pro temporum necessitate, et locorum opportunitate ad iam erectas, atque institutas alibi transferendas, ut meliori animarum spirituali bono et commoditati consuli queat. Ideo cum Sanctissimus Dominus Noster Pius huius nominis Nonus divina Providentia Summus Pontifex compertum habuerit, in Neogranatensi Republica Episcopalem Sedem Antioquiae, quae a s. m. Pio Papa Septimo Praedecessore Suo dudum fuerat erecta, opportunius atque utilius fore si modo ad alterum civicum oppidum vulgo *Medellin* eiusdem Provinciae et dioecesani territorii transferretur, negotium consulto perpendit.

Civitas siquidem *Medellin* multis hodie nominibus commendatur: quamvis enim novissima ferme sit, adeo tamen adaucta undequaque illico est, ut iam duplici propemodum civium numero super Antioquiam gaudeat; et effecta insuper provinciae ipsius caput, tum probata aeris salubritate (praesertim aestivo tempore) populorum frequentia; tum praecipua negotiorum gestione, Antioquiam ipsam omnino praecellat. Tandem Meddellensis Civitas ita geographice sita dignoscitur, ut media in dioecesano territorio sit, quum caeteroquin Antioquia nonnisi extremos pertingat limites.

His igitur, aliisque de causis, re mature perpensa, ex certa scientia, motuque veluti proprio Sanctitas Sua supplens consensum quorumqumque interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium, translationem Cathedrae Episcopalis, quae Antioquiae fuerat constituta, ad Meddellensem Civitatem adprobare dignata est; atque ideo haec omnia quae sequuntur de Suae Apostolicae auctoritatis plenitudine perpetuo in decretis mandavit.

1. Quae in civico oppido Antioquiae Ecclesia usque adhuc cathedralitatem obtinuit per Apostolicas Litteras sub plumbo s. m. Pii Papae Septimi diei vigesimi tertii Augusti anno millesimo octingentesimo quarto, aliasque Summorum Pontificum concessiones, omnino supprimatur et extinguatur, unaque cum omnibus adnexis honoribus, iuribus, et privilegiis; eaque ad primaevum statum simplicis Ecclesiae, eadem tamen conservata sui nominis invocatione, illico restituatur.

2. Parochialitas vero, quae forsan in eadem Ec-

clesia modo existit, ut illorum Christifidelium utilitati magis consulatur, omnino conservetur cum omnibus honoribus, iuribus, privilegiis, de comuni iure adnexis, ut Ecclesiae Parochialis nomen, dignitatem, et officium perpetuum tueatur.

3. Propterea dotationes omnes, quae sive a Neogranatensi Gubernio, sive a quopiam alio in id adsignatae iamdiu, vel ultro sponsae fuerunt ad statuendam paroeciam et inibi erigendam, omnino conserventur, et religiose rependantur.

4. Suppressa vero et extincta Episcopali Sede Antioquiae, ad primaevi sui nominis memoriam et gloriam conservandam, voluit Sanctitas Sua eiusdem tamen Ecclesiae titulum Episcopalem permanere atque cum alterius Sedis mox transferendae titulo denominationem perpetuo habere.

5. Praecepit insuper, ut quisquis pro tempore Episcopus infra transferendae Sedis pluries per annum Antioquiam repetat ad sacra in extincta et suppressa Cathedrali peragenda, praesertim in peculiaribus festis illius Civitatis, imprimis vero Sancti Protectoris, aliisque eiusdem Ordinarii arbitrio.

6. Meddellensis vero praeclarum Neogranatensis Reipublicae oppidum ad titulum civitatis Episcopalis mox exurgat; et cathedra Episcopalis, quae in Ecclesia superius relata Antioquiae suppressa et extincta fuit, huc transferatur et de novo erigatur, et canonice instituatur.

7. Ecclesia siquidem, quae in Meddellensi civitate sub invocatione Beatissimae Virginis Mariae de Purificatione prostat ad Episcopalem attollatur prisci nempe sui nominis titulo conservato; ibique Se-

des modo suppressa transferatur, et de novo erigatur, quae ideo Cathedralis honorem, ius, et privilegium illico sibi adsciscatur; eoque Episcopalis Ecclesia Meddellensis, et Antioquiae Metropolitico iuri Sanctae Fidei de Bogota subeat, eique suffragetur.

8. Arbitrio insuper R. P. D. Exequutoris infra deputandi huius Decreti committi iussit Summus Pontifex parochialitatem, quae modo inest Ecclesiae Cathedrali sic erectae in eadem asservandi, vel potius alteram Ecclesiam in Meddellensi civitate eligendi, ad quam commodius queat illam transferri, contrariis quibuscumque minime obstantibus, caeterisque servatis de more, deque iure servandis.

9. Caeterum ad translationem, erectionem, constitutionem, et dotationem novae huius Episcopalis Cathedrae in civitate Meddellensi; nec non pro habitatione Episcopi, aliisque in id necessariis negotiis omnino referenda et applicanda erunt (iisdem profecto conservatis Dioecesis priscis limitibus) quae pro Antioquiae suppressa Episcopali Sede fuerunt conventa, et statuta, et usque adhuc observata; absque ulla alia derogatione, vel contraria interpretatione.

10. Demum Meddellensi cuique pro tempore Episcopo Sanctitas Sua benigne concessit, ut in perpetuum denominationem acquirat unitam *Meddellensis* et *Antioquiae*: reservata tamen Sibi, et Apostolicae Sanctae Sedi alteram quandocumque eiusdem Dioecesis ineundi circumscriptionem.

11. Taxam vero novae sic erectae Ecclesiae Meddellensis, et Antioquiae eamdem esse voluit Sanctissimus Pontifex in singulis Consistorialibus propo-

sitionibus, atque expeditionibus, quae adsignata iamdiu fuit in erectione mox suppressae Cathedralis Ecclesiae Antioquiae, quaeque in libris Reverendae Camerae Apostolicae et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii transcripta iamdiu reperitur.

12. Quibus rebus ita statutis et ordinatis eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia indulsit, iussitque ut huiusmodi Consistoriale Decretum perinde ab omnibus habeatur et sit, ac si in id Apostolicae Litterae sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent de more expeditae.

13. Ideoque contrariis quibuscumque minime obstantibus, speciali eis illata quoque derogatione cuique facultatem omnem dempsit Consistoriale hoc Decretum infringere vel ausu etiam temerario eidem contradicere sub indignatione Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius.

14. Quapropter Summus Pontifex in huiusmodi Decreti Exequutorem Apostolicum deligere ac deputare dignatus est R. P. D. Archiepiscopum Sanctae Fidei de Bogota in Neogranatensi Republica, ut ipse sive per se, sive per aliam quoque personam, in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam, ea omnia peragat, ut quamprimum hoc suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, derogationis, concessionis, indulti, delegationis Decretum exequutioni rite mandent; atque infra annum exequutorialia Acta ad Sacram hanc Congregationem transmittere satagant.

15. Huiusmodi ideo Consistoriale Decretum Sanctitas Sua ferri iussit ad perpetuam rei memoriam

et normam, in Archivio quoque Sacrae huiusmet Congregationis de more asservandum.

Datum Romae e Secretaria Sacrae Congregationis Consistorialis die decimaquarta mensis Februarii anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo sexagesimo octavo.

Rogerius Antici-Mattei Patriarcha Constantinopolitanus S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS APOSTOLICA DELEGATIO CONSTANTINOPOLI CONSTITVITVR.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Iam inde ab antiquissimis temporibus Praedecessores Nostri Romani Pontifices pro sua in Ecclesiam universam sollicitudine in dissitis regionibus ecclesiasticos viros sub variis nominibus habuerunt, aut ex provinciae Episcopis selectos, aut ab Urbe missos, qui stabili iurisdictione muniti suas illic vices obirent (1), et conservationi unitatis fidei, puritatis morum, constitutionis hierarchicae, canonum ac disciplinae solerter advigilarent. Ex quo factum est ut posteaquam ad catholicae fidei veritatem, atque unitatem, a qua funesto schismate fuerant avulsae, aliquot Orientalis ritus Ecclesiae reversae fuissent, iidem Praedecessores Nostri haud omiserint Delegatos suos in Orientales regiones mittere, qui nomine et aucto-

(1) Pius VI Respons. ad Metropol. Moguntin. etc. de Nunciaturis cap. VIII sect. III.

ritate Apostolicae Sedis Catholicorum Orientalis ritus curam gererent, exequenda et servanda curarent, quae diversis temporibus memorati Praedecessores Nostri Romani Pontifices ad spirituale illarum gentium regimen opportune constituissent, nec non Apostolicam Sedem de statu Ecclesiarum, quibus advigilarent, accurate docerent. Atque hoc sane consilio constituti fuerunt Delegatus Libani, qui postea Syriae dictus est, atque Apostolici Delegati tum Aegypti atque Arabiae, tum Mesopotamiae, Armeniae Minoris, Kurdistani, ac Persidis, qui omnes erga Orientales in suis respective Delegationibus degentes commisso munere funguntur.

Iam vero catholici fideles cuiusque ritus in Vicariatu Patriarchali Constantinopolitano commorantes Apostolici Vicarii eiusdem civitatis auctoritati suberant, cuius quidem peculiarem curam inter caeteros catholici Armenii ritus experti sunt. Ex quo autem fel. mem. Pius VIII Praedecessor Noster Archiepiscopalem et Primatialem Sedem Armeniam Constantinopoli erexit, ac proinde in ordinariam eiusdem iurisdictionem cesserunt fideles Armenii Imperii Othomanici in memorata Vicariatu existentes, non idcirco totum erga illos conquievit officium praedicti Vicarii Apostolici, quem fel. mem. Gregorius XVI Decessor Noster per Congregationem Fidei propagandae praepositam non semel declaravit « habere ius inspectio- » nis, per quod curare debet, ut iuxta sacros ca- » nones et eiusdem Congregationis decreta Ecclesiae » negotia administrarentur, eiusque esse ad memo- » ratam Congregationem referre, si qua vel emen-

» datione indigeant, vel quibus aliqua ratione con-
» sulendum sit. »

Porro cum per Apostolicas Nostras Litteras sub plumbo datas die 12 Iulii proximi superioris anni 1867, quarum initium *Reversurus*, extincto Primatiali atque Archiepiscopali titulo, Constantinopolitanam Armeniam Provinciam Patriarchatui Ciliciae adiunxerimus, opportunum duximus confirmare officia, quae Vicario Apostolico praedicto pro universis Orientalis ritus Ecclesiis in suo Vicariatu existentibus inesse declaratum iamdiu fuerat, eumdemque titulo iuribus, ac privilegiis Delegati Apostolici decorare atque augere; quo clarius pateat, Antistitem illum Romani Pontificis pro tempore existentis vices ac personam gerere, eaque ratione melius consultum arctiori Orientalium Ecclesiarum cum Apostolica Sede coniunctioni, qua quidem nihil accommodatius fidei ac morum integritati custodiendae, ecclesiasticae libertati ac disciplinae tuendae, atque Episcopalibus iuribus vindicandis.

Nos itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium propagandae fidei praepositorum per praesentes Litteras Vicario Apostolico Constantinopolitano pro tempore existenti omnia et singula officia confirmamus, quae pro universis Orientalis ritus Ecclesiis in illius Vicariatu sitis ipsi inesse declaratum est; eidemque Antistiti titulum ac iura, honores, privilegia Delegati Apostolici deferimus ac tribuimus. Iam vero non dubitamus quin Armenius Ciliciae Patriarcha, ceterique omnes cuiusque ritus Antistites, eorumque clerus et populus Apostolicum Delegatum Constantinopoli pro tempore

existentem debito honore ac reverentia prosequantur, atque in ipso Delegato supremam Delegantis auctoritatem agnoscentes, fidem atque obedientiam, quam voce et scripto Apostolicae Sedi professi sunt, factis etiam sint comprobaturi. Contrariis, speciali quamvis et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III Martii ann. MDCCCLXVIII Pontificatus Nostri Vigesimo secundo.

N. Card. Paracciani Clarelli

DECRETVM

DISMEMBRATIONIS TOTIVS PRINCIPATVS MONOECI A PROVINCIA ECCLESIASTICA AQVENSI ET A DIOECESI NICIENSI, AC DEIN ERECTIONIS EIVSDEM IN ABBATIAM NVLLIVS CVM TERRITORIO SEPARATO ET IMMEDIATE S. APOSTOLICAE SEDI SVBIECTAM FAVORE MONACHORVM ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS PRIMAEVAE OBSERVANTIAE.

Pastoris aeterni vices in terris gerentes Romani Pontifices de animarum salute continuo solliciti omnem semper contulerunt curam, ut quae pro temporum vicissitudine atque opportunitate ad illarum utilitatem magis expedirent, iisdem Apostolica providentia et auctoritate consulerent. Hinc Sanctissimus Dominus Noster Pius huius nominis Nonus divina clementia Summus Pontifex Suorum Praedecessorum vestigiis impense inhaerens singulari animi sui propensione excipere dignatus est quas Celsitudo Serenissima Caroli III. Monoeci Principis per illustrem virum Octavianum Naldini Equitem torquatum Eiusdem apud Sanctam Apostolicam Sedem negotiorum gestorem obsequentissimas preces porrigere sategit, uti scilicet dismembrato totius Monoeci territorio ab Ecclesiastica provincia Aquensi,

et subtracto a iurisdictione Episcopi Niciensis, instituatur inibi Abbatia Nullius cum territorio separato et Apostolicae Sanctae Sedi immediate subiecta favore Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae Observantiae, quibus spiritualis illorum Christifidelium procuratio omnino demandetur.

Et revera Monoecum cum universo Principatus territorio incolas utriusque sexus plusquam sex mille enumerat: Ecclesias plures praeter parochialem *S. Nicolao* dicatam atque alteram suburbanam *Sanctae Devotae* Principatus Patronae habet. Xenodochium insuper atquc Scholae prostant pro utroque sexu, quae a religiosis viris et mulieribus Deo dicatis moderantur. Quare maxime perutile illis Christifidelibus huiusmodi Abbatiae institutio evadet, tum propter accessionem praeclarissimi Ordinis Regularis Sancti Benedicti de religione, de instructione, deque bonis artibus semper undequaque meriti; tum etiam propter Abbatis Ordinarii praesentiam, qui illius Principatus pastoralem administrationem sedulo salubriterque in Domino navabit.

Hisce itaque, aliisque magni ponderis momentis mature perpensis, Sanctissimus Dominus Noster Summus Pontifex ex certa scientia, motuque veluti proprio de Suae potestatis Apostolicae plenitudine propositam Abbatiae fundationem, atque institutionem adprobare dignatus est; atque ad id rite perficiendum haec omnia quae sequuntur in decretis referri mandavit, et ab omnibus observari sancivit.

1. Habito consensu R. P. D. Ioannis Petri Solà

Episcopi Niciensis Sanctitas Sua voluit suppleri de supremae Suae auctoritatis plenitudine consensum aliorum quorumcumque interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium ad dismembrationem a Provincia Ecclesiastica Aquensi, et a quacumque Episcopalis Ecclesiae Niciensis spirituali iurisdictione, et subiectione totius territorii Principatus Monoeci, prouti hodie est post Conventionem anno 1861. inter Carolum III. illius Principem et Napoleonem III. Gallorum Imperatorem initam.

2. Propterea Parochialis Monoeci Ecclesia S. Nicolao dicata, aliaeque omnes Ecclesiae, Capellae, Oratoria, loca pia quaecumque cum omnibus utriusque sexus incolis, religiosis, eorumque domibus, et Ecclesiis, Confraternitatibus, piis Sodalitiis, caeterisque omnibus cum suis consuetis accessoriis, et de iure concomitantibus, quae totum territorium Principatus Monoeci hodie constituunt, in eiusque ambitu complectuntur, a Provincia Ecclesiastica Aquensi et a Dioecesi Niciensi illico subtrahantur, et spiritualiter omnino separentur.

3. Ecclesia itaque Monoeci *S. Nicolao* sacra, altero quoque Patrono adscito, nempe *S. Benedicto* Monachorum Occidentalium Patre et Magistro, ad honorem, titulum, privilegium, et iurisdictionem Abbatialis Ecclesiae Nullius assurgat et nominetur, conservata tamen sua paroecialitate per Presbyterum Cleri saecularis administranda: in eaque Abbatialis Cathedra constituatur, et sit pro uno Abbate Ordinario Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae observantiae.

4. Huiusmodi vero Abbas Ordinarius pro tempore Monoeci, vix fuerit ab Episcopo benedictus, omnibus gaudeat fruaturque honoribus, praeeminentiis, gratiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, indultis aliisque ad normam Abbatis Ordinarii pro tempore Montis Cassini Ordinis Sancti Benedicti; nec non alterius eiusdem Ordinis Basilicae S. Pauli extra Urbis pomoerium. Proinde Eidem Sanctitas Sua extendi indulsit, voluitque omnia et singula privilegia, facultates, gratias, indulta, et honores, quibus s. m. Sixtus PP. V. Apostolicis Litteris sub plumbo datis X. Kal. Martii anno 1589, quae incipiunt « Benignitas Apostolicae Sedis » Abbatem Ordinarium Cassinensem voluit praeeminere; et s. m. Benedictus XIII. Apostolicis Litteris item sub plumbo datis XII. Kal. Martii anno 1726, quae incipiunt « Creditae Nobis » Abbatem Ordinarium S. Pauli de Urbe benigne cohonestavit.

5. Ideo haec regularis Abbatia SS. Nicolai et Benedicti Monoeci ex subtractione provinciae ecclesiasticae Aquensis, nec non Dioecesis Niciensis constituta, pro omnibus iuris effectibus sit omnino, et habeatur cum territorio separato, et Apostolicae S. Sedi immediate subiecta.

6. Expensae vero omnes, uti in praesentiarum dignoscuntur, et quaecumque aliae, quae poterunt in posterum obvenire tum pro Ecclesiae Abbatialis fabrica, tum pro Sacrario, Clericis, aliisque Ecclesiae eiusdem servitio quomodocumque mancipatis; nec non pro divino cultu, sacris utensilibus, et caeteris omnibus etiam ad conservandam et exercen-

dam parochialitatem, tuendae semper et repetendae erunt a Principis, eiusque haeredum et successorum aerario, sicuti modernus ipse Monoeci Princeps Carolus III. pro Se, Suisque apud Summum Pontificem religiosa sponsione declaravit.

7. Insuper, sicuti ab eodem Principe sponsum quoque est, Abbati Ordinario Monoeci solventur quotannis ab Illius aerario non minus quam octo millia francorum gallicae monetae impertienda in singulos menses, et exempta a quacumque diminutione et impositione, ut tum decorae suae exhibitioni, tum aliorum saltem quatuor Monachorum eiusdem sui Ordinis sustentationi convenienter, opportuneque possit provideri.

8. Praeterea Domum pro constituendo Monasterio satis amplam et decoram Abbatiali Ecclesiae quantum fieri poterit proximiorem (si unita difficulter modo reperiatur) Princeps ipse se donaturum promisit, cuius donationis et acceptationis robur heic Sanctitas Sua solemniter iussit firmari.

9. Quapropter omnibus expensis, quae obvenire poterunt, sive pro acquisitione, donatione et reductione ad usum monasticum huiusmodi domus; sive etiam pro eiusdem mobilibus aliisque ad vitae usum necessariis; atque altera stabili retributione Abbati pro tempore Ordinario quotannis solvenda ad tuendam, sarciendamque, in posterum Monasterii fabricam Principis ipsius, eiusque haeredum et Successorum aerarium occurrere pactum solemniter esto.

10. Quas singulas dotationum, adsignationum

responsionum, solutionum fundationes et perpetuas sponsiones ratas acceptasque habens Summus Pontifex de suae auctoritatis plenitudine favore Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae Observantiae pro Abbatia tantum Regulari, eiusdem Ordinis, Monoeci ut supra erigenda, benigniter adprobavit, et heic in decretis praecepit referri.

11. Verum ut munificentiae Principis Caroli III. huiusmodi Regularis Abbatiae pii fundatoris debita grati animi significatio rependatur, voluit quoque Sanctitas Sua, ut electio et deputatio Abbatis Ordinarii pro tempore Monoeci modo peragenda a R.P.D. Petro Casaretto Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae Observantiae Abbate Generali, et in posterum pro singulis vacationibus ab eiusdem Successoribus Abbatibus Generalibus iuxta tamen Ordinis Constitutiones a S. Apostolica Sede nuperrime confirmatas, semper fiat de Religioso viro accepto tum Principi suprarelato, cum eiusdem haeredibus et Successoribus.

12. Praeterea Sanctitas Sua benigne indulsit ut Capellanus Principis, qui etiam Eius Eleemosynarius esse poterit, munerum parochialium exercitium peragere valeat de peculiari tamen Abbatis Ordinarii adprobatione, restrictive in Palatiis Principis, et super personis qui Illius servitio adscripti, domorum huiusmodi incolatu fruuntur et utuntur: exclusa Baptismatis collatione, quod Sacramentum semper erit administrandum a Parocho Ecclesiae SS. Nicolai et Benedicti, atque ideo eadem in Ecclesia fons Baptismatis tantum extare debebit. Insuper de-

nunciationes tùm pro Sacris Ordinibus suscipiendis, tum pro Matrimoniis in faciem Ecclesiae contrahendis erunt semper eadem in Abbatiali Ecclesia exequendae, et supradicto Capellano aulico onus incumbet in singulos menses Abbatiali Cancellariae notulam exhibere tum natorum, tum defunctorum, tum eorum qui S. Matrimonio rite fuerunt copulati.

13. Caeterum Exequutori inferius deputando mandavit cum omnibus facultatibus, ut collatis cum Serenissimo Principe consiliis, omnes quaestiones quae pro beneficiorum quorumcumque sive praesentatione, sive nominatione a Principe, eiusque haeredibus et Successoribus in singulis vacationibus peragenda, vel iure patronatus vel alio quocumque titulo inter Ipsum et Abbatem Ordinarium pro tempore oriri possent, iam nunc omnino praeveniantur et praecidantur; atque communi consensu iura hinc inde perpetuo componantur et statuantur, etiam, quatenus opus fuerit, peculiari suppleto Apostolico Indulto vigore Consistorialis huius Decreti; ut et Principum pietati satisfiat, et qui huiusmodi collationibus providentur utilitati Ecclesiae, et Christifidelium bono ad excolendam peculiariter Domini vineam revera sese vocari dignoscant.

14. Quamobrem Sanctitas Sua in huiusce Decreti Exequutorem Apostolicum deputare dignata est R.P.D. Petrum Casaretto Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae Observantiae Abbatem Generalem cum omni potestate non solum etiam alteram ecclesiasticam personam in dignitate tamen constitutam eligendi et subdelegandi; sed huiusmodi

Decreti interpretandi quoque, declarandi, et, quatenus opus fuerit, ea omnia etiam supplendi, quae ad totum hoc negotium, de quo in hoc Decreto agitur, sive exequendum sive permanenter conciliandum et definitive promovendum necessaria vel etiam opportuna fore probaverit, appellatione quacumque remota; et contrariis quibuscumque minime obstantibus, peculiari quamvis mentione dignis, vel eis quoque ad hoc speciali illata Apostolica derogatione.

15. Atque insuper Eidem Exequutori Apostolico, Eiusdemque subdelegato commissum etiam voluit, ut infra tres menses ab exequutione peracta, omnia, quae hoc Consistoriali Decreto mandata sunt, et eorum insuper, quae statuenda etiam forsan ad id erunt, Acta ad S. hanc Consistorialibus negotiis praepositam Congregationem mittere satagant, una cum topographica charta Abbatiae huius Regularis, distinctis confinibus Dioecesis rite exarata.

16. Quae quidem omnia, ut firmiorem sortiantur effectum, mandavit voluitque etiam Sanctitas Sua Consistorialè hoc totum Decretum perinde valere ac si in id Litterae Apostolicae sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent expeditae; et cuicumque suprema Apostolicae Suae auctoritatis plenitudine ademit omnem facultatem Decretum ipsum contraire, vel quocumque vitio sive etiam subreptionis et obreptionis notare, sub poena indignationis Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius incurrendae.

17. Quamobrem hoc suprarelatum totum praecepit confici Consistoriale Decretum ad maiorem

Omnipotentis Dei gloriam, et ad Christifidelium Monoeci utilitatem spiritualem et honorem; atque in Archivio sacrae huiusmet Congregationis Consistorialibus negotiis praepositae pro rei memoria, solemnitate, et norma perpetuo asservari.

Datum Romae hac die tricesima Mensis Aprilis Anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo sexagesimo octavo.

Rogerius Antici-Mattei Patriarcha Constantinopolitanus S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

INDEX

MDCCCLXIX.

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Quod in maximis* - die 26 martii; quibus concedit Indulgentiam Plenariam die XI insequentis aprilis lucrandam occasione exacti quinquagesimi anni ab Se suscepto Presbyteratu. . . . . pag. 3

Similes - *Supremi Apostolatus* - die 22 martii. Pastoralem suam sollicitudinem erga Ecclesiam Orientalis Ritus adhibitam ostendit, et vacanti Archiepiscopali Ecclesiae Amidenae seu Diarbekirensi Chaldaeorum Petrum Attar presbyterum chaldaeum praeficit. » 5

Similes - *Supremi Apostolatus* - die 22 martii. Eodem ac in praecedentibus Litteris usus exordio in Episcopum elegit vacantis Ecclesiae Mardensis Chaldaeorum Gabrielem Farso chaldaeum sacerdotem. » 11

Similes - *Nemo certe ignorat* - die 11 aprilis; quibus impertitur Indulgentia Plenaria in forma Iubilaei occasione Oecumenici Concilii iam indicti die 29 iunii anni 1868 per Bullam - *Aeterni Patris unigenitus Filius* - . . . . , . » 16

Similes - *Miserrimam Missionis de Curaçao* - die 25 maii; quibus Missio de Curaçao in America Septemtrionali religiosae Dominicianorum familiae ex Provincia Hollandica demandatur. . . . » 24

Allocutio habita in Consistorio Secreto die 25 iunii - *Novam et Catholicae Ecclesiae* - Reprobat ac detestatur legem aSubalpino Gubernio sancitam, cuius vi etiam Clerici militari conquisitioni subiiciuntur: gravissimis moeret malis, quibus sanctissima nostra religio afflictatur, tum in Austriae Imperio et Hungariae Regno, tum in Regno Hispaniarum: praeterea nuntiat Russici Gubernii vexationes praesertim in Catholicos Antistites, qui ex suis dioecesibus eiecti et in exilium pulsi vel prohibeantur quominus cum Apostolica Sede libere communicare queant: commendat denique Episcoporum constantiam, qui nullo fracti periculo rem catholicam strenue tuentur. » 27

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Ecclesiae universae* - die 17 augusti; quibus statuitur divisio Missionum Sveciae potissimum et Norvegiae, et duplex Apostolica Praefectura in Ducatibus Holstein et Schleswig et in Regno Daniae. . . . . » 30

Epistola hortativa - *Libentissimo certe animo* - die 30 augusti ad Patriarcham Ciliciae Ritus Armenii et Archiepiscopos ac Episcopos eiusdem Ritus in Patriarchali Synodo congregatos, ut providis Apostolicae Sedis monitis inhaerentes ecclesiasticae disciplinae eorumque gregis utilitatem prae oculis unice habeant. . . . . » 34

Litterae Apostolicae sub plumbo - *Cum Ecclesiastica disciplina* - pridie kalendas septembris; quibus nonnulla praescribuntur pro utilitate Babilonensis Chaldaeorum Patriarchatus. . . . . . . » 38

Epistola - *Per ephemerides accepimus* - die 4 septembris. Per Venerabilem Fratrem Henricum Eduardum Archiepiscopum Westmonasteriensem cuidam Cum-

ming Doctori scoto acatholico negative respondet quaerenti num in futuro Concilio dissidentibus fiat potestas ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrentur. . . . . . » 48

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Iesu Christi exemplis* - die 12 octobris. Erudiendis pueris in regione transtiberina scholas erigit, earum regimen et curam Instituto Fratrum Scholarum Christianarum nuncupato sub titulo Sanctissimi Infantis Iesu et Patrocinii Sancti Iosephi attribuit, ac ipsis necessarium censum assignat. . . . . . » 51

Constitutio - *Apostolicae Sedis moderationi* - quarto idus octobris; qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur. . . . . » 55

I. *Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.* . » 57

II. *Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.* . . . . . » 61

III. *Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.* . . » 64

IV. *Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.* . . . . » 65

V. *Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.* . . . . . . » 67

VI. *Interdicta latae sententiae reservata.* . » 69

Decretum Consistoriale - *Novam Episcopalem Cathedram* - die 22 octobris. Suppressionis, translationis, erectionis, et redintegrationis Episcopalis Sedis e civico oppido de Coro ad civicum oppidum Barquisimeti in Republica de Venezuela. . . . . » 73

Epistola ad Archiepiscopum Westmonasteriensem missa - *Cum in litteris* - die 30 octobris. Declarat se viros divinarum rerum peritos designaturum, quibus dissidentes facile exponere poterunt ea omnia rationum momenta sententiae suae, quae sibi in Concilio obiicere non licet. . . . . » 77

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Summi Apostolatus munus* - die 26 novembris. Nova Sedes Episcopalis Dunedinensis in Nova Zelandia erigitur. » 79

Similes - *Multiplices inter* - die 27 novembris. De ordine generali servando in Oecumenico Concilio Vaticano. . . . . » 81

I. *De modo vivendi in Concilio.* . . . » 82

II. *De iure et modo proponendi.* . . . » 84

III. *De secreto servando in Concilio.* . » 85

IV. *De ordine sedendi et de non inferendo alicui praeiudicio.* . . . . » 86

V. *De iudicibus excusationum et querelarum.* » 87

VI. *De Officialibus Concilii.* . . . . » 88

VII. *De Congregationibus Generalibus Patrum.* » 90

VIII. *De Sessionibus publicis.* . . . . » 94

IX. *De non discedendo a Concilio.* . . » 95

X. *Indultum Apostolicum de non residentia pro iis, qui Concilio intersunt.* . . . . » *Ib.*

Allocutio habita in Congregatione Generali ante primam Sessionem Concilii Vaticani die 2 decembris 1868 ad Episcopos Catholici Orbis, qui ad Concilium Romam convenerunt « *Sacri Oecumenici Vaticani Concilii* » Ingentem animi laetitiam exprimit cum tantam Venerabilium Fratrum frequentiam circumspiciat, eosque adhortatur, ut firmitudinem et constantiam cum mentis docilitate coniungant ad contradictiones ac dimicationes subeundas, quae inimicus homo certe excitaverit. . . . . » 97

Constitutio de electione Summi Pontificis perdurante Concilio Oecumenico « *Cum Romanis Pontificibus* » pridie nonas decembris . . . . . . » 102

Allocutio habita in Vaticana Basilica sacro Oecumenico Concilio inchoando die VIII dec. MDCCCLXIX ad Episcopos Catholici Orbis in idem Concilium congregatos « *Quod votis omnibus* » Miserrimae huius aetatis errores, fraudes, atque flagitia undique grassantia breviter enumerans Concilii scopum utilita-

temque demonstrat : ex studio, doctrina, concordia tot Venerabilium Fratrum Concilio adstantium uberrimos fructus pro divexata Ecclesia et fidelibus universis sibi pollicetur: tandem Patrem luminum, Immaculatam Virginem Deiparam, Apostolorum Principes, ceterosque Caelites enixe deprecatur, ut sacri Concilii Patres ministerium suum fideliter implere valeant. . . . . » 109

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Quae brevi annorum cursu* - die 28 decembris; quibus declaratur Ducem Sforza Cesarini ius patronatus Cappellae Sixtinae in Basilica Liberiana cessisse. » 116

MDCCCLXX.

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Religiosas Regularium Ordinum familias* - die 23 februarii; quibus Apostolica visitatio in Antoniano Armeniorum Monachorum Ordine indicitur . . » 125

Epistola - *Non sine gravissimo* - die 24 februarii ad Antonium Archiepiscopum Thyanaeum Delegatum Apostolicum Constantinopoleos super querimoniis, dissidiis, et ausibus nonnullorum Armeniorum Catholicorum inibi degentium. Ipsi, qui Romae adest mandat, ut Constantinopolim celeriter redeat, necessariis omnibus atque opportunis instructus facultatibus, quarum ope exortas in illa Ecclesia perturbationes compescere, pacemque illinc exulantem restituere pro viribus contendat . . . » 129

Litterae apostolicae sub annulo Piscatoris - *Quae catholico nomini* - die 11 martii. De erectione novae Episcopalis Sedis S. Augustini in territorio Floridae, illamque suffraganeam esse iubet Archiepiscopi Baltimorensis . . . . . . » 137

Epistola ad Prosperum Gueranger e Congregatione Cassinensi Abbatem Solesmensem - *Dolendum profecto est* - die 12 martii. Insaniam queritur nonnullorum, qui catholico nomine abusi vietis sophismatibus imperitorum vulgus adversus Oecumenici Concilii constitutiones incitent tamquam fallaces et humanis artibus extortas. Consilium laudat eiusdem dilecti filii, qui doctis evulgatis scriptis impios eorum dolos detegendos ac refellendos susceperit » 138

Litterae apostolicae sub plumbo - *Apostolicam in universam* - anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, quarto idus martii (*idest* 12 *martii* 1870). De erectione Episcopatus Victoriensis seu Tamaulipani in ditione Mexicana, quem in suffraganeum subiicit Archiepiscopalis Ecclesiae Mexicanae . . . » 141

Litterae apostolicae sub annulo Piscatoris - *Ex debito summi Apostolatus* - die 18 martii. De partitione provinciae ecclesiasticae Quebecensis . . » 156

Litterae apostolicae sub plumbo - *Multiplices inter* - anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, decimo Kalendas aprilis (*idest* 23 *martii* 1870). De erectione Ecclesiae Episcopalis de Portu Vetere in republica Aequatoriana, quae Metropolitanae Sedi Quitensi suffragetur » 159

Litterae apostolicae sub annulo Piscatoris - *Apostolici ministerii ratio* - die 5 aprilis; quibus Antonius Maria Valenziani Episcopus Fabrianensis et Matilicanus Convisitator Apostolicus Ordinis Armeniorum Monachorum S. Antonii in Urbe constituitur » 173

Constitutio Dogmatica de Fide Catholica edita in Sessione tertia sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani - *Dei Filius* - die 24 aprilis . . . » 177

Caput I. *De Deo rerum omnium creatore.* » 180

II. *De revelatione* . . . . » 181

III. *De Fide* . . . . . . » 183

IV. *De Fide et ratione* . . . » 186

Canones

1. *De Deo rerum omnium creatore.* » 190
2. *De revelatione* . . . . » 191
3. *De Fide* . . . . . . » 192
4. *De Fide et ratione* . . . » 193

Litterae ad Armenos catholicos Patriarchatus Ciliciae - *Quó impensiore studio* - die 20 maii. Vehementer dolet omnes sollicitudines suas et ipsam delegationem Archiepiscopi Thyanaei in civitate Constantinopoleos pro medendis dissidiis inter catholicos illius Patriarchatus excitatis in irritum cessisse. Gratulatur iis Armeniae catholicis, qui difficultatibus et periculis circumsepti ab officio non defecerunt; eosdem hortatur, ut a pravis rebellium exemplis constanter abhorreant; contra vero perturbationum auctores debitas poenas minitatur, si in sua pervicacia perstiterint . . . . » 195

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Ex commissi Nobis ab alto* - die 14 iunii. De erectione Sedis Episcopalis Campifontis seu Sprigfield in ditione Massachusetts; quam Sedem suffraganeam assignat Episcopo Neo-Eboracensi . . . . . » 202

Similes Petro Mariae Episcopo Oriolensi seu Aloniensi - *Exponendum curavisti* - die 12 iunii, quarum vi Oriolensibus Episcopis conceditur facultas in absentia Fratrum Karmelitarum impertiendi quotannis die XVI iulii Benedictionem Apostolicam in ecclesia Karmelitarum Tertii Ordinis. . . » 205

Constitutio Dogmatica prima de Ecclesia Christi edita in Sessione quarta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani - *Pastor aeternus* - die 18 iulii . » 207
Caput I. *De Apostolici Primatus in Beato Petro institutione* . . . . . . » 208
II. *De perpetuitate Primatus Beati Petri in Romanis Pontificibus* . . . » 210

III. *De vi et ratione Primatus Romani Pontificis* . . . . » 211
IV. *De Romani Pontificis Infallibili Magisterio* . . . . » 214

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Quod Catholici nominis* - die 19 iulii. Nova statuitur circumscriptio territorii trium Vicariatuum, quos Birmanica regio complectitur, revocatis similibus Litteris in forma Brevis die 27 novembris 1866 de eorumdem Vicariatuum divisione datis . . » 219

Similes - *Ex debito Pastoralis officii* - die 19 iulii, quibus Missio Bengalae Orientalis in Praefecturam Apostolicam erigitur . . . . » 223

Similes - *Ecclesiae universae* - die 22 iulii, quibus Vicariatui Apostolico Cambodiensi duo adduntur provinciae, quarum fines describuntur . . » 226

Similes - *Ecclesiae universae* - die 22 iulii, quibus accurate constituuntur limites Vicariatus Apostolici Siamensis . . . . » 229

Similes - *Quae christiano nomini* - die 24 augusti. De commutatione nominis Vicariatus Apostolici De Dahomey in utriusque Guineae tractu. . » 231

Similes - *Quae christianae rei* - die 2 septembris. Vicariatus Apostolicus Sinensis provinciae De Hupe in tres distinctos Vicariatus dividitur, eorumque limites designantur . . . . » 233

Similes - *Quae catholicae rei* - die 16 septembris. In insula Terrae Novae duae novae Praefecturae Apostolicae eriguntur, terminis dioecesium S. Ioannis et Portus Gratiae aliquatenus immutatis. Earum uni a S. Georgio, alteri a Placentia nomen inditur. Haec autem Sacrorum Antistiti S. Ioannis in administrationem interim datur . . . . » 236

Similes - *In hac Beati Petri Cathedra* - die 27 septembris. Vicariatus Apostolicus Luxemburgensis in Magno Luxemburgensi Ducatu ad dignitatem Dioeceseos evehitur . . . . » 239

Similes - *Quod Monachis Ordinis S. Benedicti* - die 30 septembris. De erectione Monasterii filialis Congregationi Helveto-Benedictinae in America Septentrionali: novum hoc Monasterium titulo sancti Meinradi insignitum in dioecesi Vincennopolitana ad Abbatiae dignitatem nullius dioecesis evehitur . » 248

Similes - *Postquam Dei munere* - die 20 octobris, quibus Oecumenicum Vaticanum Concilium suspensum declaratur ob sacrilegam in Urbem invasionem. Plenariam vero Indulgentiam in forma Iubilaei Litteris diei 11 aprilis 1869 concessam adipisci possunt fideles ac si ipsius Concilii celebratio procederet » 253

Epistola - *Inter gravissimas afflictiones* - die 28 octobris, missa ad aliquot Germaniae Episcopos in civitate Fuldensi congregatos, qua laudat eorum vigilantiam pastoralem in monendis fidelibus credendi et profitendi veritates in Vaticano Concilio definitas . . . . » 257

Epistola Encyclica - *Respicientes* - diei 1 novembris ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes. Indefessam commemorat constantiam suam in iuribus possessionibusque tuendis Sanctae Romanae Ecclesiae, atque intimo animi dolore horrificam describit fraudum et proditionum historiam, quas Subalpinum Gubernium impudentia maxima molitus fuit ad postremam pontificiae ditionis partem vi armisque invadendam; deinde enarrat subsequentes intrusi Gubernii turpitudines: contra sacrilegam usurpationem consummatam protestationes suas iam editas confirmat, ac declarat eos omnes, qui quomodolibet insignis flagitii participes fuerint, ma-

iorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas incurrisse, uti decreverat Apostolicis Litteris die 26 martii 1860 datis. Tandem paternae charitatis non immemor vehementer exoptat, ut hostes Ecclesiae, mutatis consiliis, redeant ad cor, in quem finem assiduas commendat preces . . . . » 263

Epistola - *Gravis et acerba conditio* - die 12 novembris ad Iosephum Hippolitum Archiepiscopum Turonensem. Teterrimo Galliam inter et Borussiam saeviente bello, eidem Archiepiscopo eas partes committit, ut, caeteris in Episcopatu Collegis adiutoribus adhibitis, utramque certantem nationem ad exoptatae pacis consilia pro suo cuiusque bono, maiori qua potest contentione inducat . . » 278

Decretum - *Quemadmodum Deus* - die 8 decembris, quo S. Ioseph Deiparae Virginis Immaculatae Sponsus Catholicae Ecclesiae Patronus constituitur. » 282

Similis - *Sacra Rituum Congregatio* - 22 decembris ad praecavendas aliquot irregularitates in Servorum Dei actibus conficiendis . . . . . . » 284

MDCCCLXXI.

Epistola - *Ecclesia Dei* - die 2 martii ad Constantinum S. R. E. Cardinalem Patrizi Episcopum Ostiensem et Veliternum Sacri Cardinalium Collegii Decanum Vicarium in spiritualibus Generalem Romae eiusque districtus. Stultam calumniam refellit perduellium dictitantium Romanum Pontificem Patrum Societatis Iesu consilio omnino regi: eiusmodi calumniae causam patefacit: Absurdas Subalpini Gubernii invasoris concessiones, quas vocant *guarentigie* breviter pertingit . . . . . . » 286

Similis - *Ubi prima novi schismatis* - 11 martii Venerabilibus Fratribus Antonio Petro IX Patriarchae Ciliciae atque Catholicis Archiepiscopis Episcopis Armenii Ritus gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus, nec non Dilectis Filiis Sacerdotibus, Monachis, et Laicis catholicis eiusdem ritus. Factiosum Conciliabulum a schismaticis Armeniae recens coactum illegitimum et omnino irritum declarat, proindeque electionem in eo attentatam novi patriarchae nullam et inanem esse decernit, imo poenas a sacris canonibus sancitas tam novo Patriarchae quam electoribus infligit. Universos hortatur catholicos Armenios, ut legitimo suo Patriarchae, et Apostolicae Sedi fideles maneant et obedientes. . . . . » 290

Decretum - *Inter eos qui fecerunt et docuerunt* - die 23 martii, quo Sanctus Alphonsus Mariae de Ligorio Doctoris Ecclesiae titulo honestatur . » 296

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *Càritatem illius imitantes* - die 31 martii, quibus mittitur Constantinopolim Orator extra ordinem Venerabilis Frater Alexander Archiepiscopus Thessalonicensis Nuncius Apostolicus cum facultatibus Legati a latere in Hispaniarum regno, ut Romani Pontificis personam gerens subortas inter Armenios haereses et schismata profligare conetur . . . . » 299

Epistola - *Res maximi plane momenti* - die 15 maii ad Card. Constantinum Patrizi Episcopum Ostiensem et Veliternum Sacri Cardinalium Collegii Decanum, et Vicarium Generalem in spiritualibus Romae eiusque districtus, ut omnes Urbis Parochos moneat eorum esse officii nullam negligere occasionem suadendi iuvenibus curae suae creditis non licere prorsus auditores se praebere illis magistris scientiarumque professoribus, qui haeresi se subscripserunt Doellingeri infallibilitatem in Summo Pontifice denegantis. » 303

Epistola Encyclica - *Ubi Nos arcano Dei consilio* - die 15 maii ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes. Eos edocet Ecclesiae calamitates invasorum causa in dies ingravescere: ostendit magnos iam fructus ex assiduis fidelium precibus promanasse, longeque maiores esse sperandos. Fuse loquitur de oblatis sibi a Subalpino Gubernio cautionibus vulgo *guarentigie*, quas a se omnino reiectas esse toti orbi solemniter declarat. Fideles excitat ut secum coniuncti a Deo exorando nunqnam deficiant. . » 306

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris - *De insignium pietatis* - die 24 maii, quibus nonnulla praescribuntur ad splendorem et cultum Sacrarii ad Praesepe D. N. I. C. in Basilica Liberiana. » 317

Epistola Encyclica - *Beneficia Dei* - die 4 iunii ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes. Peculiaria sui Pontificatus gesta breviter enumerat. Monet se quamprimum B. Petri annos in Romano Pontificatu praetergressurum: fideles hortatur, ut una secum gratias pro tam singulari munere Deo persolvant. Denique omnibus dioecesium Ordinariis veniam facit Apostolicae Benedictionis impertiendae populo die decimosexto aut vigesimoprimo iunii volventis anni, vel alio die ad cuiusque Ordinarii arbitrium eligendo, quo die christifideles, consuetis expletis conditionibus, plenariam indulgentiam consequi valeant . . . . » 324

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris « *Inclytum Patriarcham* » die 7 iulii pro celebratione festi Sancti Iosephi, eiusque patrocinii. . . . . » 331

Similes « *Qui Ecclesiae suae* » die 6 iulii[1], quibus maiori cultui Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio consulitur. . . . . » 336

Epistola Encyclica - *Saepe, Venerabiles Fratres* - die 5 augusti. Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis universis catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus. Gratum animum exhibet tum Pastoribus tum fidelibus ob illustria erga se argumenta devotionis et dilectionis occasione, qua ipse vicesimum sextum a summo suscepto Pontificatu annum attigit. Ex miro spectaculo unitatis catholicae Dei spiritu informatae edisserit certum triumphum esse sperandum; idque divinae bonitati tribuendum. Exoptat ut Dominus communibus bonorum omnium obsecundet votis pro Ecclesiae victoria effusis. Constantiam in oratione commendat » 343

Epistola autographa italica a Sanctitate sua ad Marchionem Franciscum Cavalletti Senatorem, data die 8 augusti, qua recusat duo munera sibi destinata, scilicet thronum aureum, ac titulum *il Grande* suo nomini addendum. Alterius enim expensa ad Clericos a militari conquisitione levandos impendi poterit. Alterum uni Deo tribuendum esse existimat . » 348

Allocutio habita in aedibus Vaticanis ad S. R. E. Cardinales - *Ordinem vestrum* - die 27 octobris. Per praeteritionem memorat hostiles iniurias Catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi ab invasoribus continenter illatas. De animarum vero salute summopere sollicitus viduatis tamdiu, et tam ingenti numero Italiae Ecclesiis partim hodierna die, suos Episcopos adsignat, partim quamprimum in posterum constituere pollicetur. In quo quidem negotio se potestate a Deo accepta usum esse declarat, cautionesque quae vulgo *guarentigie* vocantur respuit et contra eas iterum protestationem emittit. Bellum tandem in alia Europae regione oecumenici Vaticani Concilii decretis illatum conqueritur, et Archiepiscopi Monacensis aliorumque Episcoporum zelum contra huiusmodi conatus laudibus prosequitur. » 352

APPENDIX

IN QVA CONTINENTVR TRIA AGTA AN. MDCCCLXVIII.

Decretum consistoriale - *Apostolici Ministerii* - die 14 februarii 1868 cuius vi Episcopalis Sedes Antioquiae in republica Neogranatensi supprimitur, eaque transfertur et erigitur in alio civico oppido Meddelensi. Iccirco nonnulla decreta hoc de pontificio consilio emittuntur, quae Archiepiscopus S. Fidei de Bogota Apostolicae Sedis auctoritate exequenda curet. » 359

Litterae Apostolicae sub Annulo Piscatoris - *Iam inde* - diei 3 martii 1868. Constituitur Constantinopoli Apostolica Delegatio, idque munus Vicario Apostolico Constantinopolitano pro tempore existenti tribuitur. . . . . » 365

Decretum Consistoriale - *Pastoris aeterni* - diei 30 aprilis 1868, quo ad preces Celsitudinis Serenissimae Caroli III Monoeci Principis huiusmodi Principatus a Provincia ecclesiastica Aquensi, et a Dioecesi Niciensi abscinditur, idemque erigitur in Abbatiam *Nullius* cum territorio separato et immediate Apolicae Sedi subiectam pro Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primaevae observantiae. Quae omnia ut rite perficiantur nonnulla decreta sancita sunt ad uniuscuiusque iura tuenda et praesertim ad ecclesiasticarum rerum ordinem inibi servandum, deputato Petro Casaretto praedictae Congregationis Abbate generali in Exequutorem Apostolicum cum omni potestate. . . . » 369

PII IX.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

VOL. VI.

ROMAE

MDCCCLXXIV

PII IX
PONTIFICIS MAXIMI
ACTA

PARS PRIMA

VOL. VI.

ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM SPECTANT

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI BERNARDO ARCHIEPISCOPO GVATIMALENSI
LEGIONEM
IN DITIONE NICARAGVAE.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod Christus in horto captus dixit principibus, magistratibus et senioribus Iudaeorum, *haec est hora vestra et potestas tenebrarum*, id nunc Ecclesia, divini Sponsi sui patientis imaginem relatura, iterare cogitur in orbe toto, cum ubique ferme principes convenerint adversus Dominum et adversus Christum eius. Quod tu in Dioecesi tua es expertus, Venerabilis Frater, id alibi passim et iisdem artibus fieri videmus et experimur in praesentiarum, ubi percuti conspicimus pastores ut dispergantur oves, sacra diripi ut externus cultus aboleatur, eiici ministros Ecclesiae ut fideles omni destituantur religiosa institutione et spirituali auxilio, effraenemque propugnari licentiam et impietatem ut populus plane corrumpatur. Hodie reapse, uti iam priscis temporibus, Episcopatus verum est martyrium, sive confessionis nomine, sive poenae. Iam vero, Venerabilis Frater,

utriusque gloriam es adeptus, cum tuendo religionis et iustitiae causam, tum subeundo exilium: sed beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Quamobrem minus dolemus aerumnas tuas, quam gratulamur calumnias, vim, ignominiam pro Christo toleratas. Strenue pugnasti hactenus; alacriter pugnare perge ab ipso exilio tuo, uti Eusebius, Chrysostomus, aliique plurimi sanctissimi Episcopi, spirituque praesens gregi tuo, a quo abstractus fuisti, eum erigere contende. Bono esto animo: Dominicam passionem resurrectionis gloria sequuta fuit; non alia profecto sors manere potest Ecclesiam; imo eo splendidiorem ipsa triumphum expectare debet, quo diuturniori et acerbiori insectationi fuit obnoxia. Excipe interim gratulationes Nostras et omina sospitatis, firmitatis, caelestis auxilii, cumulatorumque supernorum munerum, quorum auspicem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, Cleroque et populo tuo toti peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4. Ianuarii Anno 1872. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NOVA CONSTITVITVR DIOECESIS OGDENSBVRGENSIS IN FOEDERATIS STATIBVS AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod catholico nomini bene prospere, atque feliciter eveniet, illud ex Pastoralis Officii Nostri debito, praestari maturemus. Itaque simul ac Venerabilis Frater Archiepiscopus Neo-Eboracensis in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, caeterique omnes Ecclesiasticae istius Provinciae Antistites Nobis exposuerunt Christianae rei valde profuturum, si Albanensis Dioecesis latissime patens, aliam Episcopalem Sedem erigendo, divideretur; Nos ad VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Negotiis Propagandae Fidei praepositos rem detulimus, omnibusque rationum momentis sedulo attenteque perpensis, ac probe intelligentes ex aucto Pastorum numero, spirituali Dominici gregis bono satius commodiusque consultum iri, ad propositam novae Epi-

scopalis Sedis erectionem deveniendum existimavimus. Quae quum ita sint, de commemoratorum VV. FF. NN. consilio, certa scientia, matura deliberatione, atque Apostolica Nostra Auctoritate praesentium tenore ab Albanensi Dioecesi, quae sequuntur, territorii partes, nempe Comitatus, qui vulgo » *S.*[t] *Laurence* » *Frankhiz* » *Clintore* » *Ifferson* » *Lewis* » et » *Essex* » nominantur una cum illa parte Comitatuum vulgo » *De Herkimer* » et » *Hamilton* » quae iacet supra lineam Septentrionalem Municipiorum » *De Chio* » et *Russia* » seiungimus, secernimus, easdemque regiones in unam, et proprie dictam Dioecesim erigimus, et constituimus. Huius novae Dioecesis Episcopalem Sedem sitam volumus in Civitate *Ogdensburgensi (Ogdensburgh)*, ubi Ecclesia iam constituta habetur, quae pro Cathedrali assumatur, atque eam idcirco Dioecesim Ogdensburgensem nuncupari. Propterea suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Neo-Eboracensis, et singulis atque universis iuribus, privilegiis, honoribus, et praerogativis uti, frui, quibus caeterae Episcopales Ecclesiae fruuntur, et gaudent. Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos nunc spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a

quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super Divisione materiarum, aliisque Constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus quibuscumque.-Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Februarii MDCCCLXXII. Pontificatus Nostri Anno XXVI.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

DE NOVA ERECTIONE DIOECESIS PROVIDENTIA IN FOEDERATIS STATIBVS AMERICAE SEPTENTRIONALIS.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quod catholico nomini bene, prospere, atque feliciter eveniet, illud ex Pastoralis Officii Nostri debito praestari maturemus. Itaque simul ac Venerabilis Frater Archiepiscopus Neo-Eboracensis in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, caeterique omnes Ecclesiasticae istius Provinciae Antistites Nobis exposuerunt Christianae rei valde profuturum, si a duabus Dioecesibus, quae latissime patent, *Hertfordiensi* nimirum, et *Bostoniensi*, nonnullae territorii partes secernerentur, ex quibus nova constaret Dioecesis proprio Antistiti committenda; Nos ad VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Negotiis Propagandae Fidei praepositos rem detulimus, omnibusque rationum momentis sedulo attenteque perpensis, ac probe intelligentes ex aucto Pastorum numero

spirituali Dominici gregis bono satius, commodiusque consultum iri, ad propositam novae Episcopalis Sedis erectionem deveniendum existimavimus. Quae cum ita sint, de memoratorum VV. FF. NN. consilio, certa scientia, matura deliberatione, atque Apostolica Nostra auctoritate praesentium tenore ab *Hertfordiensi* Dioecesi integram regionem Insulae *Rhodensis* (Rhode-Island), atque a Dioecesi *Bostoniensi* quatuor Comitatus, qui vulgo » *Bristol* » *Barnstable* » *Dukes* » et *Nantucket* » nuncupantur, una cum tribus Municipiis Comitatus - Plymout - quibus nomen factum » *Warcham* » *Marion* » et *Mettapoisett* » seiungimus, secernimus, easdemque regiones in unam, et proprie dictam Dioecesim erigimus, et constituimus. Huius novae Dioecesis Episcopalem Sedem sitam volumus in Civitate *Providentiae (Providence)*, atque eam idcirco Dioecesim Providentiae nuncupari. Praeterea Suffraganeam esse iubemus Archiepiscopi Neo-Eboracensis, et singulis, atque universis iuribus, privilegiis, honoribus, ac praerogativis uti, frui, quibus caeterae Episcopales Ecclesiae fruuntur, et gaudent. Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos nunc spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis

auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super Divisione materiarum, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Februarii MDCCCLXXII. Pontificatus Nostri Anno XXVI.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

DECRETVM CONSISTORIALE

IACIENSIS
SEV
MESSANENSIS ET CATANIENSIS IN SICILIA
DE APOSTOLICARVM LITTERARVM
PERPETVA OBSERVANTIA
DEQVE EARVM ALTERO EXEQVVTORE DEPVTANDO.

Apostolicis Litteris sub plumbo datis apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto a s. mem. Gregorio PP. XVI. pro nova erigenda Episcopali Sede Iaciensi in Sicilia provisum quoque fuit, ut fel. record. R.P.D. Coelestinus Cocle Archiepiscopus Patracensis in part. infid. uti earumdem Litterarum Apostolicus Exequutor a Summo Pontifice deputaretur. Verum cum iste gravi morbo laborans Apostolicum mandatum exequi distulerit, tandem morte praeventus impar omnino commisso sibi officio evasit. Consistoriali itaque decreto diei vicesimae quartae mensis Iunii anni millesimi octingentesimi sexagesimi, quod incipit « *Utiliore spiritualium rerum* » ad iussionem Summi Pontificis Pii Papae Noni suffectus praemortuo Exequutori fuit R. P. Dominus Petrus Giannelli Sardianensis Archiepiscopus in part. infid. qui tunc temporis Neapoli morabatur. Praeclarus hic quidem Praesul multis quotidie et gravioribus inibi distentus negotiis ob ingruentes praesertim locorum cir-

cumstantias consilium differre coactus fuit; donec Romam reversus ad alia perspicua munera a S. Apostolica Sede pro merito vocatus acceptum mandatum exequi non potuit.

Quapropter universus Iaciensium Civium Ordo obsequentissime modo a Sanctitate Sua efflagitare curavit, ut tum de perpetua Litterarum Apostolicarum s. mem. Gregorii XVI observantia, cum etiam de altero earumdem Apostolico Exequutore decernendo benigniter edicere dignaretur.

Omnibus igitur, quae in id animadvertenda opportune erant, maturo consilio perpensis, Sanctissimus Dominus Noster ex certa scientia, motuque veluti proprio, contrariis quibuscumque minime obstantibus, vel eis ad hoc speciali quoque illata derogatione, Iaciensium supplicationes favorabiliter prosequutus haec quae sequuntur in Decretis mandavit, supremaeque Suae Apostolicae potestatis plenitudine perpetuo sancivit.

I

Litterarum Apostolicarum exequutio s. mem. Gregorii XVI, quibus ex dismembratione tum Messanensis cum Cataniensis Dioecesium nova erigebatur Iaciensis Episcopalis Sedes, quamvis ratione sive personarum, sive locorum, sive temporum, sive circumstantiarum quarumcumque (quae etiam speciali mentione sint dignae) retardata fuerit, vel adhuc protrahi utcumque debeat, nullo tamen eamdem tempore praescribi Sanctitas Sua voluit declarari.

II

Hinc Sanctissimus Pontifex Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, caeterisque in id Ordinationibus expresse derogavit; et Apostolicis Cancellariae Regulis, quae etiam singulariter essent heic commemorandae, omnem legis effectum de Suprema Sua Auctoritate ademit, ut illarum Litterarum Apostolicarum observantia quandocumque, et a quibuscumque impugnari licite ac valide nequeat.

III

Quapropter (ut in Apostolicis relatis Litteris inditum fuit) in novis provisionibus Ecclesiarum Messanensis et Cataniensis reservatio Apostolica declarata et apposita est de earumdem Dioecesium nova circumscriptione Sanctae Apostolicae Sedis arbitrio peragenda ad alteram Iaciensem Dioecesim quandocumque noviter constituendam.

IV

Quin imo, si aliquando huiusmodi Litterarum Apostolicarum exequutio fuerit tandem peracta, atque Iaciensis nova Episcopalis Sedes fuerit erecta, quin de suo Pastore actutum provideri possit, tunc Sanctissimus Dominus Noster benignissime indulsit, ut Capitulum novae illius Cathedralis interim electionem Vicarii Capitularis rite peragere valeat, qui iuxta Sacros Canones, et praesertim S. Tridentinum

Concilium, Dioecesis administrationem interim satagat in Domino navare.

V.

Attento vero obitu cl. me. R. P. D. Coelestini Cocle Archiepiscopi Patracensis in part. infid., nec non in praesentiarum constanti absentia a civitate Neapolis R. P. D. Petri Giannelli Archiepiscopi Sardiani in part. infid. (revocato prius quocumque anteacto mandato) eisdem Praesulibus sufficere Summus Pontifex dignatus est alterum dictarum Litterarum Apostolicarum Exequutorem, atque ideo eligere et deputare R. P. D. Ioannem Guttadauro de Reburdone hodiernum Calatanisiadensem Episcopum; ut Ipse quae in relatis Litteris Apostolicis Suprema Auctoritate Pontificis fuerunt decreta atque statuta pro Iaciensium Christifidelium bono et salute tandem ad plenarium effectum quamprimum perducat.

VI

Itaque eidem Exequutori Apostolico delegato facultates omnes necessarias et opportunas Sanctitas Sua declaravit concessas, ut etiam per alterum Ecclesiasticum virum in dignitate tamen constitutum, ab Ipso nihilominus subdelegandum, ea omnia peragat, quae ad huiusmodi negotium rite perficiendum tum in dictis Litteris Apostolicis expresse statuuntur, et declarantur, tum etiam ipsemet vel eius subdelegatus magis conducere in Domino existimaverint.

VII

Acta vero omnia exequutorialia una cum topographica descriptione novae Iaciensis Dioecesis infra quatuor menses a peracta exequutione ad hanc Consistorialem Congregationem mittere tum Apostolico Delegato, cum etiam eiusdem subdelegando onus esto.

VIII

Propterea Sanctitas Sua hoc iussit edi, vulgarique Consistoriale Decretum perinde valiturum, ac si super his omnibus aliae Litterae Apostolicae sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent de more expeditae; atque ad perpetuam rei normam et memoriam hoc ipsum Decretum inter acta S. huiusmet Congregationis Consistorialibus negotiis praepositae adservari praecepit.

Datum Romae hac die decimanona mensis Martii anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerius Antici-Mattei Patriarchà Constantinopolitanus S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

DECRETVM CONSISTORIALE

MANNETENSIS. ET ANDEGAVENSIS
IN GALLIA
DISMEMBRATIONIS AC DEIN INCORPORATIONIS
PAROECIARVM.

Pro salutari Christifidelium pabulo atque utiliore in spiritualibus administratione maximopere id profecto interest, ut mutua illorum et expedita cum proprio Pastore intercedat communicatio, minoribus saltem quoad fieri possit difficultatibus obnoxia. Qua provida compulsi consideratione Incolae illarum Insularum quae *Poulas* et *aux Bergéres* in Gallia audiunt, quaeque intra Dioecesis Nannetensis limites comperiuntur, nuperrime enixas supplicationes obtulerunt SSmo Domino Nostro Pio huius nominis Nono divina providentia Pontifici Maximo, ut territoria, quibus binae ipsae constant Insulae, penitus dismembrentur ab iis insitis Paroeciis *Varades* et *Anetz;* atque protinus alteri commodiori Paroeciae *S. Ioannis du Marillais* canonice incorporentur, quae ad vicinam pertinet Dioecesim Andegavensem.

Quocirca id potissimum perpensum est, quod earumdem Insularum territoria extant a suis parochialibus Ecclesiis eatenus separata, qua continuum late patet Ligeris defluvium, quo nimirum hiberno praesertim tempore altius excrescente, illud nequit

facile tutoque vadari. Perpensum quoque inde est, quod Dioecesis Nannetensis pro tempore Antistites, propter haec atque alia non levis ponderis incommoda iamdiu consueverint finitimae Paroeciae *du Marillais* pro tempore Rectoribus veniam et potestatem facere spiritualem administrationem super ipsarum Insularum locis atque incolis exercendi.

Quare omnibus quae in id animadvertenda erant maturo consilio perpensis, Sanctitas Sua non dubitavit benigno prosequi favore supplicationes uti supra commendatas; atque adeo dignata est ex certa scientia, motuque veluti proprio haec quae sequuntur in decretis mandare, Apostolicaque Sua Auctoritatis plenitudine inviolabiliter sancire.

I

Ac primo ratum acceptumque habet Sanctissimus Pontifex consensum quem ad hoc negotium efficiendum laudabiliter contulerunt hodierni Praesules, tum Ecclesiae Nannetensis R. P. D. Antonius Mathias Iaguement, tum alterius Ecclesiae Andegavensis R. P. D. Guillelmus Laurentius Angebault, suppleto ceteroquin, ex plenitudine Apostolicae Suae auctoritatis, consensu aliorum quorumcumque interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium.

II

Secundo vero Territoria praedictarum Insularum *Poulas* et *aux Bergères* ab ordinaria iurisdictione Episcopi Nannetensis penitus eximantur, pe-

nitusque ab ea Dioecesi dismembrentur, una scilicet cum omnibus et singulis quibuscumque insitis Ecclesiis, Oratoriis, Institutis piis, addictisque incolis, rebus, iuribus, atque accessoriis de natura deque more concomitantibus.

III

Eadem porro territoria cum suis itidem omnibus et singulis desuper memoratis accessoriis tam localibus quam realibus et personalibus omnino incorporentur finitimae Dioecesi Andegavensi, eiusque pro tempore Antistitis ordinariae iurisdictioni omnino subiiciantur.

IV

Uti vero praesto sit, qui parochialem illorum Christifidelium curam illico satagat exercere, Sanctitas Sua consuluit atque constituit, ut praedictarum Insularum territoria protinus coniungantur Paroeciae S. Ioannis *de Marillais*, quae in finitima Dioecesi Andegavensi iam constituta comperitur. Quapropter mandavit ut huiusmet Paroeciae Administrator teneatur parochialem earumdem Insularum atque incolarum curam aeque ac pro ceteris primaevis Parochianis gerere, muniaque obire; ideoque valeat parochialia item emolumenta sibi vindicare, et quae probe usuvenerint a singulis pariter percipere.

V

Qua confecta dismembratione atque incorporatione opportune fas esto, ut omnia et singula in-

strumenta documenta et scripta quaeque respicientia res, personas, loca, adsignationes, et causas ecclesiasticas binarum praefatarum Insularum diligenter inquirantur et secernantur ab Episcopali Cancellaria Nannetensi, ut protinus congerantur conservanda in altera Episcopali Cancellaria Andegavensi.

VI

Iam vero ut omnia et singula desuper in decretis mandata firmum praeseferant robur, plenumque assequantur effectum, Sanctitas Sua voluit, ut hoc S. Congregationis Consistorialis Decretum perinde a quibuscumque habeatur, et sit omnino validurum, ac si Litterae Apostolicae sive in for[illegible] vis sive sub plumbo in id expeditae f[illegible] [illegible]a Bre- trariis quibuscumque minime [illegible] [illegible]uissent; con- etiam ad hoc speciali ill[illegible] [illegible]ustantibus, vel eis [illegible]a derogatione.

VII

Ad hoc denique negotium perficiendum idem Pontifex dignatus est in Apostolicum huiusmodi Decreti Consistorialis exequutorem deputare R. P. D. Flavium ex Principibus Chigi Archiepiscopum Mirensem, et ordinarium Nuntium Apostolicum penes Reipublicae Gallicae Gubernium, collatis ei omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse per se, vel per aliam personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam ab ipso subdelegandam, valeat cuncta disponere, statuere, ac definitive decernere, quae in id oportere censeantur; adiecta scilicet lege, ut intra sex menses ab expleta huiusmet De-

creti exequutione debeat ad Sanctam Sedem Apostolicam transmittere authenticum exemplar Decreti exequutorialis, ut in Archivo S. Congregationis Consistorialis ad perpetuam rei memoriam et normam conservetur.

Datum Romae hac die secunda Maii Anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerius Antici-Mattei Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

DECRETVM CONSISTORIALE

MVTINENSIS
SEV
NVLLIVS MONASTERII S. SILVESTRI
DE NONANTVLA
CONCESSIONIS IN COMMENDAM.

Vita functo R. P. D. Francisco Emygdio Cugini postremo Archiepiscopo Mutinensi, contigit ut Monasterium S. Silvestri de Nonantula, olim Ordinis S. Benedicti, Nullius, in Provincia Ravennatensi vacaverit. In comperto quidem est quod, iuxta Decretum per hanc S. Congregationem Consistorialem anno 1820, sub die decima quinta Decembris editum, concessum fuerit, ut Mutinensibus Archiepiscopis accessura esset quoque antedicti Monasterii Commenda per Decretum ab hac eadem Congregatione post eorum singulorum praeconizationem emittendum. Quum itaque in Pontificio Consistorio, habito die sexta huius mensis Maii, praeconizatus fuerit ad Mutinensem Cathedram R. D. Iosephus Maria Guidelli e Comitibus Guidi, humiliter ab hoc oblatae sunt supplices postulationes SSmo Domino Nostro Pio IX divina providentia Pontifici Maximo implorandi gratia, ut Sanctitas Sua dignaretur eadem indulgentia ipsi Oratori praefatum Monasterium in Commendam concredere. Cuiusmodi precibus benigne annuens Summus Pon-

tifex edixit, quod ipse novus Archiepiscopus Mutinensis, post expeditionem Litterarum Apostolicarum ad praefatam obtinendam Metropolitanam, supradictum quoque Monasterium per alias Apostolicas Litteras obtineat in Commendam. Quapropter ipse, utpote Mutinensis Archiepiscopus et Abbas Commendatarius S. Silvestri de Nonantula, utrique insimul Dioecesi ex speciali auctoritate Apostolica praesit, atque prospiciat; contrariis quibuscumque minime obstantibus. Hoc itaque Decretum Sanctitas Sua iussit ferri, ad rei memoriam et observantiam in Archivo S. Congregationis Consistorialis originaliter custodiendum.

Datum Romae hac die octava mensis Maii anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

ROGERIVS ANTICI-MATTEI Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

DILECTO FILIO IOSEPHO MARIAE GVIDELLI
E COMITIBVS GVIDI ELECTO ARCHIEPISCOPO MVTINEN.
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Romani Pontificis providentia circumspecta Ecclesiis et Monasteriis singulis, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut utilium gubernatorum fulciantur praesidio, prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis praesertim ad Pontificalem dignitatem sustinendam designatis, ut in suis opportunitatibus congruum suscipiant relevamen de subventionis auxilio, prout decens est, providet opportune. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium, Abbatia nuncupatum Sancti Silvestri terrae Nonantulae Ordinis Sancti Benedicti Nullius Dioecesis Provinciae Ravennaten. quod pro tempore obtinens particulare et separatum Territorium, habet et Iurisdictionem quasi Episcopalem in dicta Terra aliisque ei subiectis locis exer-

cet, ac Synodum convocare et in ea examinatores deputare consuevit, quodque vigore Litterarum Apostolicarum fel. record. Pii PP. Septimi Praedecessoris Nostri in forma Brevis de Anno Domini millesimo octingentesimo vigesimo primo pro tempore existenti Mutinen. Antistiti perpetuo affectum existit, et quod bo. me. Franciscus Emygdius Cugini dum viveret Archiepiscopus Mutinen. ac dicti Monasterii Abbas Commendatarius in Commendam ex concessione et dispensatione Apostolicis etiam dum viveret obtinebat; Commenda huiusmodi per obitum dicti Francisci Emygdii Archiepiscopi et Abbatis Commendatarii, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, cessante adhuc, eo quod ante Commendam ipsam vacabat, modo vacaverit, et vacet ad praesens; Nos tam eidem Monasterio de Gubernatore utili et idoneo, per quem circumspecte regi, et gubernari, ac salubriter dirigi valeat, quam Tibi, ut statum Tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere possis, de alicuius subventionis auxilio providere, ac specialem gratiam facere volentes, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, verumque et ultimum dicti Monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris causa resultet, praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio et ex mera liberalitate Nostra Monasterium praefatum, cuius fructus, reditus, et proventus ad biscentum Florenos auri in

libris Camerae Apostolicae, ut pariter accepimus, taxati reperiuntur, quovis modo aut ex cuiuscumque persona, seu per liberam dicti Francisci Emygdii Archiepiscopi et Abbatis, vel cuiusvis alterius cessionem de huiusmodi Monasterio illiusque regimine et administratione extra Romanam Curiam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati, Commenda praefata cessante, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod illius provisio iuxta Lateranen. Statuta Concilii, aut alias canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, illiusque dispositio ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter pertineat, et ad idem Monasterium consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat, ac super regimine et administratione praefatis inter aliquos lis in illius petitorio vel possessorio, cuius litis statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae earumdem praesentium dicto Monasterio de proprio Abbate provisum, aut illud alteri canonice commendatum non existat, cum illi forsan adnexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis Tibi per Te, donec Metropolitanae Ecclesiae Mutinen. praefueris, tantum tenendum, regendum, et gubernandum, ita quod liceat Tibi, debitis et consuetis eiusdem Monasterii et Dilectorum Filiorum illius Conventus supportatis oneribus, ac quarta, si Abbatialis, separata et seorsim a Conventuali in restaurationem Fabricae, seu ornamentorum vestium et paramentorum emptionem vel sarcitionem, sive pauperum alimoniam, prout maior exegerit seu suaserit necessi-

tas, si vero communis inibi respective mensa fuerit tertia parte omnium et singulorum fructuum eiusdem Monasterii pro praemissis supportandis, et ad sustentationem Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, annis singulis impertita, de residuis illius fructibus reditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti Monasterium praefatum in titulum quomodolibet obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumlibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti Monasterii Tibi penitus interdicta, Apostolica auctoritate tenore praesentium commendamus, curam regimen et administrationem ipsius Monasterii Tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Quocirca Dilectis Filiis Magistris Laurentio Nina et Iacobo Gallo in utraque Signatura Nostra Referendariis motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ipsi vel eorum alter, per se vel alium, seu alios Tibi in adipiscenda possessione, seu quasi regiminis et administrationis praefatarum ac bonorum dicti Monasterii Auctoritate Nostra assistentes faciant Tibi ab eiusdem Monasterii Conventu obedientiam et reverentiam congruentes, atque a Dilectis pariter Filiis Monasterii Vassallis, aliisque subditis personis consueta servitia et iura Tibi ab eis debita integre exhiberi, contradictores Auctoritate Nostra praefata, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii PP. VIII Praedecessoris quoque Nostri, et aliis Apostolicis Constitutionibus etiamsi Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus, ac dicti Mo-

nasterii et Ordinis, cuius illud existit, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis eidem Monasterio illiusque Superioribus et personis in genere vel in specie etiam contra Commendas, aut alias quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide Motu pari hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si Conventui Vassallis et aliis subditis praedictis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod in praefato Monasterio divinus cultus et solitus Monachorum numerus et Ministrorum nullatenus minuatur, et animarum cura, si quae illi immineat, minime negligatur, sed eius et Conventus praefati congrue supportentur onera consueta. Et insuper ex

nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo secundo. Octavo Idus Maii. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Sexto.

Frid. de Falloux Reg.

Loco ✠ Plumbi.

DECRETVM CONSISTORIALE

APVANA
IN PARMENSI DITIONE
SVSPENSIONIS AD BENEPLACITVM
SANCTAE APOSTOLICAE SEDIS
LITTERARVM APOSTOLICARVM SVB PLVMBO
PRO DISMEMBRATIONE PLVRIVM PAROECIARVM

Consistoriali Decreto diei vicesimae mensis Iulii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio sub titulo - *Atestinae Mutinensis Ditionis de circumscriptione Dioecesium intus et circumsitarum* - incipiente - Quum ad utiliorem - etc. quod de mandato SSmi Domini Nostri Pii IX Summi Pontificis fuit relatum in subsequentibus Litteris Apostolicis sub plumbo sexto decimo Kalendas Ianuarii eiusdem anni, quae incipiunt - Dum universi Dominici gregis curam etc. - plures paroeciae inibi declaratae e dioecesi Apuana in Parmensi Ditione erant dismembrandae, atque Massanensi Dioecesi in Mutinensi Ditione uniendae et incorporandae, ut primum Sedes Apuana utcumque vacaret. Decretum hoc Sanctae Apostolicae Sedis cum clausula nunc pro tunc obsequentissime fuit a re. me. Francisco Emygdio Cugini Archiepiscopo Mutinensi uti Apostolico Delegato exequutum, nec non exequutorialia acta diligentissime perfecta ad Summum Pontificem fuerunt humillime transmissa, in huius S. Congregationis Consistoriali-

bus negotiis praepositae Archivo ad rei normam et memoriam perenniter adservanda.

Modo igitur R. P. D. Michael Angelus Orlandi hodiernus Episcopus Apuanus gravi aetate laborans, et suo et totius illius Capituli, et Cleri Apuani nomine instanter Summum Pontificem Pium huius Nominis Nonum adire non dubitavit, Eique efflagitationes maximas submittere, ut resoluta etiam quandocumque conditione Apostolicarum Litterarum nihilominus effectus earumdem interim suspenderetur, ut tanta Apuanae Dioecesis paraeciarum dismembratio averti aliquo modo posset, et ingruens eidem singularis iactura ad alterum consilium pro S. Sedis Apostolicae benignitate opportunius revocaretur.

Quare Sanctissimus Pontifex supplicationes huiusmodi favorabiliter excipere volens, cunctis, quae in id inspicienda erant, matura deliberatione perpensis, habita circumstantiarum et temporum, praesertim pro Apuanae Dioecesis consideratione, motu veluti proprio, deque Suae Apostolicae potestatis plenitudine haec quae sequuntur in Decretis observari mandavit.

I

Primo igitur relatarum superius Apostolicarum Litterarum canonicum effectum, plenamque observantiam quoad dismembrationem plurium paroeciarum ab Apuana Dioecesi aliquando efficiendam alterique Massanensi adiudicandam ut primum Sedes illa vacaverit, quamvis exequutorialia iamdiu in id acta ab Apostolico Delegato cum clausula nunc pro tunc expleta atque vulgata fuerint; nihilominus Sum-

mus Pontifex auctoritate sua omnino suspendi iussit, eisdemque Litteris omne in id robur, et efficaciam ademi decrevit ad Suum, et S. Apostolicae Sedis beneplacitum.

II

Ideoque consensum quorumcumque in id interesse habentium vel habere quomodocumque praesumentium omnino de Suae Apostolicae potestatis plenitudine Summus Pontifex suppleri voluit, cum omnibus caeteris derogationibus et exemptionibus in id necessariis et opportunis, quae etiam singulari mentione, de iure quoque quaesito non tollendo, necessariae fuissent.

III

Quapropter ad huiusmodi Litterarum Apostolicarum suspensionem atque temporaneam inefficaciam favore Apuanae Dioecesis exequendam, firmiterque in actis declarandam, dignata est Sanctitas Sua eligere, atque deputare R. P. D. Dominicum Villa hodiernum Parmae Episcopum, cui ideo omnes in id contulit facultates necessarias et opportunas, etiam alteram subdelegandi personam in ecclesiastica dignitate tamen constitutam.

IV

Delegatum autem Apostolicum teneri voluit idem Summus Pontifex, uti infra tres menses ab exequutione huius Consistorialis Decreti, expletaque declaratione, de qua R. P. D. Episcopus Massanensis

in primis certior fieri debet, Acta omnia S. Apostolicae Sedi transmittat.

V

Iussit demum Summus Pontifex ut Decretum hoc Consistoriale perpetuo a quibuscumque habeatur, ac si super ipsum alterae Apostolicae litterae declarationis, suspensionis, et derogationis temporaneae sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent de more expeditae: contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam SS. Conciliorum Decretis, atque Apostolicis Constitutionibus speciali quamvis mentione dignis, et singulari quoque eisdem illata derogatione.

VI

Hoc igitur Sanctissimus Dominus Noster voluit edi vulgarique Decretum Consistoriale ad perpetuam rei normam, et efficaciam in Archivo eiusmet Sacrae Congregationis asservandum.

Datum Romae hac die vicesima Maii anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerivs Antici-Mattei Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SCHISMATIS IN ARMENIA PROGRESSV.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Apostolicam Nostram sollicitudinem, animique Nostri amaritudinem augent quotidie, quae de neoschismaticis Armeniis afferuntur certa non minus quam tristissima nuncia. Nos equidem, ut omnes norunt, omnem curam adhibuimus ad novum schisma compescendum, atque ad revocandos in Ecclesiam Catholicam illius auctores et fautores: quem etiam in finem Legatum a facie Nostra extra ordinem Constantinopolim mittere non dubitavimus Apostolicis litteris, instructionibus et facultatibus munitum. At enim refractarii Armenii neque monitis et hortationibus nostris acquieverunt, neque censuris auctoritate Nostra latis commoti sunt. Etenim permanentes in incoeptis toti in eo fuerunt et sunt, ut fideles ab unitate catholica divellant, catholicorum Eccle-

sias violenter etiam invadant, et occupent, quod Constantinopoli primum, mox alibi ac in ipsa etiam Ciliciensis patriarchatus Sede, quae est in Libano, factum fuisse, dolentissime accepimus. Ipse vero pseudopatriacha, quem sibi constituerunt, Iacobus Bahatiarian, licet a Nobis reprobatus et canonicis censuris irretitus per Apostolicas Litteras diei XI Martii elapsi anni (1), minime reformidavit Episcopalis consecrationis munus quatuor neoschismaticis presbyteris sacrilege conferre, videlicet Iosepho Kupelian, Seraphino Davidian, Moysi Amberbojian e Veneta Mechitaristarum congregatione, et Eliseo Teolosian ex Monachis Armeniis Montis Libani, qui omnes novo schismati iam addicti a Venerabili Fratre Antonio Iosepho Archiepiscopo Tyanaeo Apostolico in Urbe Constantinopolitana Delegato auctoritate Nostra iam excommunicati fuerunt. Nuperrime autem a praedicto pseudopatriarcha episcopus nefarie consecratus est alter e neoschismaticis Armeniis presbyteris Ioannes Kupelian, quem in Civitate Diarbekirien seu Amiden turbas foventem et schisma excitantem Venerabilis Frater Archiepiscopus Martianopolitanus, Apostolicus in Mesopotamia, aliisque regionibus Delegatus auctoritate Nostra publice ac nominatim excommunicaverat. Isti autem pro veteri et repertissimo haereticorum more se catholicos atque huic Apostolicae Sedi communione sociatos mendacissime praedicare non verentur, falsis illis prophetis merito accensendi, quos Christus Dominus ait venire in vestimentis ovium, intrinsecus autem esse

(1) Acta Pii IX. Vol. v. pag. 290.

lupos rapaces. Quo pravum hoc consilium spectet, quo animum Neoschismatici intendant facile est perspicere. Sentiunt enim atque intelligunt quantum eos iuvet ementitum licet catholicorum nomen, ut a simplicioribus recipiantur, ut eorum, qui christianas institutiones ignorant, favorem ac praesidium aucupentur, ut potestatem ac dominatum in catholicos usurpare valeant, atque horum bona et possessiones audacius invadere, iisque semel occupatis securius incubare possint. Quam etiam ob causam ausi sunt veri nominis Catholicos, et legitimum Ciliciensem Patriarcham, quin et Apostolicam Sedem et Nos ipsos in summam invidiam vocare, perinde ac si Apostolicis Nostris Constitutionibus et Litteris legitima summi Imperantis iura impeterentur: quo nihil est a mente Nostra et a Catholicae Ecclesiae doctrinis et institutis magis alienum. Haec autem calumnia gravior evasit, cum neoschismaticus presbyter Ioannes Kupelian episcopali charactere, uti supra dictum est, a pseudopatriarcha sacrilege auctus, minime veritus est, palam et publice coram civili magistratu scripto profiteri, reiicere se Apostolicam Nostram Constitutionem, cuius initium est « Reversurus » editam die XII Iulii Anno MDCCCLXVII (1); et si quae in futurum ab Apostolica Sede similes edentur Constitutiones, se eas minime recepturum. Quo facto debita Nobis et Apostolicae huic Bmi Petri Cathedrae obedientia formaliter denegata fuit, memoratae iam calumniae apud imperitos et incautos species quaedam et fucus veritatis obductus, et nefarii facti exem-

(1) Acta Pii IX. Vol. IV. pag. 304.

plum magno cum animarum scandalo constitutum est. Cum itaque res in deterius vergant, et nihil iam intentatum relinquant refractarii Armenii ad novum schisma firmandum et propagandum, Nos qui post missum Constantinopolim Legatum Nostrum hactenus in silentio et in spe patienter expectavimus, an vellent redire ad cor, necessarium duximus fideles universos iterum monere, ut ab iisdem caveant diligentissime, et praesertim ab illis, qui Episcopalem locum et dignitatem temere usurpaverunt. Sacrilegas autem et nefarias Episcoporum consecrationes a pseudopatriarcha, uti supra, peractas contra Apostolicae Sedis mandata et sacrorum canonum sanctiones satis detestari atque improbare non possumus. Quamobrem qui illas, uti supra diximus, excipere vel tribuere per summum nefas ausi sunt, eos omnes et singulos gravissimis iampridem censurarum poenis subiectos auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, et ab Ecclesiae Catholicae unitate segregatos, schismaticos prorsus habendos esse iterum edicimus, atque decernimus. Dum vero ob praemissa vehementer dolemus solatio Nobis est et consolationi Catholicorum Episcoporum, Cleri, et fidelium Armenii ritus, quorum laus in Ecclesia est, firmitas et constantia in veritate et unitate Catholica custodienda. Novimus opera eorum, et fidem et tribulationem, et patientiam: eos proinde amantissime hortamur, ut a proposito nullatenus se dimoveri sinant; non enim iis, qui incoeperint, sed qui perseveraverint usque in finem reposita est corona iustitiae. Deus et Pater Domini Nostri det eis idipsum sapere in Christo Iesu, det in fide fortitudinem, det eximiam

illam charitatem, quae omnia suffert, omnia sustinet, omnia sperat. Neque miserrimos illos obliviscimur, qui a Nobis et ab unitate catholica recesserunt; pro quibus in humilitate cordis Nostri Deum enixe adprecamur, ut revertentes unusquisque a viis suis pessimis convertantur et vivant.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV Iunii MDCCCLXXII. Pontificatus Nostri Anno XXVI.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LETTERA DI SUA SANTITA' AL CARD. SEGRETARIO DI STATO.

REVERENDISSIMO SIG. CARDINALE GIACOMO ANTONELLI NOSTRO SEGRETARIO DI STATO.

Costretti nelle attuali tristissime circostanze ad assistere giornalmente al doloroso spettacolo di nuovi violenti attentati contro la Chiesa, sentiamo oggi in modo particolare il bisogno di prender la penna per palesare a Lei, Sig. Cardinale, la profonda amarezza che provammo nell'apprendere testè la dichiarazione fatta dal Presidente de' ministri di questo Governo usurpatore sul fermo proponimento del medesimo di presentare quantoprima alle Camere una legge per la soppressione degli Ordini religiosi in questa Nostra città, sede del Vicario di Gesù Cristo, e metropoli dell'orbe cattolico. Questa dichiarazione, che rivela sempre più il vero fine, cui mira lo spoglio fatto alla Sede Apostolica del suo temporale dominio, è un novello oltraggio inflitto, non pure a Noi, ma a tutta intiera la cattolicità. Chi può negare infatti, che sopprimere gli Ordini religiosi in Roma, o limitarne anche arbitrariamente la esistenza, non è solo attentare alla libertà ed indipendenza del Romano Pontefice, ma è togliergli ben anche dalle mani uno dei mezzi più poderosi ed efficaci pel governo della Chiesa universale?

Ognun sa che, come Roma è il centro del cristianesimo, così le case religiose, che da secoli vi esistono, sono a così dire il centro di tutti gli Ordini e Congregazioni rispettive sparse nell'orbe cattolico. Sono desse come altrettanti seminarii eretti dalle cure indefesse dei Romani Pontefici, dotati dalla generosità di pii oblatori, anche esteri, e regolati dalla suprema autorità Pontificia, da cui ricevono vita, direzione e consiglio. Queste case furone istituite e destinate a fornire operai e missionari per tutte le parti dell'universo. Senza ricorrere alla storia, a rilevare i vantaggi riportati alla cristiana repubblica, ed alla stessa umanità, da questi seguaci degli evangelici consigli, basta percorrere con lo sguardo i vari paesi d'Europa, e le più remote ed inospiti spiaggie dell'Asia, dell'Africa, dell'America e dell'Oceania, ove oggi stesso questi zelanti ministri di Dio, con esemplare abnegazione, consacrano le loro forze, la loro salute, la stessa loro vita a profitto e salvezza dei popoli.

Soppressi pertanto gli Ordini religiosi in Roma, o limitatane anche sotto qualsiasi forma la esistenza, non sarà più possibile, che il mondo risenta, come oggi i vantaggi di queste pie e caritatevoli istituzioni. È in Roma infatti, che esistono i principali noviziati intesi a preparare i novelli banditori della fede; è qui che accorrono religiosi d'ogni nazione per rattemprare il loro spirito, e per render conto delle loro missioni; è qui che si trattano, all'ombra della Sede Apostolica, tutti gli affari delle case anche estere; è qui che si eleggono col concorso dei religiosi delle differenti nazioni i su-

periori generali, i dignitarii degli Ordini, ed i capi di tutte le Provincie. Come si può dunque sperare, che senza questi grandi centri, nelle condizioni in cui attualmente si trovano, e senza questa suprema direzione, l'opera vivificatrice e benefica di questi operai evangelici abbia gli stessi risultati di oggi? Nò; sopprimere le case religiose in Roma, è lasciare senza vita le comunità sparse in tutto il mondo: come spogliarle quì dei loro beni, è spogliare l'Ordine intiero della sua legittima proprietà. La soppressione adunque degli Ordini religiosi in Roma non è tanto una manifesta ingiustizia a riguardo di individui benemeriti della società, quanto un vero attentato contro il diritto internazionale di tutta la cattolicità.

Per dovere anche di riconoscenza è forza constatare, che la soppressione delle case religiose in Roma porterebbe ad un tempo non lieve detrimento a questa Sede Apostolica, ove i più distinti fra gli individui di quelle si dedicano, quali utili collaboratori nel sacro ministero, all'assistenza delle differenti Congregazioni ecclesiastiche, ora dando schiarimenti sulle varie missioni alle loro cure affidate, ora dedicandosi a studi profondi per la confutazione degli errori, ora emettendo il savio loro parere sulle varie questioni disciplinari delle singole Chiese dell'orbe Cattolico.

È egli adunque ben manifesto, Sig. Cardinale, il vero scopo inteso dal Governo usurpatore nella divisata legge di soppressione degli Ordini religiosi in Roma. Sì: questa non è altro che la continuazione di quel piano funesto e sovversivo, che dal

giorno della violenta occupazione di Roma, si va ipocritamente eseguendo a danno non pure della temporale Nostra autorità, ma più specialmente del supremo Nostro Apostolato, pel cui vantaggio si annunciava a scherno volersi togliere a Noi il patrimonio della Chiesa: patrimonio elargito ai Romani Pontefici per ordine mirabile della divina provvidenza, e da Essi posseduto da oltre undici secoli con i titoli i più sagri ed i più legittimi, a profitto appunto dell' intiera cristianità.

E chi potrebbe farsi oggi illusione alcuna sulla indole di questo piano tendente ad abbattere la Nostra autorità di Capo supremo della Chiesa, ad avvilirne la dignità, ad inceppare l'esercizio del nostro augusto ministero, a sconvolgere infine l'ordinamento secolare di questa Apostolica Sede? Ella, Sig. Cardinale, è testimone ogni giorno delle usurpazioni che ora sotto un pretesto, ora sotto un altro, si vanno compiendo a danno della Religione, della moralità e della giustizia: usurpazioni che miran tutte all' esecuzione di quel piano distruttore. A che altro infatti se non a questo tende la sottrazione che grado a grado si va facendo dalla Nostra autorità di tutte le istituzioni di carità e di beneficenza, di convitti d'educazione e di licei di pubblica istruzione, che formarono mai sempre la cura prediletta e la più sollecita dei Pontefici Nostri antecessori? A che altro, se non a questo, tende quella maleaugurata legge che, condannando forzatamente al servizio militare i giovani dedicati a Dio, tronca, qual falce inesorabile, le più ridenti speranze della Chiesa, e priva il Santuario ed il chiostro di un eletta

schiera di ministri novelli e laboriosi? A che, se non a questo, tende quella sfrenata libertà d'insegnare impunemente errori di ogni sorta, sia per mezzo della stampa, sia per via d'una pubblica e scandalosa predicazione sostenuta con tanta impudenza da uomini apostati e ribelli all'autorità della Chiesa? A che quel rilasciamento nei costumi, quella insolente licenza nei pubblici spettacoli, que' continui insulti alle Sacre Immagini ed ai Ministri del Signore, quelle frequenti profanazioni del culto religioso, quelle ributtanti derisioni d'ogni cosa la più sagra ed inviolabile, quell' oppressione sistematica d'ogni persona onesta ed affezionata alla Chiesa ed al Papa? Ella sa, Sig, Cardinale, come il Nostro cuore sia straziato alla vista quotidiana di tutte queste sventure della Chiesa. Resi impotenti ad apportarvi il benchè più leggero rimedio, Noi non possiamo che piangere sui mali del Nostro gregge: non senza però alzare pubblicamente la voce per reclamare e protestare contro gli attentati di cui la Chiesa è vittima, e per render palese al mondo la miserabile condizione, cui per la malvagità dei tempi Ci ritroviamo ridotti.

Avremmo potuto, egli è vero, risparmiarci in parte il sacrifizio di bere quotidianamente un sì amaro calice, e di assistere personalmente a sì desolante spettacolo, cercando asilo in estero paese. Ma, se ragioni di alto interesse religioso Ci consigliarono, nell'attuale stato di cose, a non abbandonare per ora questa a noi dilettissima città Sede del Romano Pontificato, ciò non fu certamente senza un singolare tratto di divina provvidenza, affinchè il

mondo si convincesse col fatto della sorte ch'è riservata alla Chiesa ed al Romano Pontefice, allorquando la libertà ed indipendenza del supremo di lui Apostolato venga compromessa dal cambio di una posizione provvidenzialmente ordinata da Dio.

E come difatti, dopo il nuovo ordine di cose, il Papa può chiamarsi libero ed indipendente? Non basta ch'egli pel momento possa dirsi materialmente libero nella persona; Egli deve essere e deve comparire agli occhi di tutti libero ed indipendente nell'esercizio della suprema sua autorità. Ora il Papa non è, nè sarà mai libero ed indipendente, finchè il supremo di lui potere sia sottomesso alla prepotenza e capriccio d'un'avversa autorità; finchè il suo elevato ministero sia fatto segno all'influenza e predominio delle passioni politiche, finchè le sue leggi ed i suoi decreti non vadano esenti dal sospetto di parzialità o di offesa per le rispettive nazioni. Nella nuova condizione di cose fatta al Pontificato dopo l'usurpazione dcl patrimonio della Chiesa, il conflitto fra i due poteri è inevitabile: l'accordo, l'armonia non può dipendere dalla volontà degli uomini: basati i rapporti fra i due poteri sopra un assurdo sistema, gli effetti altri essere non possono che quelli naturalmente derivati da opposti elementi, che di necessità debbono tenerli in continua e penosa lotta.

La storia stessa è piena di conflitti fra le due autorità e di esempi di agitazioni nella cristiana famiglia.ogni qualvolta i Romani Pontefici vennero anche momentaneamente sottoposti all'autorità di estraneo potere. La ragione n'è ben chiara. Diviso

il mondo in un numero ben considerevole di Stati, gli uni indipendenti dagli altri, gli uni forti e potenti, gli altri piccoli e deboli, la pace e la tranquillità delle coscienze dei fedeli non potè altrimenti esistere che in ragione della loro sicurezza e convinzione dell'alta imparzialità del Padre comune dei fedeli e dell'indipendenza de' suoi atti. Ora, come potrebbe oggi ciò essere, se l'azione del Romano Pontefice è continuamente esposta all'agitazione dei partiti, all'arbitrio dei governanti, al pericolo di vedere ad ogni passo turbato il suo riposo, la tranquillità stessa de' suoi consiglieri e ministri?

Anche la libertà delle sagre Congregazioni, cui incombe di risolvere questioni, e di rispondere a tutte le consultazioni dell'orbe cattolico, importa troppo alla sicurezza della Chiesa ed ai legittimi imperiosi bisogni di tutte le nazioni cristiane. Importa infatti, che niuno mai sulla terra possa sospettare della libertà ed indipendenza delle decisioni e dei decreti emanati dal Padre comune dei fedeli. Importa che niuno sia turbato dal timore di estranee pressioni nelle risoluzioni pontificie. Importa che il Papa, le Congregazioni, lo stesso Conclave, non solo sieno di fatto liberi, ma che siffatta libertà apparisca evidente e manifesta, e che a questo riguardo non sorga nè un dubbio, nè un sospetto. Ora la libertà religiosa dei cattolici avendo per condizione indeclinabile la libertà del Papa, ne segue, che se il Papa, giudice supremo ed organo vivo della fede e della legge dei cattolici, non è libero, essi non potranno giammai rassicurarsi sulla libertà ed indipendenza de' suoi atti. Di quà le dub-

biezze e le ansietà dei fedeli; di quà le perturbazioni religiose degli Stati; di quà quelle dimostrazioni cattoliche, simbolo dell' interna inquietezza dello spirito, che crebbero ognora più dall'epoca dello spoglio violento dell' ultimo resto dei pontificii dominii, e che non avranno fine se non quando il Capo della cattolicità rientri in possesso della sua piena e reale indipendenza.

Ciò posto, non è facile il persuadersi come possa ancora seriamente parlarsi di conciliazione fra il Pontificato ed il governo usurpatore. E qual conciliazione infatti potrebbe aver luogo nell' attuale condizione di cose? Non si tratta d'una semplice quistione insorta, o nell'ordine politico, o nel religioso, che ammetta termini abili per una conveniente transazione. Si tratta invece d'una situazione creata violentemente al Romano Pontefice, e che distrugge quasi per intiero quella libertà ed indipendenza, che Gli è indispensabile pel governo della Chiesa. Il prestarsi pertanto ad una conciliazione di tal fatta equivarrebbe per parte del Romano Pontefice a che non solo rinunziasse a tutti i diritti della Santa Sede trasmessigli in deposito da' suoi augusti Predecessori, ma che si rassegnasse, per un atto di sua volontà, ad incontrare frequentemente ostacoli nell'esercizio del supremo suo ministero; a lasciare inquiete ed agitate le coscienze de' fedeli; a chiudersi la via alla libera manifestazione della verità; in una parola, ad abbandonare spontaneamente al capriccio d'un Governo quella sublime missione che il Pontificato Romano si ebbe

direttamente da Dio con istretto dovere di tutelarne l'indipendenza da ogni umano potere.

No: Noi non possiamo piegarci agli assalti contro la Chiesa, all'usurpazione de' suoi diritti sagrosanti, all'indebita intromissione del potere civile negli affari religiosi. Fermi ed imperturbabili nel difendere con onore, e con tutti i mezzi che ancora restano in Nostro potere, gl'interessi del gregge alle Nostre cure affidato, Noi siamo pronti ad incontrare maggiori sagrificii, ed a versare anche, ove occorra, tutto il Nostro sangue, anzi che venir meno ad alcuno dei doveri impostici dal Nostro supremo Apostolato. Che più? Con l'aiuto del Signore Noi non mancheremo mai di dare l'esempio di forza e di coraggio ai Pastori della Chiesa ed agli altri sagri ministri, che nell'avversità dei tempi sostengono tante lotte per la causa di Dio, pel bene delle anime, per la difesa del sagro deposito della fede, per la incolumità degli eterni principii di moralità e di giustizia.

Che Le diremo poi, Sig. Cardinale, di quelle pretese guarentigie, che il Governo usurpatore fece mostra di voler dare al Capo della Chiesa, con manifesto intendimento d'illudere la semplicità degl'incauti, e di offrire un'arma a que' partiti politici, cui di molto non cale la libertà ed indipendenza del Romano Pontefice? Posto da parte qualsiasi altro ragionamento, ciò che accade oggi stesso in Roma, nel momento che vi sarebbe tutto l'interesse di convincere l'Europa della forza ed efficacia della decantata legge, è il più eloquente argomento per dimostrarne la futilità e l'impotenza. Ed invero,

che giova proclamare la immunità della persona e della residenza del Romano Pontefice, quando il Governo non ha la forza di guarentirci dagli insulti giornalieri, cui è esposta la Nostra autorità, e dalle offese in mille modi ripetute alla Nostra stessa persona; e quando, insieme ad ogni onest'uomo, dobbiamo essere spettatori dolenti del modo onde in taluni casi, anche recentissimi, si amministra la penale giustizia? Che giova non tenerci chiusa la porta del Nostro domicilio, se non Ci è possibile di uscirne senza assistere a scene empie e ributtanti; senza esporci ad oltraggi per parte di gente quà accorsa onde fomentare l'immoralità ed il disordine; senza correre il pericolo di renderci causa involontaria di conflitti fra cittadini? Che importa promettere delle guarentigie personali per gli alti Dignitari della Chiesa, quando essi sono obbligati fin anche ad occultare per le vie le insegne della loro dignità per non trovarsi esposti ad ogni genere di cattivo trattamento; quando i ministri di Dio e le cose le più sagre sono oggetto di scherno e di ludibrio, cosicchè non sia talvolta neppur conveniente eseguire in pubblico le ceremonie più auguste di nostra santa Religione; quando infine i sagri Pastori dell'orbe cattolico, che sono obbligati di tempo in tempo di venire a Roma per dar conto degli affari delle loro Chiese, possono trovarsi esposti, senza alcuna reale guarentigia, agli stessi insulti e forse anche agli stessi pericoli?

A nulla giova proclamare la libertà del Nostro pastorale Ministero, quando tutta la legislazione, anche in punti importantissimi, come sono i Sagra-

menti, trovasi in aperta opposizione coi principii fondamentali e leggi universali della Chiesa. A nulla giova riconoscere per legge l'autorità del Supremo Gerarca quando non si riconosce l'effetto degli atti da Lui emanati; quando gli stessi Vescovi da Lui eletti non sono legalmente riconosciuti, e loro si proibisce con ingiustizia senza pari di usufruire del legittimo patrimonio delle loro Chiese e finanche di entrare nelle loro case episcopali; cosicchè sarebbero essi ridotti ad uno stato di totale abbandono, se quella carità dei fedeli che sostiene Noi, non Ci fornisse, almen per ora, il modo di dividere con essi l'obolo del povero. In una parola: quale guarentigia potrebbe dare un Governo per l'osservanza delle sue promesse, quando la prima fra le leggi fondamentali dello Stato, non solo è calpestata impunemente da qualsivoglia cittadino, ma è resa nulla e frustranea dallo stesso Governo, che ad ogni passo ne elude, ora con leggi, ora con decreti, come meglio gli talenta, il rispetto e l'osservanza?

Tutto questo Le abbiamo esposto, Sig. Cardinale, allo scopo precipuo ch' Ella voglia far conoscere ai Rappresentanti dei Governi accreditati presso questa S. Sede il lamentevole stato, cui pel nuovo ordine di cose Ci troviamo ridotti con tanto pregiudizio della causa cattolica; incaricandola a reclamare e protestare nel Nostro Pontificio Nome contro gli attentati commessi e quei che si minacciano, a danno non pure Nostro, ma di tutta la cattolicità. Interessati essi, quanto Noi, al riposo ed alla quiete delle coscienze vorranno prendere in considerazione questa mancanza di libertà e d'indipen-

denza nell'esercizio del Nostro Apostolico ministero. Che se ogni fedele ha il diritto di domandare al proprio Governo di guarentirgli la sua libertà personale in fatto di religione, non lo ha meno per domandargli la guarentigia della libertà di Colui, che è per esso la guida, e l'interprete della sua fede e della sua religione. Oltre di che è un vero interesse di tutti i Governi, sia che professino la cattolica religione, sia che no, di ridonare la pace ed il riposo alla grande famiglia cattolica, e di sostenere la Nostra reale indipendenza. Non possono essi infatti disconoscere che, chiamati da Dio a difendere e sostenere i principii dell'eterna giustizia, loro incombe di difendere e proteggere una causa la più legittima di quante si conoscano sulla terra, sicuri, siccome essere lo debbono, che sostenendo i sagri diritti del Romano Pontificato, essi difendono e sostengono i proprii. Nè potranno ad un tempo dimenticare che il Pontificato Romano ed il trono Pontificio, lungi dall'essere un imbarazzo pel riposo e prosperità d'Europa o per la grandezza ed indipendenza d'Italia, fu sempre il vincolo d'unione fra popoli e Principi, fu il centro comune di concordia e di pace; per l'Italia poi (convien pur dirlo) fu la vera sua grandezza, la tutela della sua indipendenza, la difesa costante ed il baluardo della sua libertà.

Infine, siccome esservi non può migliore guarentigia per la Chiesa e pel suo Capo che la preghiera innalzata a Colui nelle cui mani sono poste le sorti dei regni, e che con un solo cenno può sedare i flutti e calmare la tempesta, così Noi non

cessiamo dal porgere continue e fervide preci all'Altissimo per la cessazione di tanti mali, per la conversione dei peccatori, e pel trionfo della Chiesa nostra madre. Unendo queste Nostre preghiere a quelle di tutti gli amatissimi Nostri figli sparsi nell'orbe cattolico, Noi non possiamo lasciare d'invocare su tutti, anche per debito di gratitudine, una particolare benedizione, la quale valga a preservarli da nuovi e più tremendi castighi; a conservarli saldi e fermi nei principii dell'onore e nel sentiero della virtù; a ridonarli infine, mercè la intercessione della SSma Vergine Immacolata, del suo sposo S. Giuseppe, e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo, alla primitiva pace e prosperità.

Riceva in quest' incontro, Sig. Cardinale, l'Apostolica Benedizione, che di cuore Le impartiamo.

Dal Vaticano 16 Giugno 1872.

PIO PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS HENRICO ABEILLE, HENRICO BERGASSE
AC CETERIS QVI SIMVL MASSILIAE
COIERVNT REBVS CATHOLICIS PROSPECTVRI.

MASSILIAM

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter teterrima praesentis aetatis mala, quae dolemus acerbissime, Dilecti Filii, Nos illud praecipue sollicitat, quod, cum tenellae insidietur aetati, humanam omnem convalescendi spem adimere nititur religioso civilique consortio. Impietas enim auctoritatis opumque potita virus suum ingestura, pueritiae ac adolescentiae hinc insectatur, opprimit; delet instituta quaevis, unde ipsae possent haurire sanam piamque doctrinam et ad virtutes informari, inde vero succrescentem prolem, invitis frustra parentibus, committit praeceptoribus nequam, a quibus per inanem ventosae commentitiaeque scientiae apparatum abducatur a Deo, planeque mancipata terrenis, ad elationem, ad cuiusvis auctoritatis contemptum, ad fluxarum rerum desiderium, ad voluptatis illecebras educetur. Qua sane corruptione cum nihil exi-

tiosius impendere possit humanae familiae, Nos tanto malo, pro viribus, obsistere curavimus, non solum obiectis apud Nos impietatis conatui scholis, ubi ad pietatem iuxta et ad sanam solidamque doctrinam fingeretur iuventus; sed egregium hoc coeptum ubique etiam promoventes auctoritate, favore, hortationibus, omnique laude prosequentes catholicas societates huic operi devotas. Facile propterea intelligetis, Dilecti Filii, quanta iucunditate et laetitia vestrum didicerimus propositum consulendi quidem omni ratione religionis catholicae defensioni et provectui, sed curandae nominatim rectae educationi pueritiae et adolescentiae. Cuius sane rei necessitas eo gravior est apud vos, quo diuturnius impietati licuit in patria vestra adlaborare avocandis a toto supernalium rerum ordine animis, inducendo religionis neglectui, vulgandis perniciosissimis erroribus, vitiandis moribus, detrahendis cuivis cupiditati fraenis, populoque in earum coeno demergendo; unde necessario manarunt flagrantia opinionum dissidia, mobilitas ferme perpetua formae regiminis, creberrimae commotiones ac seditiones, conversio mentium ad propria potius quam ad patriae commoda, et illa vitiorum colluvies, quae tandem nuperrimam et omnium truculentissimam calamitatem adduxit. Per consilium itaque a vobis initum non religioni dumtaxat et spirituali iuventutis emolumento prospicitur; sed reducendae quoque consulitur animorum consociationi, firmissimo adversus hostiles impetus praesidio, ordinique civili restituendo, ac patriae vestrae in pristinam amplitudinem vindicandae. Non miramur idcirco, plurimos illico suffragatos esse consilio

vestro; nec dubitamus plures etiam ei certatim suppetias esse laturos. Quos inter eminebit certe Massiliensis Clerus; nam si unicuique mandavit Deus de proximo suo, et honesti cuiuslibet civis est verae utilitati patriae studere; id potissimum Clero convenit, cuius est praelucere ceteris exemplo bonorum omnium operum, cui salus populi procuranda committitur, et qui ab ipsa consecratione sua in presbyteratus officium didicit *praeesse* se debere, et *praedicare*. Id vero nominatim a Massiliensi Clero eo fidentius expectamus, quo maioris momenti est opus, et quo exploratiorem habemus eius zelum, pietatem et firmitatem adversus occurrentia obstacula. Ceterum si de hoc peculiari proposito vestro fusius disseruimus, non idcirco minus commendandam censemus operam, quam impendere decrevistis sive repellendis gliscentibus erroribus impudentiaeque retundendae procacium typorum, sive iuvandis catholicae caritatis institutionibus, sive sustentandis inopibus ecclesiis, sive demum protegendis fovendisque generatim piis operibus. Nam si per pueritiae et adolescentiae rectam accuratamque institutionem ipsi malorum radici securim admovetis, et novam veluti ac integram societatem fingentes corruptae sufficiendam, futuro tempori consulitis; per cetera studia vestra profecto praesentis societatis mala submovere, sistere, lenire, sanare contenditis. Quamobrem non modo probamus omnino et magnopere commendamus consilia vestra; sed vehementer etiam cupimus, ea citius ad effectum perduci, crebrosque nancisci adstipulatores, ut coniunctis plurimorum opibus, industria, viribus exundanti impietatis torrenti

firmus agger opponatur, qui religiosam civilemque societatem ab exitiis tueri valeat et ad novam veluti vitam revocare. Salebrosum quidem et arduum negotium suscipietis, sed pro nomine Domini illud suscipitis et pro animarum ac patriae vestrae salute. Nequitis itaque ambigere, quin Deus vobis futurus sit propitius, qui si steterit pro vobis, omnes facile vincere poteritis difficultates, eoque ditari laborum vestrorum fructu, qui fortasse spem ipsam excedat. Id ex animo vobis ominamur; dum cumulata auxilia caelestia et largam supernorum munerum copiam coepto vestro adprecantes, vobis, Dilecti Filii, et iis omnibus, qui vobis se adiunxerint, et eidem quocumque modo suffragaturi erunt, Apostolicam Benedictionem divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27. Iunii Anno 1872. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Religiosorum Ordinum familias, Divino efflante Spiritu a sanctissimis viris institutas, quae quasi strenuorum militum cohortes Ecclesiam mirifice circumdant, et illustria pietatis, virtutis, charitatis et doctrinae edentes exempla optime de re sacra et civica omni tempore meritae sunt, Romani Pontifices in deliciis semper habuerunt, earumdemque prosperitati, et bono studiosissime advigilarunt. Idque impensiori cura praestitere decessores Nostri quanto maiori impetu lucis et veritatis osores validissima haec Sacrosanctae Ecclesiae praesidia adnisi sunt avertere et labefactare. Ex quo factum est, ut initio huius saeculi acerrimo contra Ecclesiam Dei bello indicto, regularium Ordinum familiis omni insidiarum

genere impetitis immortalis memoriae Pius PP. VII nihil intentatum reliquerit, quo illas ab excidio servaret. Porro quum in Hispaniis, et Americae Coloniis plurima, aeque ac frequentissima prae ceteris regionibus religiosorum Ordinum Coenobia Karoli IV catholici Regis pientissimi studio, ac patrocinio florerent, et incrementa in dies susciperent, idem decessor Noster perpensis rerum, ac temporum vicibus, et difficultatibus, eiusdem catholici Regis desideriis annuens Apostolicas idibus Maii Anno MDCCCIV edidit sub Plumbo Litteras, quibus nonnulla de Regularium Ordinibus in Hispaniis existentibus decrevit. Haec inter illud praecipue cavetur, quod iis temporibus ad vitanda mala fortasse religiosis familiis impendentia opportunum duxit, nempe, ut iidem regularium Ordines alterna vice per summum Magistrum ex gente Hispana electum, et in Hispaniis commorantem, vel, quum supremum Ordinis Magisterium a viro alterius nationis gereretur, per Vicarium generalem Hispanum independenter ab eodem Magistro gubernarentur. Modo autem florentissimi illius Regni Statu in miserrimam conditionem verso, religiosis familiis publicae auctoritatis decreto spoliatis suo censu, et inde exterminatis, deficientibusque omnino causis, quae Decessorem Nostrum ad ea statuenda impulerunt, dilecti filii, alter provinciae Ordinis Praedicatorum in Philippinis Insulis Moderator, obsecundans votis in actis provincialium Comitiorum saepius expressis, alter Generalis Commissarius Dominiciani Ordinis in Hispaniis iterata prece a Nobis petunt, ut Coenobia, Collegia, et Hospitia Fratrum Ordinis Praedicatorum ad pristinas sui instituti

leges, et ad obedientiam Summo sui Ordinis Magistro revocare Apostolica auctoritate Nostra velimus. Rebus ita se habentibus, Nos inter angustias, et sollicitudines, quibus in dies premimur, nihil aliud nisi Divini nominis gloriam, et Ecclesiae utilitatem intendentes, S. Dominici familiam tot nominibus, ac de re catholica optime meritam paterno affectu prosequentes huiusmodi precibus alacri, libentique animo annuendum censuimus. Quare Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium, non obstantibus memoratis Pii VII Praedecessoris Nostri Litteris idibus Maii Anno MDCCCIV sub plumbo datis, quarum initium « *Inter Graviores* » omnia, et singula quae sunt, quaeque futuris temporibus erunt cum in Insulis Philippinis, tum in aliis omnibus Hispanicae Ditioni subiectis locis Coenobia, Collegia, et Hospitia Fratrum Ordinis Praedicatorum, et regulares omnes dicti Ordinis in praefatis Insulis, et locis degentes iurisdictioni Magistri Generalis Ordinis S. Dominici in Alma Urbe Nostra sedentis iuxta eiusdem Ordinis leges, et Constitutiones omnino restituimus, eademque Apostolica auctoritate Nostra hisce Litteris decernimus, et mandamus, ut praefata Coenobia, Collegia, Hospitia, et regulares omnes praedicti Magistro Generali sui Ordinis, et eiusdem Ordinis legibus, et Constitutionibus, uti ante supradictas Decessoris Nostri Litteras pareant, obediant, et in omnibus obsequantur. Haec volumus, et praecipimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos nunc spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus,

et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Benedicti XIV super Divisione Materiarum, et memorati Praedecessoris Nostri Pii VII, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque omnibus quamvis speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Iulii MDCCCLXXII., Pontificatus Nostri Anno Vigesimo septimo.

F. Card. Asquinius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

DECRETVM CONSISTORIALE

BAROLENSIS

ABSOLVTIONIS SOLVTIONVM PRAETERITARVM

ATQVE EARVMDEM IN POSTERVM SVSPENSIONIS

NEC NON

DECLARATIONIS SVPER VSV PONTIFICALIVM

IN MISSIS SOLEMNIBVS CORAM CAPITVLO

ILLIVS CATHEDRALIS ECCLESIAE.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Barolensis obsequentissime exponi curarunt SSmo Domino Nostro Pio huius Nominis Nono divina providentia Summo Pontifici, quod per Apostolicas Litteras sub plumbo undecimo Kalendas Maii latas anno millesimo octingentesimo sexagesimo, pro nova Barolensis Archiepiscopalis Ecclesiae erectione, quae incipiunt – *Imperscrutabili Dei Optimi Maximi consilio* etc. – statutum fuit, quod – » Ex massa Capitulari Ecclesiae Archiepiscopalis S. Mariae Maioris quolibet » mense ducata trigintasex Vicario Generali Archiepiscopali, et alia decem pro quibuslibet Cancellariae expensis obeundis rependantur – atque insuper – » mandamus ad decennium suspendi collationem quatuor hodie vacantium praebendarum » canonicalium in eodem S. Mariae Maioris Capitulo, » eorumque fructus ab Archiepiscopo Ordinario interim recipi, eiusque cura ad multiplicum poni,

» donec mensae suppressi Archiepiseopatus Nazareni » aequa compensatio fiat amissionis locationum, et » manutentionis Palatii (alias eiusdem Archiepisco- » patus) modo Barolensi Archiepiscopo attributo, » eiusque Vicario et Cancellariae; nec non pro suble- » venda Capitulari massa S. Mariae Maioris ab ex- » pensis, quas Vicario, et Cancellariae eadem in du- » catis trigintasex, uti diximus, rependere debet. » -

Verum, nondùm vix constituto Capitulo Cathedrali, propter politicas temporum perturbationes Barolensi Ecclesiae bonis, et dotationibus a novo gubernio sibimet ex inopinato attributis, quatuor vacantium Canonicatuum praebendis (quarum collatio consulto suspensa fuerat) nunquam alias solutis, impar illico Capitulum Barolense evasit ad debitas, statutasque superius expressas solutiones rependendas, nec non ad impositum multiplicum per Archiepiscopum peragendum.

His itaque in angustiis positum Barolense Capitulum humillime a Sanctitate Sua efflagitavit, ut eiusmodi praeteritarùm solutionum usque adhuc non peractarum absolutionem, et dispensationem benigne elargiri dignaretur; et in posterum easdem suspendere vellet donec quatuor vacantium Canonicatuum praebendis, et Capituli avulsis bonis debita compensatio ex novarum legum sponsione et obligatione per Gubernium, statuatur, atque solvatur.

Ad praecavendas insuper aequivocationes quascumque in exercitio privilegiorum Archipresbytero primae Capituli S. Mariae Maioris dignitati, nec non Archidiacono primae Tranensis Capituli dignitati pro usu sacrorum pontificalium eisdem in supra relatis

litteris Apostolicis iam concessis iuxta praescriptum ab alteris Apostolicis litteris sa. me. Pii PP. VII. latis anno MDCCCXXIII quarto Nonas Iulias quae incipiunt « *Decet Romanos Pontifices* » declarationem super iisdem postulare etiam obsequentissime apud Sanctitatem Suam institerunt.

Quibus omnibus maturo consilio perpensis, ex certa scientia, motuque veluti proprio Summus Pontifex benigno favore prosequi volens Capituli Barolensis petitiones de Suae Apostolicae potestatis plenitudine haec, quae sequuntur in Decretis mandare praecepit.

I

Apostolicis Litteris supra relatis quae incipiunt; « *Imperscrutabili Dei Optimi Maximi consilio* etc. » in ea parte derogatum esto, in qua statutum fuerat de solutionibus, deque multiplico peragendis ex fructibus quatuor Canonicatuum iam suspensorum in Cathedrali Barolensi, usque dum illius Capitulo aequa fiat per Gubernium de eisdem compensatio, atque solutio.

II

Insuper, Sanctitate Sua auctorante, solutiones omnes, et multiplicum quod fieri usque adhuc debuerat ab erectione Cathedralis Barolensis, quaeque comperiuntur nondum peractae, benignissime eidem Capitulo remissae, atque absolutae sunto.

III

In posterum vero tum praescriptum multiplicum, tum statutas solutiones suspendi mandavit Sanctitas Sua, donec, pro relatis quatuor Canonicatuum suspensorum fructibus, nec non pro aliis Capituli avulsis a Gubernio bonis, aequa fuerit ex lege ab eodem attributa compensatio, et peracta solutio. Interim vero Vicarius et Cancellarius nec non Cancellariae expensae ex proventibus eiusdem Cancellariae Archiepiscopalis compensentur.

IV

Quoad usum vero sacrorum Pontificalium favore Archipresbyteri, primae nempe dignitatis Capituli Cathedralis Barolensis, Summus Pontifex declarare indulgenter dignatus est huiusmodi privilegio uti licite posse ad normam Protonotariorum Apostolicorum Urbis de numero participantium, in iis tamen solummodo circumstantiis in quibus Archipresbyter Canonicus missam solemnem pontificare debebit praesente Capitulo. Quam quidem declarationem extendi voluit etiam Archidiacono primae dignitati Capituli Archiepiscopalis Tranensis.

V

Quibus omnibus ita ex benignitate Sanctitatis Suae dispositis, et declaratis, iussit Eadem hoc edi, vulgarique Consistoriale Decretum perinde valiturum, ac si in id Litterae Apostolicae sive sub plumbo,

sive in fórma Brevis fuissent de more expeditae, contrariis quibuscumque minime obstantibus, vel eis ad haec speciali quoque illata derogatione; supplens etiam, quatenus opus fuerit, consensum quorumcumque interesse habentium, vel habere quomodocumque praesumentium, atque in Actis Sacrae huius Congregationis Consistorialibus negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam referri mandavit.

Datum Romae hac die vicesima secunda mensis Iulii Anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

ROGERIVS ANTICI-MATTEI Patriarcha Constantinopol. Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

DECRETVM CONSISTORIALE

IACIENSIS IN SICILIA
SVBIECTIONIS IMMEDIATAE ILLIVS
CATHEDRALIS ECCLESIAE
S. APOSTOLICAE ROMANAE SEDI.

Nova constituta Cathedrali Ecclesia Iaciensi in Sicilia auctorante s. m. Gregorio XVI per Apostolicas Litteras sub plumbo, quae incipiunt « *Quodcumque ad Catholicae Religionis incrementum* » quinto Kalendas Iulii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto apud S. Petrum datas, consulto praetermissum fuit cuinam Metropoliae eadem Iaciensis Ecclesia suffragarì deberet. Multis siquidem, gravibusque de causis declarationem huiusmodi tunc temporis differri aliquantulum oportuit donec per Apostolicum Delegatum Exequutorem opportunius aliquid dignosceretur. Verum Delegatus morte praeventus nihil ea de re potuit consulere; et nuperrimus alter Delegatus ad Litterarum Apostolicarum exequutionem constitutus ob gravissimam temporum perturbationem impar omnino ad rem discriminandam evasit.

Modo vero tertio Apostolicus Delegatus a Summo Pontifice Pio huius nominis Nono novissime nominatus, et deputatus ad illam exequutionem, acta omnia, quae ad publicandas relatas erectionis Litteras necessaria fuerunt, diligentissime ad Sacram

hanc Consistorialibus negotiis praepositam Congregationem mittere curavit; et ab Apostolica S. Sede de Iaciensis constitutae novae Cathedralis subiectione declarationem obsequentissime est sciscitatus.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro relatis, atque mature perpensis, ex certa scientia motuque veluti proprio, deque Suae Apostolicae aucteritatis plenitudine, haec quae sequuntur Sanctitas Sua declarare crevit, atque in Decretis referri mandavit.

I

Cathedralem Ecclesiam Iaciensem in Sicilia nuperrime constitutam Sanctae Apostolicae Romanae Sedi continuo suffraganeam esse declaratur.

II

Ideoque Cathedrali Iaciensi honores iidem et privilegia obveniant quaecumque, quae Ecclesiis aliis suffragantibus Sanctae Romanae Sedi adsignata atque attributa comperiuntur de communi iure.

III

Super quibus omnibus R. P. D. Ioannes Guttadauro ex Principibus de Reburdone hodiernus Episcopus Calatanisiadensis, uti Apostolicus Delegatus a SSmo Domino Nostro electus, et deputatus ad huiusmodi exequendum Decretum, emittere potis esto acta exequutorialia declarationis subiectionis illius Iaciensis Ecclesiae, ac singulari Sanctitatis Suae be-

nignitate hoc Consistoriali Decreto definitae atque statutae.

IV

Propterea Decretum hoc, contrariis quibuscumque minime obstantibus, vel eis ad hoc speciali quoque illata derogatione, perinde ab omnibus haberi in perpetuum iussit Summus Pontifex, ac si de verbo ad verbum in superius relatis Apostolicis Litteris s. m. Gregorii PP. XVI fuisset relatum; atque insuper non secus ac si in id alterae Apostolicae Litterae declarationis, sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent de more expeditae.

V

Hoc igitur iussit ferri et vulgari Consistoriale Decretum ad Sanctae Religionis Catholicae incrementum, atque maiorem Iaciensium civium consolationem, et honorem, in Actis Sacrae huiusmet Congregationis ad perpetuam rei normam et memoriam adservandum.

Datum Romae hac die vicesima secunda mensis Iulii anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerivs Antici-Mattei Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
LAVRENTIO EPISCOPO VENTIMILIENSI.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Adeo ubique laxata videntur esse fraena portis inferorum, Venerabilis Frater, ut, quam late patet orbis, Ecclesia merito exclamare possit cum divino Sponso suo *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Afflictum sane tanta animarum caede iam animum conficiunt quae tu refers de haereticorum artibus et conatu ad vitiandam pueritiam et adolescentiam incolarum pagi ab episcopali urbe tua non remoti eiusque viciniae. Sed gratias agimus Deo, tibique gratulamur, quod, inopia tua ac populi non obstante, catholicas obieceris nefariae doctrinae scholas; et quamquam non immerito verearis, eas diu, deficientibus opibus, sustentari non posse, divinae tamen providentiae confisus maiora quoque audacter moliaris. Nos quidem summopere cuperemus idoneas tantae rei perficiendae tibi ferre suppetias; verum cum rerum angustiae, in quibus versamur, id non patiantur, nolumus, aliquod saltem propensissimae

huius voluntatis Nostrae testimonium tibi deesse, Deumque rogamus, ut sicuti alias panes et pisces, ita tenuem hunc obulum multiplicare velit, et optatum ita fiduciae tuae praemium concedere. Peculiaris autem istius favoris interim, et caelestium omnium munerum auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, totique Clero et populo tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12. Augusti Anno 1872. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

CONSTITVTIO

SVPER PRIVILEGIIS PROTONOTARIORVM APOSTOLICORVM AD INSTAR *PARTICIPANTIVM*.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Apostolicae Sedis officium, quod licet imparibus meritis, tenuitati Nostrae inscrutabili divinae providentiae consilio demandatum est, inter multimodas curas, quibus hisce maxime temporibus premimur, hanc etiam Nobis imponit, ut eas concessiones per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros factas, quae temporis lapsu vel nimis ampla et prava interpretatione magnum ecclesiasticae disciplinae detrimentum attulerunt, eas, prout exigit necessitas, ad rectum mentis ipsorum Praedecessorum Nostrorum et Nostrae tramitem reducere studeamus: idque potissimum et ipsa rei gravitas et augusta Ecclesiae

liturgia, nec non et varia Praedecessorum Nostrorum temperamenta, alias ad eumdem finem adhibita, visa sunt Apostolicae decisionis oraculum postulare. Sane, ut patet, Protonotarii Apostolici *ad instar Participantium* nuncupati, insignibus privilegiis Romanorum Pontificum benignitate aucti fuerunt. Verum, ut est humanae naturae infirmitatis, sive ex prava eorumdem privilegiorum interpretatione, sive etiam ex immoderato honorum desiderio, non raro extra Urbem contigisse compertum est, ut plures ex memoratis Protonotariis non sine gravi Episcopalis dignitatis iniuria indebitas sibi praerogativas, praesertim in Pontificalibus exercendis, usurpare praesumpserint. De huiusmodi abusibus quum frequentissimae expostulationes a non paucis Episcopis ad Nos delatae fuerint et porro deferantur, Nos ad praedictos eliminandos abusùs, certasque edendas regulas, quibus privilegia declarentur Protonotariis Apostolicis *ad instar* vere proprieque spectantia, modusque praefiniatur in usu eorumdem privilegiorum omnino servandus, peculiarem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris tuendis Ritibus praepositorum cum aliquibus Romanae Curiae Praelatis Congregationem deputandam duximus, cui rem universam discutiendam commisimus. Quae quidem Congregatio, cunctis accurate diligenterque perpensis, in Conventu sub die XVIII mensis Aprilis proxime praeteriti habito, negotium sibi demandatum ad exitum perduxit atque haec quae sequuntur decernenda censuit.

I. Protonotarii Apostolici *ad instar Participan-*

tium a Summo Pontifice ad hunc honorem evecti inter Praelatos Domesticos eo ipso accensentur.

II. Licet illis habitu Praelatitio uti, nimirum, veste talari caudata, fascia et palliolo seu mantelletto violacei coloris cum collari et caligis item violaceis ac birreto, quod tamen omnino nigrum esse debet.

III. Hunc habitum Praelatitium cum Rochetto subtus palliolum adhibere poterunt in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus; in reliquis vero Rochettum dimittant; simulque sciant numquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae Pontificalis Crucem pectoralem et Annulum deferre.

IV. Habitu privato incedentibus fas erit iisdem Protonotariis, retento usu collaris et caligarum violacei coloris, induere vestem talarem nigram fimbriis globulisque rosaceis ornatam, circumcingere illam ad lumbos parva fascia violacea, pallium item violaceum superimponere, ac pileo nigro vittam seu cordulam sericam rubri coloris, auro tamen non intertextam, adiungere.

V. Habitu Praelatitio induti quoscumque Clericos Presbyteros, Canonicos singillatim sumptos, nec non Praelatos superiores Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, praecedunt: minime vero Vicarios Generales vel Capitulares, Canonicos collegialiter unitos et Abbates.

VI. Si in habitu Praelatitio sacris functionibus assistant, non genuflectant sed caput Cruci inclinent, uti fieri solet a Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, duplici ductu thurificentur, et considenant iuxta ordinem nuper indicatum.

VII. Si forte Canonicatu aut Dignitate in aliqua Ecclesia potiantur, habitum ibi gestent sui ordinis proprium, non Praelatitium, excepta tantum veste talari, quae violacea esse poterit, eoque considеant et incedant loco, qui ipsis ratione beneficii competit. Quod si habitu Praelatitio uti nihilominus velint, sedem occupent ipsis superius assignatam et pro ea vice distributiones quotidianas amittant, quae Sodalibus accrescant.

VIII. Indulto gaudeant privati Oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi, in quo, diebus etiam solemnioribus, in consanguineorum et affinium secum cohabitantium, nec non famulorum suorum praesentia, Missam vel per se celebrare, vel per quemcumque Sacerdotem saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint et valeant. Privilegio autem Altaris portatilis omnino carere se sciant.

IX. Ius habent assistendi Cappellis Pontificiis, ibique sedendi post Protonotarios Participantes.

X. Conficere possunt Acta de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

XI. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Iudices Synodales, in Commissarios Apostolicos et Iudices a Summo Pontifice adsciscendos pro causis Ecclesiasticis et Beneficiariis. Item apud ipsos Professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis, qui eo gaudent privilegio.

XII. Meminerint tamen Protonotarii Apostolici *ad instar Participantium*, minime obstantibus privilegiis superius recensitis, ipsos a locorum Ordinariis eorumque iurisdictione minime esse exemptos, sed iisdem Ordinariis iuxta communis iuris regulas omnino subiectos, ac proinde sine expresso illorum assensu numquam posse Pontificalia exercere.

XIII. Impetrata autem Ordinarii venia, qui eam tribuere poterit quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit, etsi Missa solemnis celebranda sit in Ecclesia exempta, obtento insuper assensu Praelati, cui haec ipsa Ecclesia subest, non idcirco memorati Protonotarii fas sibi esse putent solemne Sacrum iisdem prorsus ritibus et pompa peragere, qui Episcopali tantum dignitati conveniunt. Plura siquidem sunt quae illis omnimode, prout sequitur, interdicuntur.

XIV. Itaque ad Ecclesiam ubi rem divinam sint solemniter celebraturi privatim accedant. Non Cappam magnam nec Pileum pontificale audeant assumere, ne unum quidem Presbyterum vel Clericum superpelliceo indutum sibi comitem adsciscant; non in templi vestibulo ab Ecclesiae Clero associari se sinant; non denique populum lustrali aqua ibidem aspergere, nec ipsi intra Ecclesiam benedicere manu praesumant.

XV. Item abstineant ab usu septimi candelabri super Altari, sacras vestes non ex eo, sed in sacrario assumant et deponant, non in faldistorio eove minus in throno sedeant; sed una cum Ministris in scamno cooperto tapeto vel panno coloris officio diei respondentis, non Baculo pastorali non

Canone, non Palmatoria, non Presbytero assistente utantur; manus nonnisi semel post Offertorium ad Altare lavent. Denique nec dicant PAX VOBIS loco DOMINUS VOBISCUM dum populum salutant, nec in fine Missae trinam benedictionem impertiantur.

XVI. Quoad ornamenta Pontificalia hisce tantum uti poterunt, scilicet: Caligis et Sandaliis sericis nec auro nec argento ornatis, sericis item Chirothecis sine opere frygio aureo vel argenteo, Dalmatica, Tunicella, Annulo cum unica gemma, Cruce pectorali sine ullis gemmis cum cordula serica violacei coloris, Mitra simplici ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris, ac pileolo nigri coloris, attamen nonnisi sub Mitra adhibendo.

XVII. Haec ipsa vero Pontificalia ornamenta assumere nequibunt in Missis pro Defunctis, in Processionibus, et in quibuscumque aliis ecclesiasticis Functionibus, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant vel subsequantur, at semper depositis in eiusmodi functionibus a Missa distinctis, Chirothecis cum Dalmatica et Tunicella.

XVIII. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum cereorum lucentium numerum a simplici Sacerdote non differant, adeoque nullum prorsus ex ornamentis Pontificalibus pro Missa solemni tantum sibi adhibeant, atque ab omnibus et singulis ritibus in ipsa Missa solemni sibi vetitis penitus abstineant.

XIX. Verum cum Protonotarii *ad instar Participantium* nequeant in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere, hinc illis Romae permittitur ut iuxta vigentem ibi usum

possint in Missis privatis, dummodo habitu Praelatitio sint induti, sese ad Missam praeparare, eaque absoluta, gratiarum actiones persolvere coram Altari in parvo genuflexorio sine strato cum duobus pulvinaribus tantum, altero sub genibus et altero sub brachiis; sacras vestes ex eodem Altari sumere, palmatoria uti, ac Presbyterum superpelliceo indutum adhibere, qui Missalis folia illis evolvat: salvis tamen quoad Patriarchales Basilicas peculiaribus statutis et consuetudinibus ibidem laudabiliter observatis, et cauto semper, ut abstinere omnino debeant ab Annulo et Cruce pectorali; ab usu pileoli, a salutatione populi per verba « *Pax Vobis* » a trina benedictione in fine Missae, et ab aliis quibuscumque ritibus et caeremoniis, nonnisi S. R. E. Cardinalium et Episcoporum propriis.

XX. Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii *ad instar* ab Apostolica Sede donantur. Verum non aliter illa exercere licebit iis qui huiusmodi honorem rite fuerint consecuti, nisi antea Apostolicas Litteras vel legitimum Diploma suae nominationis in officio Secretarii Collegii Protonotariorum Participantium exhibuerint, cuius erit in codicem referre nomen cognomen, aetatem, patriam et qualitates novi Protonotarii *ad instar*, nec non diem expeditionis praedictarum Litterarum Apostolicarum seu Diplomatis; nisi insuper coram Decano Protonotariorum Participantium vel per se, si Romae versentur, vel etiam per legitimum Procuratorem, si alibi commorentur, Fidei professionem et Fidelitatis iuramentum praestiterint, et nisi denique, de sua legitima nominatione, nec non de Fidei pro-

fessione et Fidelitatis iuramento a se ut supra praestitis authenticum documentum nomine totius Collegii Protonotariorum Participantium ab huius Decano et Secretario subscribendum et Collegii ipsius Sigillo muniendum, Ordinario praesentaverint, una cum notula typis impressa honorum, privilegiorum, et praerogativarum Protonotariatui *ad instar* inhaerentium ad formam praesentis Decreti, iisdem prorsus quibus supra subscriptionibus et Sigillo munita.

XXI. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus honore privatos se sciant.

XXII. Quae supra de usu Pontificalium et de modo Missam privatam celebrandi quoad Protonotarios *ad instar Participantium* decreta sunt, a caeteris etiam Romanae Curiae Praelatis, quibus ex Constitutionibus, aliisve specialibus Indultis Apostolicis privilegium Pontificalium competat, erunt adamussim servanda. Si qui vero Praelati et Praelatorum Collegia amplioribus hac in re praerogativis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria sua iura in Sacrorum Rituum Congregationem deducant, ut quod e canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur.

XXIII. Cum autem intra privilegia, quibus a Romanis Pontificibus nonnulla Cathedralium aliarumve Insignium Ecclesiarum extra Urbem Capitula decorata fuerunt, illud quoque fuerit identidem concessum, ut praedictarum Ecclesiarum Canonici titulo gaudeant Protonotariorum *ad instar Participantium*, attente perpendant istiusmodi Capitula ex nudo hoc

titulo singulis Canonicis Pontificia benignitate tributo, minime deduci posse privilegia quoque ipsis indulta fuisse eorumdem Protonotariorum propria, sed iuxta regulam a sacra Rituum Congregatione in generali Decreto diei 27. Aprilis 1818. traditam et a Sa. mem. Pio VII. Idibus Decembris eiusdem anni in Constitutione « *Cum innumeri* » confirmatam, meminerint « Leges et conditiones in Apostolicis » Indultis praefinitas, accurate diligenterque servan» das, neque ulli fas esse concessionis limites pro » suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia » id genus Insignia deferre, vel sibi singulatim et » extra Collegii functiones attributa existimare, quae » corpori tantummodo sunt collata. »

XXIV. Caeterum, praedicta Congregatio particularis, hoc Decreto nihil detractum voluit de iuribus, privilegiis et exemptionibus Collegio Protonotariorum Participantium iuxta Constitutiones Apostolicas, ac praesertim iuxta Litteras in forma Brevis « *Quamvis peculiares facultates* » die 9. Februarii 1853. datas quoquomodo spectantibus.

Nos igitur qui certum ordinem in omnibus servari sinceris desideramus affectibus praemissa omnia et singula a praefata Congregatione digesta atque statuta, Apostolica Auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, eaque veluti Motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae Potestatis plenitudine constituimus, ordinamus atque sancimus, decernentes praesentes Litteras, etiam ex eo quod in praemissis et circa praemissa ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, vocati et auditi non fuerint, nec eis con-

senserint, ab omnibus ad quos nunc spectat et in futurum spectabit, perpetuo et inviolabiliter observari debere; easdemque nullo umquam tempore, ex quavis causa quantumvis iuridica, privilegiata, ac ex quovis capite, colore, et praetextu de Subreptionis vel Obreptionis ac nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut adversus illas oris aperitionem, vel aliud iuris facti vel gratiae remedium intentari posse; sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate et potestate fungentes, seu honore, praeeminentia, ac dignitate fulgentes, etiam causarum curiae Camerae Apostolicae Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, atque Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri etiam debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula « *De iure quaesito non tollendo* » ac quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus, atque privilegiis, gratiis, et indultis, etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, atque litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis, quacumque

ecclesiastica aut mundana Dignitate fulgentibus, quamtumvis specifica et individua mentione dignis, quocumque tempore concessis, nec non quibusvis consuetudinibus etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si de verbo ab verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent, pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum consequendum, latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine Motu pari derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicuius personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, constitutionis, ordinationis, sanctionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum IV. Ka-

lendas Septembris Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo Secundo.

Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Septimo.

F. CARD. ASQUINIUS

C. GORI SUBDATARIUS

VISA

De Curia J. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

Reg. in Secretaria Brevium.

DECRETVM CONSISTORIALE

VRBANIEN. ET S. ANGELI IN VADO
DECLARATIONIS ET EMENDATIONIS
QVOAD PRAENOMINATIONEM ALTERNATIVAM
TVM IN CONSISTORIALIBVS PRAECONIIS
CVM IN APOSTOLICIS LITTERIS SVB PLVMBO
PROVISIONIS ILLARVM ECCLESIARVM INVICEM
AEQVE PRINCIPALITER VNITARVM
ALIISQVE BREVIBVS FACVLTATVM
ET RESCRIPTIS RELATIVIS.

Ex quo s. m. Urbanus huius nominis Octavus Summus Pontifex Urbaniensem et S. Angeli in Vado Ecclesias in Episcopales distinctas Sedes erexit, invicem tamen aeque principaliter unitas, uti ex Apostolicis Litteris sub plumbo datis Kalendis Martii anno 1635 quae incipiunt « *Pro excellenti praeeminentia Sedis Apostolicae* » conditionem expresse adiecit « quod nedum idem Episcopus utrique Ca- » thedrali aequo iure, et pari dignitate praeesse de- » beret, verum etiam quod respective nuncupari » deberet Episcopus S. Angeli et Urbaniae, seu » Urbaniae et S. Angeli etc. ».

Quod quidem successive alternativa Sedis praenominatione servatum fuit non solum per Eumdem Pontificem Eiusque Successores in omnibus Apostolicis Litteris, sive sub plumbo, sive in forma Brevis

Urbaniae et S. Angeli Civitatibus, atque earum Episcopo pro tempore datis, sed etiam ab ipsomet Episcopo sic electo in Decretis aliisque suis actibus tam iudicialibus, quam extraiudicialibus.

Insuper ex regesto Litterarum Apostolicarum sub plumbo provisionis earumdem Ecclesiarum invicem aeque principaliter unitarum ab anno nempe 1636, sub eodem Pontifice Urbano VIII. favore R. P. D. Honorati primi Urbanien. et S. Angeli Episcopi usque ad provisionem anno 1849 a Sanctissimo Domino Nostro Pio huius nominis Nono peractam favore R. P. D. Boscarini Gatti postremi Episcopi, qui decessit, S. Angeli et Urbanien. huiusmodi praenominationis alternativa semper observata iure, atque pacifice fuit.

Verum vita piissime functo R. P. D. Boscarini tum in Consistoriali praeconio, cum in Litteris Apostolicis sub plumbo, aliisque Brevibus facultatum et Rescriptis relativis, quae fieri oportuit ad novam provisionem earumdem Ecclesiarum favore R. P. D. Ioannis Mariae Maioli per eiusdem translationem ab Ecclesia Dorensi in partibus infidelium, ius alternativum praenominationis (Eodem inscio) ob scriptorum incuriam retentum non fuit, adeo ut semper nominetur Episcopus S. Angeli et Urbaniensis, cum e converso hac vice Urbaniensis et S. Angeli appellari debuisset.

Quae quidem res ad errorem perducta iuri quaesito alternativo illarum Ecclesiarum omnino officere nequit, nec innovationem ullam inducere evidenter valet, ita ut novissimus Episcopus illarum Ecclesiarum mox electus hac vice sit et nominetur Urba-

niensis et S. Angeli quemadmodum eius antecessor S. Angeli et Urbaniensis fuit appellatus.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster ad corrigendum errorem inconsulto irreptum, atque quamcumque praenominationis aequivocationem tum in provisione praesenti cum in futuris, de Suae Apostolicae potestatis plenitudine hoc iussit referri vulgarique Consistoriale Decretum declarationis et emendationis tum erroris atque aequivocationis suprarelatae, cum ad perpetuam rei observantiam et memoriam perinde valiturum, ac si in id alterae Apostolicae Litterae sive sub plumbo, sive in forma Brevis fuissent expresse expeditae; contrariis etiam quibuscumque minime obstantibus, vel eis ad hoc quatenus opus fuerit, speciali quoque illata derogatione; proinde in Actis Sacrae huiusmet Congregationis perpetuo asservari mandavit.

Datum Romae hac die tertia mensis Septembris anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

ROGERIVS ANTICI-MATTEI Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

DECRETVM CONSISTORIALE

IACIENSIS
DE APPELLATIONIBVS
AD MESSANENSEM METROPOLITAM.

Abrogata omnino, ac plane deleta a Summo auctorante Pontifice Pio divina providentia huius nominis Nono praetensa Apostolica in Sicilia Legatione ac uti dicebatur *Monarchia*, nec non Iudice delegato eiusque Tribunali per Apostolicas Litteras sub plumbo datas apud S. Petrum quinto Kalendas Februarii anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto (1), quae incipiunt « *Suprema universi Dominici gregis cura* » sapientissimae mentis Pontificis consilium etiam fuit, ut Siciliae ecclesiasticarum provinciarum Tribunalibus et Iudicibus, ac etiam illarum Ecclesiarum Episcopalium quae S. Apostolicae Sedi immediate subiiciuntur opportunius consuleretur. Quod quidem per alteras contemporaneas Apostolicas Litteras in forma Brevis quae incipiunt « *Multis gravissimis aeque ac iustissimis causis permoti* » peractum statutumque fuit. (2)

Hisce vero in Litteris Apostolicis in forma Bre-

(1) Acta Pii IX vol. IV pag. 338.
(2) Ibid. pag. 351.

vis, quoad appellationes a iudiciis in prima instantia prolatis ab Episcopalibus Tribunalibus, quae exemptione Metropolitica in Sicilia gaudent, adsignatus fuit alter inibi Episcopus, ut causas cognoscere et dirimere in Appellationis gradu, uti Apostolicus Delegatus, rite valeret.

Nuperrime itaque cum novae Iaciensis Dioecesis erectioni in Sicilia ex dismembratione Messanensi et Cataniensi per Sanctissimum Dominum Nostrum fuerit locus; eaque per Consistoriale Decretum diei vicesimae secundae Iulii anno millesimo octingentesimo septuagesimo secundo, quod incipit « *Nova constituta Cathedrali Ecclesia Iaciensi in Sicilia* (1) » S. Apostolicae Sedi immediate fuerit subiecta, ius Appellationum a Tribunali Ecclesiae eiusdem erit modo statuendum.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster omnibus consulto perpensis et peculiaribus de causis sibi cognitis, contrariis quibuscumque minime obstantibus, vel eis ad hoc speciali quoque illata derogatione, statuit decrevitque ex Suae Apostolicae Potestatis plenitudine Appellationes ab Ecclesiastico Tribunali Iaciensi deferendas esse ad Metropolitanum Messanensem, qui idcirco rite valideque illius Tribunalis causas in secundo diiudicare debebit. Caeterum praescriptiones alias quae tertium iurisdictionis gradum respiciunt, quoties locus alterius causae revisionis esse possit ad normam quoque suprarelati Apostostolici Brevis esse intelligendas et observandas Sanctitas Sua mandavit.

(1) Vid. praesens vol. pag. 64.

Ideoque hoc iussit ferri Consistoriale Decretum pro Iaciensi Dioecesi perinde valiturum, ac si in id alterae Apostolicae Litterae sive sub plumbo sive in forma Brevis fuissent de more expeditae.

Huius insuper Consistorialis Decreti exequutorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis elegit, atque deputare voluit R. P. D. Ioannem Guttadauro ex Principibus Reburdone hodiernum Caltanisiadensium Episcopum cum potestate alteram etiam personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi.

Utrique vero onus iussit imponi, ut infra quatuor menses ab huiusmodi Decreti publicatione acta omnia quae in id fuerint exequutorialia ad huiusmodi Sacram Consistorialem Congregationem mittant, uti una cum hoc Decreto in eiusdem Archivo ad perpetuam rei memoriam et normam asserventur.

Datum Romae hac die vicesima septima Septembris anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerius Antici-Mattei Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

EPISTOLA

DILECTO FILIO ALBERTO CVCITO PRESBYTERO.

VENETIAS

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Propositum a te, Dilecte Fili, primo Italorum catholico conventui libellum de *patronatu filiorum plebis* libentissime excepimus. Novimus enim quanto obiiciantur periculo infelices isti pueri sibi relicti, et per dies festos, aut etiam per subsecivas cessationis ferialium horas ludo, maledictis, contentionibus, mutuae corruptioni obiecti; et quantam religiosae civilique societati labem portendant ac minitentur. Scilicet nulla informati pia ac morali institutione, nullo cohibiti urbanitatis cultu, vitiati ut plurimum ab ipsis maiorum colloquiis et exemplis sive in officinis, sive domi, sive foris, adolescunt in propriam aliorumque perniciem. Nihil itaque christianae caritati convenientius, nihil Ecclesiae et humano consortio utilius, nihil pueris ipsis magis necessarium, quam stu-

Ideoque hoc iussit ferri Consistoriale Decretum pro Iaciensi Dioecesi perinde valiturum, ac si in id alterae Apostolicae Litterae sive sub plumbo sive in forma Brevis fuissent de more expeditae.

Huius insuper Consistorialis Decreti exequutorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis elegit, atque deputare voluit R. P. D. Ioannem Guttadauro ex Principibus Reburdone hodiernum Calatanisiadensium Episcopum cum potestate alteram etiam personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi.

Utrique vero onus iussit imponi, ut infra quatuor menses ab huiusmodi Decreti publicatione acta omnia quae in id fuerint exequutorialia ad huiusmodi Sacram Consistorialem Congregationem mittant, uti una cum hoc Decreto in eiusdem Archivo ad perpetuam rei memoriam et normam asserventur.

Datum Romae hac die vicesima septima Septembris anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

Rogerivs Antici-Mattei Patriarcha Constantinopol. S. Congregationis Consistorialis a Secretis.

L. ✠ S.

EPISTOLA

DILECTO FILIO ALBERTO CVCITO PRESBYTERO.

VENETIAS

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Propositum a te, Dilecte Fili, primo Italorum catholico conventui libellum de *patronatu filiorum plebis* libentissime excepimus. Novimus enim quanto obiiciantur periculo infelices isti pueri sibi relicti, et per dies festos, aut etiam per subsecivas cessationis ferialium horas ludo, maledictis, contentionibus, mutuae corruptioni obiecti; et quantam religiosae civilique societati labem portendant ac minitentur. Scilicet nulla informati pia ac morali institutione, nullo cohibiti urbanitatis cultu, vitiati ut plurimum ab ipsis maiorum colloquiis et exemplis sive in officinis, sive domi, sive foris, adolescunt in propriam aliorumque perniciem. Nihil itaque christianae caritati convenientius, nihil Ecclesiae et humano consortio utilius, nihil pueris ipsis magis necessarium, quam stu-

dia, curae, liberalitas, quibus miselli isti sponte inclinentur ad conveniendum in paratas aedes, ubi honestis oblectamentis praemiisque etiam illecti, libentes excipiant a sacerdotibus probisque viris sanam piamque doctrinam, ad probitatem educentur, necessariis imbuantur notionibus, utilesque praestentur sibi ac patriae. Quocirca cum tu, Dilecte Fili, non modo id faciendum suaseris, non modo totius agendae rei methodum scita, perspicua, venustaque lucubratione explicaveris, sed, quod magis est, exemplo praeluxeris, et magnum istorum puerorum numerum caritate, prudentia, constantia non satis laudanda excultum et ad meliorem frugem traductum omnibus ostenderis; tibi gratulamur ex animo, totoque corde ominamur non solum ut pii et honesti coepto tuo ultroneas afferant opum et operis suppetias, sed alii quoque et alii successu invitati saluti animarum iisdem artibus prospicere studeant, et fructum a te iam perceptum propagare et amplificare nitantur. Deum Nos tibi tuoque operi propitium adprecamur; eiusque favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus tibi, Dilecte Fili, atque iis, qui vel tibi suffragantur, vel idem opus sunt suscepturi, vel se eiusmodi piae institutioni commiserunt, et committent Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Decembris Anno 1872. Pontificatus Nostri Anno Vicesimo septimo.

PIVS PP. IX.

ALLOCVTIO

HABITA DIE XXIII DECEMBRIS MDCCCLXXII.
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Iustus et misericors Deus, cuius inscrutabilia iudicia et investigabiles viae sunt, sinit adhuc, Apostolicam hanc Sedem, totamque cum ipsa Ecclesiam ingemiscere, divexatam diuturna saevaque insectatione. Non immutata sane est, sed praegravata quotidie magis conditio Nobis Vobisque facta, Venerabiles Fratres, ab occupatione Nostrarum provinciarum, et potissimum postquam ab annis iam plus duobus haec alma urbs Nostra subtracta fuit paterno regimini Nostro. Iugis autem experientia docuit, quam merito ab ipsis huius insectationis exordiis impiarum sectarum machinatione promotae, et ab earumdem alumnis rerum summa potitis patratae ac provectae, saepe in Allocutionibus Litterisque Nostris Apostolicis asseruerimus aperte, non alia de causa suprema civilis Nostri principatus iura tanto nisu fuisse impetita, nisi ut ita via sterneretur ad

abolendum, si fieri posset, spiritualem principatum, quo fulgent Petri Successores, delendamque catholicam Ecclesiam, ipsumque Christi nomen in illa viventis et regnantis. Clarissime quidem id passim ostensum est ab infensis Subalpini Gubernii gestis; sed in primis ab iniquis illis legibus, quibus vel Clerici ab altaribus divulsi suaque privati immunitate ad militiam vocati sunt, vel Episcopi proprio destituti fuerunt iuventutis instituendae munere, suisque alicubi seminariis orbati: tamen lucidior adhuc eiusdem consilii demonstratio nunc Nobis exhibetur. Et sane: in hac ipsa urbe exturbatis ob oculos Nostros, aut etiam violenter depulsis e propria sede compluribus Religiosis Familiis, bonisque Ecclesiae gravissimo subiectis tributo, nutuique mancipatis civilis potestatis; iam nunc Coetui, ut aiunt, Legislativo proposita fuit lex illi non absimilis, quae, non obstantibus Nostris denunciationibus et gravissimis condemnationibus, exequutioni in reliquis Italiae partibus gradatim demandata, in hoc etiam Catholicae fidei centro Religiosas Familias extinguere debeat, bonaque Ecclesiae addicere fisco, et publicae obiicere licitationi. Porro lex istaec, si tamen legis nomine scitum honestare licet, ipsi naturali, divino et sociali iuri repugnans, multo iniquior et funestior Romae et circumpositis obtingit provinciis. Profundius enim et acrius iura vulnerat et possessiones universalis Ecclesiae, fonti ipsi insidiatur veri cultus socialis, quem Religiosae Familiae immani labore parique constantia et magnanimitate non in regionibus tantum nostris promoverunt et perfecerunt, sed ad exteras quoque gentes et efferatas,

posthabitis difficultatibus, molestiis, aerumnis ipsaque vita, attulerunt et porro afferunt; ac demum propius refragatur Apostolatus Nostri debito et iuri. Siquidem, deletis Religiosis Familiis aut exinanitis, cleroque saeculari ad inopiam redacto et militaris conscriptionis causa rarescente, non solum hic, ut alibi, desiderabuntur qui panem verbi populo frangant, qui fidelibus sacramenta ministrent, qui adolescentiam instituant et muniant adversus innumeras insidias ei quotidie structas; sed Romano quoque Pontifici subducentur auxilia, quibus, uti universalis magister et pastor, ad totius Ecclesiae regimen tantopere indiget: spoliatio vero Romanae Ecclesiae ea occupabit bona, quae plusquam a nostratum donationibus, ab omnium catholicorum largitate congesta fuerunt, et in hoc unitatis centro constituta; atque ita quae Ecclesiae universalis usui et incrementis fuerant addicta, in extraneorum lucrum impie convertentur. Vix itaque didicimus, alterum e Subalpini Gubernii ministris significasse Legislativo Cœtui propositum ei subiiciendi legem huiusmodi, monstrosam eius indolem illico prodidimus per epistolam die 16 Iunii huius anni datam ad Cardinalem Nostrum a Publicis Negociis, ipsique mandavimus, ut novum hoc periculum Nobis impendens, sicuti cetera quae patimur, nuntiaret Legatis apud Sanctam Sedem exterorum Principum. Verum cum proposita iam fuerit comminata lex, exigit omnino munus Apostolatus Nostri, ut editas antea expostulationes coram Vobis, Venerabiles Fratres, et Ecclesia universa elata voce iteremus, uti reapse facimus. Nefarium proinde hoc facinus in Iesu Chri-

sti nomine, cuius vice fungimur in terris, execrantes, auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra illud damnamus una cum quolibet schemate legis, quae sibi potestatem arroget augendi, vexandi, minuendi, supprimendi Religiosas Familias Romae et in circumpositis provinciis, ibique Ecclesiam privandi suis bonis, eaque addicendi fisco aut aliter erogandi. Irritum propterea pronunciamus iam nunc quidquid fieri velit contra iura et patrimonium Ecclesiae; cassamque prorsus et nullam declaramus quamlibet praedatorum bonorum acquisitionem quocumque titulo factam, quorum alienationi Apostolica haec Sedes numquam reclamare cessabit. Auctores autem et fautores huius legis meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas ipso facto incurrendas Apostolicae Constitutiones iurium Ecclesiae invasoribus infligunt; et animae suae, vinculis hisce spiritualibus obligatae, miserti desinant thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.

Verum acerrimus, quo perstringimur, dolor ob istas aliasque passim illatas Ecclesiae iniurias in Italia, non leviter exacerbatur praeterea a saevis, quibus eadem obnoxia est alibi, persequutionibus; maxime vero in novo Germanico Imperio, ubi non occultis tantum machinationibus, sed aperta quoque vi illi funditus subvertendae adlaboratur. Siquidem viri, qui non modo non profitentur sanctissimam religionem nostram, sed nec ipsam norunt, potestatem sibi vindicant praefiniendi dogmata et iura catholicae Ecclesiae. Et dum eam praefracte divexant, impudenter asserere non dubitant, nullum illi a se inferri

detrimentum: imo calumniam ac irrisionem addentes iniuriae, saevientem persequutionem vitio vertere non verentur catholicorum; scilicet, quod eorum Praesules et Clerus una cum fideli populo praeferre renuant civilis Imperii leges et placita sanctissimis Dei et Ecclesiae legibus, et a religioso officio suo desciscere idcirco recusent. Utinam publicarum rerum moderatores diuturna docti experientia sibi tandem suadeant, ex eorum subditis neminem accuratius catholicis reddere Caesari quae sunt Caesaris ideo praesertim, quod religiose reddere studeant quae sunt Dei Deo.

Eamdem, quam Germanicum Imperium, viam iniisse videtur civilis auctoritas nonnullorum e pagis Helveticae Foederationis, sive decernendo de dogmatibus catholicae fidei, sive favendo apostatis, sive exercitium intercipiendo Episcopalis auctoritatis. Genevensis vero tractus Gubernium, licet solemni pacto adstrictum ad custodiendam tuendamque in suo territorio religionem catholicam, postquam per praeteritos annos aliquot edidit leges infensas auctoritati libertatique Ecclesiae, recentius catholicas scholas suppressit, alias e religiosis familiis eiecit, alias docendi munere Instituti proprio privavit; nuperrime vero abolere contendit auctoritatem, quam pluribus iam ab hinc annis ibi legitime exercet Venerabilis Frater Gaspar Episcopus Hebronensis, eumque spoliare parochiali suo beneficio; imo eo etiam progressum est, ut, publica excitatione proposita, cives illos invitaret et alliceret ad ecclesiasticum regimen schismatice subvertendum.

Non levia etiam Ecclesia patitur in catholica

Hispania a Civili potestate. Siquidem didicimus, propositam nuper fuisse, et iam a Legislativo Coetu ratam habitam legem de Cleri dote, qua non modo solemnia franguntur pacta conventa, sed omnis prorsus recti iustique norma proculcatur. Quae lex, cum spectet ad exasperandam inopiam servitutemque Cleri, et ad irritanda augendaque mala illustri illi nationi illata per postremos hosce annos in perniciem fidei et ecclesiasticae disciplinae a deploranda actorum Gubernii serie; sicuti Venerabilium Fratrum in Hispaniis Episcoporum iustissimas, eorumque firmitate plane dignas, querelas iam excitavit, sic nostras nunc poscit solemnes expostulationes.

Tristiora quoque commemoranda forent de exigua illa sed impudentissima schismaticorum Armeniorum manu, quae, Constantinopoli praesertim, per audaciam fraudis et violentiae suae opprimere nititur multo copiosiorem eorum numerum, qui constantes in officio et fide permanserunt. Ementito namque catholico nomine, perstant ipsi in perduellione sua adversus supremam Nostram auctoritatem ac legitimum suum Patriarcham, qui eorum artibus eiectus exul ad Nos confugere debuit. Versutia vero sua eam apud civilem potestatem inierunt gratiam, ut non obstantibus Legati Nostri extraordinarii illuc ad res componendas missi studio et officiis, ac etiam Litteris Nostris ad serenissimum Turcarum Imperatorem datis, armorum adhibita vi, converterint in proprium usum aliquas e catholicorum Ecclesiis, coiverint in conciliabulum, sibique statuerint schismaticum Patriarcham; atque effece-

rint, ut catholici sua iam priventur immunitate, qua hactenus per publica pacta gavisi fuerunt.

De perstrictis tamen hactenus Ecclesiae vexationibus alias Nobis explicatius agendum erit fortasse, si aequissimae Nostrae denunciationes contemni pergant.

Sed tot inter moeroris causas gaudemus, Venerabiles Fratres, recreari vos posse, sicuti et Nos erigimur, ab admirabili constantia et operositate catholici Episcopatus commemoratarum regionum non minus quam ceterarum; quarum Antistites succincti lumbos in veritate et induti loricam iustitiae, et huic Petri cathedrae devinctissimi nullis territi periculis, nullis aerumnis deiecti, sive singillatim, sive coniunctim, voce, scripto, expostulationibus, pastoralibus litteris, Ecclesiae, Sanctae huius Sedis, suaque sacra iura fortiter alacriterque propugnant una cum Clero et populo suo fideli; ac iniustam vim cohibent, calumnias refellunt, insidias detegunt, frangunt impiorum audaciam, veritatis lucem omnibus ostendunt, confirmant honestos, compactaeque unitatis robur opponunt hostium undique irrumpentium incursui, Nobisque tot Ecclesiae malis afflictis iucundissimum solatium exhibent et potens auxilium. Quod certe validius etiam evadet, si vincula fidei et caritatis, quibus mentes iunguntur et affectus, arctiora quotidie et contentiora fieri curentur. Ei porro rei assequendae nemo peropportunum non censeat, ut qui Metropolitica auctoritate ecclesiasticis praesunt provinciis, cum Suffraganeis suis, meliori, qua per adiuncta temporum fieri possit, ra-

tione consilia conferant, per quae se invicem omnes in eadem mente eademque sententia obstringant et confirment, et ad difficile certamen contra impietatis ausus efficacius obeundum unanimi nisu se comparent.

Visitavit profecto Nos Dominus, Venerabiles Fratres, in gladio suo duro et grandi et forti; ascenditque fumus in ira eius et ignis a facie eius exarsit. Sed numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Absit: Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in nos divitias misericordiae suae. Divinam iram acceptabili hoc Dominici adventus tempore placare studeamus; Regique pacifico, qui proxime venturus est ut pacem annuntiet hominibus bonae voluntatis, in novitate vitae ambulantes humiliter occurramus. Iustus et misericors Deus, cuius arcana dispositione nati sumus videre contritionem populi nostri et contritionem civitatis sanctae, et sedere illic cum datur in manibus inimicorum, Ipse inclinet aurem suam et audiat, aperiat oculos suos et videat desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est nomen Eius.

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ANTONIO PETRO IX PATRIARCHAE CILICIAE, ET ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET DILECTIS FILIIS CLERO AC POPVLO RITVS ARMENII GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBVS.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATRES ET DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

1. Quartus supra vigesimum elapsus iam annus est, cum Nos recurrentibus sacratissimis diebus, quibus novum sidus gentibus illuminandis in Oriente affulsit, apostolicas Nostras (1) litteras *ad Orientales* dedimus; ut catholicos in fide confirmaremus, eos vero, qui extra catholicam Ecclesiam misere versantur, ad unicum Christi ovile revocaremus. Nobisque laeta spes affulgebat, futurum ut, auxiliante Deo et Salvatore nostro Iesu Christo, christianae fidei puritas latius propagaretur, et ecclesiasticae disciplinae studium in Oriente reflorescerет; cui componendae atque ad normam sacrorum canonum or-

(1) Quarum initium *In Suprema* datas die 6. Ianuarii 1848. (Vid. Acta Pii IX vol. 1 pag. 78).

dinandae Nostram auctoritatem adfore pollicebamur. Quantam vero ex eo tempore sollicitudinem gesserimus de Orientalibus, quove charitatis affectu eos prosequuti fuerimus, Deus scit: quae vero eum in finem praestiterimus, omnes noverunt, utinam et omnes rite intelligerent. Verum imperscrutabili Dei iudicio factum est, ut expectationi et curis Nostris res minime responderint; et modo non laetari, verum ob novam calamitatem, qua nonnullae premuntur Orientalium Ecclesiae, dolere potius atque ingemiscere debeamus.

2. Quod enim auctor fidei et consummator Christus Iesus iam ante praemonuerat (1), multos scilicet in eius nomine venturos qui dicerent, ego sum Christus, et multos seducerent, id vos in praesentia pati atque experiri coacti estis. Namque communis humani generis hostis et inimicus, excitato tribus abhinc annis in urbe Constantinopolitana novo schismate apud Armenos, totus in eo est, ut saeculari sapientia et haeretico sermone atque astutae fraudis subtilitate, vi etiam, dum licet, adhibita, subvertat fidem, veritatem corrumpat, scindat unitatem. Cuius simulationes et dolos deplorans, unaque detegens S. Cyprianus aiebat (2): « Rapit » de ipsa Ecclesia homines, et dum sibi appropin» quasse iam lumini atque evasisse saeculi noctem » videntur, alias nescientibus tenebras rursus in» fundit, ut cum evangelio Christi et cum obser» vatione eius et lege non stantes, christianos se » vocent, et ambulantes in tenebris habere se lu-

(1) Matth. XXIV. 5.
(2) Lib. de Unit. n. 3.

» men existiment, blandiente adversario atque fal-
» lente; qui secundum Apostoli vocem transfigurat
» se velut angelum lucis (2. Cor. XI. 14), et mi-
» nistros suos subornat velut ministros iustitiae,
» asserentes noctem pro die, interitum pro salute,
» desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub
» praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Chri-
» sti: ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem
» subtilitate frustrentur. »

3. Etsi autem novi huiusce schismatis initia, multis, uti assolet, involuta essent ambagibus, Nos tamen illius pravitatem et pericula praesentientes, statim pro Nostro debito obstitimus, datis apostolicis litteris, alteris die 24 Februarii 1870, quae incipiunt *Non sine gravissimo*, alteris die 20 Maii eiusdem anni, quarum initium est *Quo impensiore*. (1) Verum eo res processit, ut eiusdem schismatis auctores et asseclae, despectis Apostolicae huius Sedis hortationibus, monitis, et censuris, pseudopatriarcham sibi eligere non reformidaverint: quam electionem omnino irritam atque schismaticam esse, et electum una cum suis electoribus canonicas poenas incurrisse declaravimus Nostris litteris, quarum initium *Ubi prima*, datis die undecima Martii ann. 1871. (2) Porro catholicorum ecclesiis violenter usurpatis, legitimo Patriarcha Ven. Fr. Antonio Petro IX finibus Imperii Othomanici exire compulso, ipsa patriarchali Ciliciensi sede, quae est in Libano, militari manu occupata, civili etiam praefectura potiti, catholicae

(1) Acta Pii IX. Vol. V. pag. 129 et 195.
(2) Ibid. pag. 290.

Armeniae genti incubarunt, eamque ab Apostolicae Sedis communione et obedientia una secum divellere omnimode connituntur. Id vero ut ex eorum sententia cedat, multum adlaborat alter e Neoschismaticis sacerdotibus Ioannes Kupelian, quem iam antea in civitate Diarbekirien. seu Amiden. turbas foventem et schisma excitantem Ven. Fr. Nicolaus Archiepiscopus Martianopolitanus, Apostolicus in Mesopotamia aliisque regionibus Delegatus, auctoritate Nostra publice ac nominatim excommunicaverat, et ab Ecclesia catholica abscissum declaraverat. Ille enim postquam sacrilegam episcopalem consecrationem a Pseudopatriarcha recepit, et potestate potitus est, catholicos Armenii ritus, qua suasionibus qua minis publice illatis, dominationi suae submittere praesumit atque contendit. Quod si umquam fieret, ad miserrimam illam conditionem catholici omnino reverterentur, quam ante quadraginta duos annos patiebantur, dum potestati veterum sui ritus schismaticorum erant obnoxii.

4. Equidem Nos nihil intentatum reliquimus, ut, more Praedecessorum Nostrorum, quorum auctoritatem, patrocinium et opem spectatissimi quique Ecclesiarum Orientalium Episcopi et Patres in similibus temporum et rerum adiunctis implorare consueverunt, a vobis tanta mala depelleremus. Quem etiam in finem extraordinarium Nostrum legatum istuc misimus; ipsumque celsissimum Othomanicum Imperatorem, ne in aliquo deesse videremur, singulari Nostra epistola nuper adivimus, rogantes, ut ad iustitiae tramitem illata catholicis Armeniis damna sarcirentur, et gregi suo Pastor exul redde-

retur. At quominus haec Nostris votis responderent, eorum obstiterunt artes, qui dum se catholicos dicunt, inimici sunt crucis Christi.

5. Eo itaque res devenisse patet, ut valde timendum sit, ne novi schismatis auctores et asseclae in peius proficiant, atque infirmiores in fide vel minus cautos tam ex Armeniis quam ex aliorum rituum catholicis, quod illis propositum est, seductos in viam perditionis possint abducere. Idcirco vos iterum alloqui, atque, discussis tenebris et multa caligine quibus veritatem circumfundi novimus, universos monere, ipsa apostolici Nostri muneris ratione compellimur; ut scilicet stantes confirmemus, labantes fulciamus, et eos etiam qui a veritate et unitate catholica miserrime defecerunt, si tamen quod a Deo enixe poscimus, audire voluerint, ad bonam frugem auxiliante Deo revocemus.

6. Potissima fraus, ad novum schisma obtegendum adhibita, est catholicum nomen, quod illius auctores et asseclae licet auctoritate Nostra, Nostroque iudicio condemnati usurpare praesumunt. Hoc enim solemne semper fuit haereticis atque schismaticis, ut se catholicos nuncuparent, multaque de se praeclare edicerent, ut populos simul et principes in errorem inducerent. Quod de iisdem inter ceteros testatus S. Hieronymus Presbyter (1) aiebat: « Solent haeretici regi suo vel Pharaoni dicere, filii sumus sapientum, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt; filii sumus regum » antiquorum qui appellantur reges Philosophorum;

(1) Comment. in Isaiae caput XIX. vv. 12. 13.

Armeniae genti incubarunt, eamque ab Apostolicae Sedis communione et obedientia una secum divellere omnimode connituntur. Id vero ut ex eorum sententia cedat, multum adlaborat alter e Neoschismaticis sacerdotibus Ioannes Kupelian, quem iam antea in civitate Diarbekirien. seu Amiden. turbas foventem et schisma excitantem Ven. Fr. Nicolaus Archiepiscopus Martianopolitanus, Apostolicus in Mesopotamia aliisque regionibus Delegatus, auctoritate Nostra publice ac nominatim excommunicaverat, et ab Ecclesia catholica abscissum declaraverat. Ille enim postquam sacrilegam episcopalem consecrationem a Pseudopatriarcha recepit, et potestate potitus est, catholicos Armenii ritus, qua suasionibus qua minis publice illatis, dominationi suae submittere praesumit atque contendit. Quod si umquam fieret, ad miserrimam illam conditionem catholici omnino reverterentur, quam ante quadraginta duos annos patiebantur, dum potestati veterum sui ritus schismaticorum erant obnoxii.

4. Equidem Nos nihil intentatum reliquimus, ut, more Praedecessorum Nostrorum, quorum auctoritatem, patrocinium et opem spectatissimi quique Ecclesiarum Orientalium Episcopi et Patres in similibus temporum et rerum adiunctis implorare consueverunt, a vobis tanta mala depelleremus. Quem etiam in finem extraordinarium Nostrum legatum istuc misimus; ipsumque celsissimum Othomanicum Imperatorem, ne in aliquo deesse videremur, singulari Nostra epistola nuper adivimus, rogantes, ut ad iustitiae tramitem illata catholicis Armeniis damna sarcirentur, et gregi suo Pastor exul redde-

retur. At quominus haec Nostris votis responderent, eorum obstiterunt artes, qui dum se catholicos dicunt, inimici sunt crucis Christi.

5. Eo itaque res devenisse patet, ut valde timendum sit, ne novi schismatis auctores et asseclae in peius proficiant, atque infirmiores in fide vel minus cautos tam ex Armeniis quam ex aliorum rituum catholicis, quod illis propositum est, seductos in viam perditionis possint abducere. Idcirco vos iterum alloqui, atque, discussis tenebris et multa caligine quibus veritatem circumfundi novimus, universos monere, ipsa apostolici Nostri muneris ratione compellimur; ut scilicet stantes confirmemus, labantes fulciamus, et eos etiam qui a veritate et unitate catholica miserrime defecerunt, si tamen quod a Deo enixe poscimus, audire voluerint, ad bonam frugem auxiliante Deo revocemus.

6. Potissima fraus, ad novum schisma obtegendum adhibita, est catholicum nomen, quod illius auctores et asseclae licet auctoritate Nostra, Nostroque iudicio condemnati usurpare praesumunt. Hoc enim solemne semper fuit haereticis atque schismaticis, ut se catholicos nuncuparent, multaque de se praeclare edicerent, ut populos simul et principes in errorem inducerent. Quod de iisdem inter ceteros testatus S. Hieronymus Presbyter (1) aiebat: « Solent haeretici regi suo vel Pharaoni dicere, filii sumus sapientum, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt; filii sumus regum » antiquorum qui appellantur reges Philosophorum;

(1) Comment. in Isaiae caput XIX. vv. 12. 13.

» et habemus scientiam Scripturarum iunctam sa-
» pientiae saeculari. »

7. Ut autem se probent catholicos, provocant Neoschismatici ad quamdam, ut aiunt, fidei declarationem ab eis editam die 6 Februarii ann. 1870, quam a catholica fide nullatenus dissentire dietitant. Verum nemini umquam licuit catholicum se probare, concinnatis pro arbitrio suo fidei formulis, in quibus ea reticeri solent, quae profiteri non placet; sed illis omnino subscribendum est quae ab Ecclesia proponuntur, uti omnium temporum ecclesiastica historia testatur.

8. Subdolam autem et captiosam fuisse fidei formulam ab eis editam ex eo etiam confirmatur, quod reiecerint declarationem seu professionem fidei auctoritate Nostra de more propositam; cui subscribere eos iusserat Ven. Fr. Antonius Iosephus Archiepiscopus Thyanaeus, Apostolicus Constantinopoli Delegatus, monitoriis litteris ad eos datis die 29 Septembris eodem anno. Alienum quippe est, tam a divina Ecclesiae ordinatione, quam a perpetua et constanti eius traditione, posse quemquam catholicam fidem suam probare seque catholicum veraciter asserere, nisi Apostolicae huius Sedi satisfaciat. Ad hanc enim (1) propter potentiorem principalitatem, omnem Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles oportet convenire: et qui (2) cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, nonnisi mendaciter se in Ecclesia esse confidit;

(1) S. Irenaeus. Lib. 3. contr. haeres. cap. 3.
(2) S. Cyprian. Lib. de Unitate n. 4.

ut iam schismaticus (1) et peccator sit, qui alteram collocet contra singularem B. Petri cathedram, a qua (2) in omnes venerandae communionis iura dimanant.

9. Id profecto non latuit Orientalium ecclesiarum praeclarissimos Episcopos; qua de re in synodo Constantinopoli celebrata anno 536, Mennas eiusdem urbis Episcopus (3) aperte declarabat probantibus Patribus, « Nos, sicut charitas vestra novit, » Apostolicam Sedem sequimur et obedimus; et » ipsius communicatores, communicatores habemus, » et condemnatos ab ipsa, et nos condemnamus. » Luculentius etiam et expressius, S. Maximus (4) Abbas Chrysopolitanus et fidei confessor de Pyrrho Monothelita agens profitebatur: « Si vult haereticus » non esse neque audire, non isti aut illi satisfa» ciat; superfluum quippe hoc et irrationabile est: » quia sicut uno contra eum scandalizato, omnes » scandalizati sunt, ita quoque uno satisfacto om» nes procul dubio satisfiunt. Festinet pro omnibus » Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, » communiter ubique omnes pium hunc et ortho» doxum praedicabunt. Nam frustra loquitur, qui » mihi similes suadendos ac surripiendos putat; et » non satisfacit et implorat sanctissimae Romano» rum Ecclesiae beatissimum Papam, id est Apo» stolicam Sedem, quae ab ipso incarnato Dei Ver-

(1) S. Optat. Milev. de schism. Donatist. lib. 2.

(2) Concil. Aquileien. et S. Ambros. ep. XI ad Imperatores.

(3) Labb. Collect. Concil. Edit. Ven. T. VII. c. 1279.

(4) Epistol. ad Petrum illustrem. Coll. Conc. T. VI. col. 1520.

» bo, sed et omnibus sanctis synodis secundum sa-
» cros canones et terminos, universarum quae in
» toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesia-
» rum, in omnibus et per omnia percepit et ha-
» bet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi
» et solvendi. » Quare Ioannes Episcopus Constantinopolitanus, quod postea ab universa Oecumenica Synodo VIII factum est, solemniter protestabatur « sequestratos a communione Ecclesiae catholicae,
» id est in omnibus non consentientes Sedi Apo-
» stolicae, eorum nomina inter sacra non esse re-
» citanda mysteria (1) » : quo palam significabant, se eos uti veraciter catholicos non agnoscere. Quae omnia tanti sunt ponderis, ut quisquis a Romano Pontifice schismaticus fuerit iudicatus, donec omnem eius potestatem expresse non admittat et revereatur, ab usurpando catholico nomine cessare omnino debeat.

10. Hoc vero cum minime iuvet Neoschismaticos, idcirco recentiorum haereticorum vestigia sectantes eo confugerunt, ut iniustam fuisse praedicarent, ideoque nullius roboris ac momenti sententiam schismatis et excommunicationis in eos Nostro nomine latam a Ven. Fr. Archiepiscopo Thyanaeo, Apostolico Delegato in urbe Constantinopolitana: cui acquiescere vel ea de causa se non potuisse dixerunt, ne fideles ipsorum ministerio fraudati ad haereticos transfugerent. Nova autem haec sunt et veteribus Ecclesiae Patribus ignota prorsus

(1) Libell. Ioannis Episc. Constantinopolitani ad S. Hormisdam. — Concil. Oecum. VIII. Action. 1.

et inaudita. Etenim « cuncta per mundum novit » Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata » Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat » resolvendi, utpote quae de omni ecclesia fas ha» beat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iu» dicio (1) ». Quare cum Ianseniani haeretici similia docere ausi fuissent (2), de contemnenda scilicet praetextu iniustitiae excommunicatione a legitimo Praelato inflicta, deque implendo ea non obstante proprio, uti aiebant, cuiusque debito, Clemens XI fel. rec. praedecessor Noster huiusmodi propositiones, minime alienas a nonnullis articulis Ioannis Wicleff iampridem a Synodo Constantiensi et a Martino V condemnatis, proscripsit atque damnavit in Constitutione *Unigenitus* edita contra Quesnelli errores. Etsi enim propter humanam infirmitatem fieri quandoque posset, ut quis a suo Praelato censuris iniuste plecteretur, opus tamen est, uti monuit S. Gregorius Magnus praedecessor Noster (3) « ut is, qui sub manu Pastoris est, ligari » timeat vel iniuste, nec Pastoris sui iudicium te» mere reprehendat; ne etsi iniuste ligatus est, ex » ipsa tumidae reprehensionis superbia, culpa, quae » non erat, fiat. » Quod si vel iniuste ligato a suo Pastore formidandum est, quid de iis dicendum, qui ideo ligati sunt, quod suo Pastori et Apostolicae huic Sedi rebelles inconsutilem Christi vestem, hoc est Ecclesiam, novo schismate lacerarunt et dilacerant?

11. Charitas vero, qua praesertim sacerdotes te-

(1) S. Gelas. ad Episcopos Dardaniae, epist. 26. §. 5.
(2) Const. *Unigenitus* prop. 91. 92. 93.
(3) Hom. XXVI in Evangelia §. 6.

nentur prosequi fideles, sit oportet « *de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* » uti monuit Apostolus (1): qui etiam ea recensens, per quae debemus exhibere nosmetipsos sicut Dei ministros, addebat *in charitate non ficta, in verbo veritatis* (2). Ipse autem Christus Deus, qui (3) *charitas est,* aperte edixit, sicut ethnicos et publicanos eos habendos, qui Ecclesiam non audierint (4). Ceterum Euphemio Constantinopolitano Episcopo similia oggerenti respondebat S. Gelasius praedecessor Noster (5): « Pastorem sequi grex debet ad pascua salutaria re- » vocantem, non per devia gregem pastor errantem. » Etenim « docendus est populus, non sequendus: nos- » que si nesciunt, eos quid liceat quidve non liceat, » commonere, non his consensum praebere debe- » mus (6). »

12. At enim non de dogmate actum fuisse aiunt Neoschismatici, verum de disciplina; hanc enim respicit Nostra Constitutio, quae incipit *Reversurus,* edita die 12 Iulii an. 1867 (7): proinde contradictoribus neque catholicorum nomen neque praerogativas negari posse; quod quidem effugium quam futile sit et inane, vos probe intelligere non dubitamus. Qui enim legitimis Ecclesiae Praelatis, praesertim vero summo omnium Pastori contumaciter resistunt, eorumque mandata exequi detrectant, ipsa

(1) 1. Tim. I. 5.
(2) 2. Cor. VI. 6.
(3) 1. Ioan. IV. 8.
(4) Matth. XVIII. 17.
(5) Epist. 3. ad Euphemium n. 15.
(6) S. Caelestin. PP. ad Episcop. Apul. et Calabr. n. 3.
(7) Vid. Acta Pii IX vol. IV pag. 304.

etiam eorum abnegata dignitate, eos uti schismaticos catholica Ecclesia semper habuit. Quae cum ab Armenia Constantinopolitana factione acta fuerint, nemo profecto immunes a reatu schismatis eos censere posset, etsi apostolica auctoritate uti tales condemnati nondum fuissent. Ecclesia enim, uti Patres docuerunt (1), est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens; proinde Episcopus in ecclesia est, et ecclesia in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in ecclesia non est. Ceterum, sicut monebat praedecessor Noster Pius VI in apostolicis litteris (2), quibus civilem cleri constitutionem in Galliis condemnavit, saepe disciplina adeo cohaeret dogmati et ad eius puritatis conservationem adeo influit, ut sacra concilia pluribus in casibus disciplinae violatores ab Ecclesiae communione per anathema separare non dubitaverint.

13. Verum Neoschismatici ulterius progressi sunt, quandoquidem « nullum schisma (3) non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. » Non enim et Apostolicam Sedem criminari veriti non sunt, quasi fines potestatis Nostrae supergressi, in alienam messem falcem iniicere praesumpserimus, cum quaedam disciplinae capita in Armenio patriarchatu servanda ediceremus; perinde ac si Orientalium ecclesiae solam Nobiscum fidei communionem et unitatem servare deberent, apostolicae autem B. Petri potestati in his quae pertinent ad disciplinam non essent obnoxiae. Porro huius-

(1) S. Cyprian. ep. 66. ad Florentium Pupianum. n. 8.
(2) *Quod aliquantum* 10 Martii 1791.
(3) S. Hieron. in ep. ad Tit. c. 3. vv. 10. 11.

modi doctrina non modo post editam ab Oecumenico Concilio Vaticano definitionem et declarationem de vi et ratione pontificii primatus haeretica est, verum eam uti talem semper habuit ac detestata est catholica Ecclesia. Hinc Oecumenici Concilii Chalcedonensis Episcopi supremam Apostolicae Sedis auctoritatem in actis suis perspicue professi, decretorum suorum, etiam disciplinam respicientium, confirmationem et firmitatem a S. Leone praedecessore Nostro humiliter flagitabant.

14. Et revera « B. Petri successor (1), hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habet iure divino gregem Christi universum, ut simul cum Episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis; ceteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino sed ecclesiastico iure, non Christi ore sed hierarchica ordinatione assignari opus est, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeant. « Cuius assignationis summa auctoritas si B. Petro eiusdem successoribus abiudicaretur, ipsa nutarent maiorum imprimis Ecclesiarum fundamenta, earumque praerogativae; « si quid enim Christus (2) cum Petro com» mune ceteris voluit esse principibus, numquam » nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. » » Et re quidem vera ipse (3) decoravit sedem (Ale» xandrinam), in quam Evangelistam discipulum

(1) Pius VI. in Brev. *Super soliditate*. 28. Novembr. 1786.

(2) S. Leo serm. 3. in anniv. assump. suae.

(3) S. Gregorius M. lib. 7. ep. 40. ad Eulog. Ep. Alexandrin.

» misit: ipse firmavit sedem (Antiochenam), in qua » septem annis quamvis discessurus sedit. » His vero quae in Concilio Chalcedonen. de Constantinopolitana sede decreta fuere, Apostolicae Sedis approbationem et confirmationem necessariam omnino fuisse, vel ipse Anatolius Episcopus Constantinopolitanus (1), et ipse Imperator Marcianus (2) manifeste confessi sunt.

16. Profecto igitur nisi recedatur omnino a constanti et perpetua Ecclesiae traditione, Patrum testimoniis luculentissime confirmata, Neoschismatici quamquam sese catholicos ore praedicent, tales tamen se esse nullo modo sibi persuadere poterunt. Et nisi astuta haereticarum fallaciarum subtilitas satis nota et perspecta foret, intelligi non posset, quomodo Othomanicum Gubernium eos uti catholicos habere valeat, quos Nostro iudicio et auctoritate ab Ecclesia catholica sequestratos esse novit. Ut enim catholica religio in Othomanica ditione tuto ac libere consistat, quod celsissimi Imperatoris decretis cautum est, ea etiam admittantur oportet, quae ad essentiam eiusdem religionis pertinent, qualis est primatus iurisdictionis Rom. Pontificis: et huius iudicio, uti universalis et supremi eius Capitis et Pastoris, decernendum relinquatur, quinam catholici sint an non: quod de qualibet humana prorsus et privata societate sentiendum esse, apud universos ubique gentium receptissimum est.

17. Ipsi autem Neoschismatici, se catholicae Ecclesiae institutionibus minime contradicere asserunt;

(1) Anatolius ad S. Leonem epist. 132. n. 4.
(2) Marcian. ad S. Leonem epist. 100.

atque id unum se contendere, ut iura Ecclesiarum suarum, suaeque nationis, quin et summi Imperantis iura defendant, quae a Nobis violata fuisse comminiscuntur. Quo pacto omnem hodiernae perturbationis causam in Nos et hanc Apostolicam Sedem reiicere non verentur; uti olim factum est ab Acacianis schismaticis (1) in S. Gelasium praedecessorem Nostrum: et prius ab Arianis, qui Liberium item praedecessorem Nostrum apud Constantinum Imperatorem calumniabantur, eo quod renueret damnare S. Athanasium Alexandrinum Episcopum, et cum haereticis illis communicare (2). Quod quidem dolere quis poterit, non autem mirari. Ut enim idem sanctissimus Pontifex Gelasius ea de re ad Anastasium Imperatorem scribebat « habet hoc qua» litas saepe languentium, ut accusent medicos con» gruis observationibus ad salubria revocantes, quam » ut ipsi suos noxios appetitus deponere vel repro» barc consentiant. » Itaque quoniam haec praecipua esse videntur capita, quibus et favorem sibi conciliant Neoschismatici, et causae licet deterrimae potentum patrocinium aucupantur, necesse est, ne fideles in errorem inducantur, fusius agere, quam si dumtaxat de calunniis istis refellendis ageretur.

18. Nolumus certe hic recolere, quo devenissent res Ecclesiarum catholicarum, quae per Orientem constitutae erant, postquam schisma praevaluit, et ulciscente Deo discissam Ecclesiae suae unitatem Graecorum imperium eversum est. Neque item reco-

(1) S. Gelas. epist. 12 ad Anastasium Augustum n. 1.
(2) S. Athanas. in hist. Arianor. ad Monach. n. 35.

lere animus est, quantum adlaboraverint praedecessores Nostri, cum primum licuit, ut errantes oves ad unicum et verum Christi Domini gregem revocarent. Etsi autem fructus labori cumulate non responderit, Deo tamen miserante, nonnullae diversorum rituum Ecclesiae ad veritatem et unitatem catholicam reversae sunt; quas uti infantes modo genitos ulnis suis excipiens Apostolica Sedes sollicita imprimis fuit, ut eas in vera catholica fide solidaret, et ab omni haeretica labe prorsus immunes servaret.

19. Hinc cum delatum fuisset, disseminari in Oriente prava dogmata sectae cuiusdam ab Apostolica Sede iam reprobatae, eo praesertim tendentia, ut deprimerent pontificium iurisdictionis primatum, fel. me. Pius PP. VII rei gravitate ac periculo vehementer commotus, statim providendum censuit, ne per vanas quaestionum ambages et pugnas sana quandocumque verborum forma a maioribus tradita sensim efflueret ex animis christifidelium. Qua de causa Patriarchis et Antistitibus Orientalibus mitti iussit veterem formulam S. Hormisdae praedecessoris Nostri, unaque simul iisdem mandavit (1), ut qua late pateret sua cuiusque iurisdictio, Episcopos singulos, tum cleri utriusque saecularis et regularis viros animarum curam sustinentes professioni fidei ab Urbano VIII praescriptae pro Orientalibus snbscribere iuberent, nisi antea forte iam id fecissent; idemque ab eis exigerent, qui deinceps essent ec-

(1) Encycl. S. C. de Propag. Fide 6. Iulii 1803.

clesiasticis ordinibus initiandi, aut ad sacra quaevis ministeria promovendi.

20. Verum haud multo post, scilicet anno 1806, apud monasterium Carcaphae, quod est in dioecesi Berytensi, coacta est Synodus Antiochena nuncupata, quae in multis ex iam damnata Pistoriensi synodo tacite fraudulenterque hausta fuerant, et aliquot propositiones eiusdem synodi Pistoriensis a S. Romana Sede damnatas partim ad litteram, partim ambigue insinuatas continebat; aliaque etiam Baianismum et Iansenismum redolentia, ecclesiasticae potestati adversa, Ecclesiae statum perturbantia, et contra sanam doctrinam et probatam Ecclesiae disciplinam. Quam Carcaphensem Synodum, inconsulta apostolica Sede anno 1810 typis arabicis editam, multis Episcoporum querelis exagitatam, demum fel. rec. Gregorius XVI praedecessor Noster datis apostolicis litteris (1) improbavit et condemnavit; et Episcopos iussit normam regiminis sui doctrinaeque ab aliis veteribus synodis haurire iamdiu ab Apostolica Sede probatis. Utinam vero damnata synodo cessassent errores, quibus ea scatebat. Pravae enim huiusmodi doctrinae clanculum serpere per Orientem non destiterunt, opportunam expectantes occasionem, qua in omnium conspectum prodire possent: quod frustra tentatum ante viginti circiter annos, Armenii Neoschismatici efficere modo ausi sunt.

21. Cum vero fidei retinaculum disciplina sit,

(1) Greg. XVI apost. litt. *Melchitarum catholicorum* 16. Septembris 1835.

ut ad eam sarciendam incumberet Apostolica Sedes, pro suo officio opus erat. Cui officio sane gravissimo nunquam illa defuit, licet ob adversa temporum et locorum adiuncta nonnisi occurrentibus necessitatibus consulere potuerit, aequiora interim expectans tempora, quae miserante Deo tandem aliquando advenerunt. Siquidem praedecessoribus Nostris Leone XII et Pio VIII urgentibus, et catholicis Austriae ac Galliarum summis principibus coadiuvantibus, celsissimus Othomanicus Imperator, agnito discrimine quod est catholicos inter et haereticos, illos ab horum civili potestate subduxit; eosque suum pro more regionis civile, uti aiunt, caput seu Praefectum habere decrevit. Licuit tum primum, Armenii ritus Episcopos ordinaria pollentes auctoritate Constantinopoli tuto constituere; licuit catholicas eiusdem ritus ecclesias excitare et catholicum cultum publice profiteri et exercere; ideoque fel. rec. Pius VIII praedecessor Noster primatialem et archiepiscopalem Armeniorum sedem Constantinopoli erexit (1), sollicitus quam maxime ut canonica disciplina apte et opportune in ea efflorescceret.

22. Post nonnullos annos, ubi primum expedire visum est, episcopales sedes primatiali Constantinopolitanae subiectae a Nobis (2) erectae sunt, tum methodus in electione Episcoporum servanda fuit praefinita. Deinde ne civilis, uti aiunt, Praefecti potestas, quod ab Ecclesiae catholicae legibus abhor-

(1) Apostolicis litteris *Quod iamdiu* 6 Iulii 1830.
(2) Apostolicis litteris, *Universis Dominici gregis* die 30 Aprilis 1850.

ret omnino, in sacra ferretur, ipsa demum summi Imperantis in Othomanico Imperio auctoritate cautum est, dato ad Ven. Fr. Antonium Hassun tunc illius sedis Primatem imperiali diplomate die 7 Aprilis ann. 1857. Cum vero, ipsis Armeniis petentibus, Constantinopolitanam primatialem Ecclesiam, hoc eius titulo abrogato, patriarchali Ciliciensi sedi coniunximus apostolicis litteris, quarum initium est *Reversurus*, opportunum quin et necessarium visum est, ut praecipua quaedam disciplinae capita, eiusdem Constitutionis auctoritate, sancirentur; demandata synodo patriarchali, quam apostolicis litteris, quarum initium est *Commissum*, editis die 12 Iulii an. 1867 (1) quamprimum celebrari iussimus, cura et sollicitudine adlaborandi, ut in universo Armenio Patriarchatu accuratus disciplinae ordo recte constitueretur.

23. Verum inimicus homo in Armenia Constantinopolitana Ecclesia zizania superseminare aggressus est, excitata paulo post a nonnullis quaestione de civili Armeniae communitatis praefectura, quam subreptam a novo Patriarcha querebantur. Hanc vero controversiam subsecuta mox est gravis perturbatio; idemque Patriarcha de proditis nationalibus iuribus accusatus fuit, eo quod praedictam Constitutionem Nostram, uti decebat catholicum Episcopum, excepisset; et sic demum in ipsam Constitutionem omnia dissidentium consilia, machinationes et dicteria conspirarunt.

24. Qua in re duo imprimis in crimen vocata

(1) Vid. Acta Pii IX. Vol. IV. pag. 318.

sunt, ea scilicet quae de sacrorum Antistitum electione, et de bonorum ecclesiasticorum administratione decreta fuerunt; haec enim refragari gentis suae, quin summi Imperantis iuribus calumniose assertum est. Quae vero de utroque illo capite definiverimus, licet notissima esse debeant, hic tamen repetere iuvat: multi enim semper fuere et sunt, qui (1) loquuntur in vanitate sensus sui per ignorantiam quae est in illis, alii autem (2) qui in similitudinem arioli et coniectoris aestimant quod ignorant.

25. Patriarcham eligi mandavimus a synodo Episcoporum, exclusis ab eo eligendo laicis, et etiam clericis quibusvis episcopali charactere non pollentibus: vetuimus autem, quominus electus in exercitium potestatis suae veniret, quod aiunt *inthronizari,* nisi receptis antea ab Apostolica Sede confirmationis suae litteris. Episcopos vero ita eligi iussimus, ut omnes provinciae Episcopi synodaliter congregati, tres idoneos ecclesiasticos viros proponant Apostolicae Sedi. Si vero impossibile sit omnes Episcopos ad synodum accedere, fiat propositio a tribus saltem dioecesanis Episcopis in synodum cum Patriarcha convenientibus, absentibus vero praedictam ternariam propositionem scripto significantibus. Quo facto, Romanus Pontifex unum ex propositis eliget, quem vacanti Ecclesiae praeficiet. Ediximus autem non dubitare Nos, quin Episcopi vere dignos et idoneos viros proponere studerent, ne umquam cogeremur Nos vel successores Nostri pro apo-

(1) Ephes. IV. 17. 18.
(2) Proverb. XXIII. 7.

stolici ministerii officio, alium licet non propositum eligere et vacanti Ecclesiae praeficere.

26. Haec vero, si animo a partium studiis alieno expendantur, omnia iuxta canonum fidem catholicam sancita fuisse deprehendentur. Quod pertinet ad exclusionem laicorum ab eligendis sacrorum Antistitibus, accurate distinguendum est, ne quid a catholica fide alienum efferatur, ius eligendi Episcopos, a facultate testimonii ferendi quoad eligendorum vitam et mores. Primum quidem ad falsas opiniones referendum esset Lutheri et Calvini, qui etiam asserebant iuris esse divini, ut Episcopi eligerentur a populo: et falsam huiusmodi doctrinam a catholica Ecclesia improbatam fuisse et improbari omnes noverunt: nulla enim neque divino neque ecclesiastico iure facta umquam fuit populo Episcopos vel alios sacrorum administros eligendi potestas.

27. Ad testimonium plebis quod spectat de vita et moribus eorum qui ad episcopatum provehendi sunt, « postquam (1) per vim Arianorum, quibus Imperator favebat Constantinus, exturbari a suis sedibus caeperunt catholici Praesules in easque sedes immitti illorum asseclae, ut S. Athanasius (*Hist. Arian. ad Monach. n. 4.*) deplorat, ipsa temporum coegit necessitas ut in Episcoporum electionibus populus adesset, unde incenderetur ad tuendum in sua sede Episcopum, quem coram se electum esse novisset. » Et quidem mos iste aliquandiu in Ec-

(1) Pius VI. Apost. litt. contr. civilem cleri constitutionem 10. Mart. 1791.

clesia viguit: verum « cum continuae excitarentur discordiae, tumultus, caeterique abusus, oportuit populum ab electionibus removere, eiusque testimonium et desiderium circa personam eligendam praeterire. Uti enim S. Hieronymus (1) advertit « non-» numquam errat plebis vulgique iudicium, et in » sacerdotibus comprobandis unusquisque suis mo-» ribus favet, ut non tam bonum quam sui simi-» lem quaerat praepositum. »

28. Nihilo tamen minus Nos, in electionis methodo praestituenda, liberam reliquimus ipsi Episcoporum synodo facultatem de dotibus eligendorum ea qua magis vellent ratione exquirendi, provocato etiam si ita luberet plebis testimonio. Et re quidem vera etiam post editam Nostram Constitutionem exquisitum illud fuisse ab Armeniis Praesulibus, cum ageretur de eligendo ante tres annos Episcopo pro regionibus Sebastena et Tokatensi, missa ad hanc S. Sedem acta testantur. Non ita vero statuendum censuimus, neque censemus de Patriarchae electione, tum propter dignitatis eius eminentiam, tum quod universis suae regionis Episcopis praepositus sit, tum demum, quia ex actis ad hanc Apostolicam Sedem allatis, patet Patriarcharum cuiusque Orientalis ritus electiones a solis Episcopis peractas fuisse; nisi forte cum peculiares atque extraordinariae circumstantiae aliud postularunt; scilicet ut catholici se a schismaticorum, queis suberant, potestate et vi tuerentur, et alio sibi Patriarcha quaesito, per hoc ipsum suum ab iisdem schismaticis recessum, veramque et sinceram ad catho-

(1) Lib. 1. advers. Iovinian. n. 34.

licam fidem conversionem veluti confirmarent; quod et in electione Abrahami Petri I factum est.

29. Quod vero Apostolicae huic Sedi asseruerimus ius et potestatem eligendi Episcopum in ternaria propositione vel extra eam; atque electum Patriarcham *inthronizari* vetuerimus nisi antea a Rom. Pontifice confirmatum, illud est quod nonnulli acerbius ferunt, ac lamentantur; et Nobis Ecclesiarum suarum consuetudines et canones oggerunt, quasi a custodia sacrorum canonum recesserimus. Quibus quidem reponi posset illud S. Gelasii praedecessoris Nostri, (1) qui similem calumniam ab Acacianis schismaticis passus « Nobis, aiebat, opponunt » canones, dum nesciunt quid loquantur: contra » quos hoc ipso venire se produnt, quod primae » Sedi sana rectaque suadenti parere refugiunt. » Ipsi enim sunt canones, qui omnimodam B. Petri divinam auctoritatem in universam ecclesiam agnoscunt; eumque, ut in Ephesina Synodo (2) dictum est, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivere et iudicium exercere praedicant. Merito proinde Stephanus Episcopus Larissae his, qui reputabant de privilegiis Ecclesiarum regiae urbis Constantinopolitanae aliquid minui per interventionem Romani Pontificis, confidenter respondere potuit: « Auctoritas Sedis Apostolicae, quae a Deo » et Salvatore nostro summo Apostolorum data est, » omnibus sanctarum ecclesiarum privilegiis ante-

(1) In Commonit. ad Faustum n. 5.
(2) Oecumen. Syn. Ephesin. Act. 3.

» cellit, in cuius confessione omnes mundi requie-
» scunt ecclesiae (1). »

30. Profecto si historiam vestrarum regionum mente repetatis, exempla vobis occurrent Romanorum Pontificum hac utentium potestate, cum eius exercitium necessarium existimarunt ad incolumitatem ecclesiarum Orientalium. Idcirco Agapetus Rom. Pontifex Anthimum auctoritate sua a Constantinopolitana sede deturbavit; eique Mennam absque ulla synodo suffecit. Et Martinus I praedecessor Noster Ioanni Episcopo Philadelphiae vicem suam commisit in Orientis partibus (2), atque *ex apostolica auctoritate*, ipse ait, *quae data est nobis a Domino per Petrum sanctissimum et principem Apostolorum*, praecepit memorato Episcopo, ut constitueret per omnem civitatem earum, quae sedi tum Hierosolymitanae tum Antiochenae subsunt, Episcopos et presbyteros et diaconos. Et si ad recentiora tempora decurrere placeat, Mardensem Armeniorum Episcopum huius Apostolicae Sedis auctoritate electum et consecratum noscetis; quam demum curam Ciliciae Patriarchis praedecessores Nostri concesserunt, Mesopotamiae regionis administratione ad beneplacitum S. Sedis iisdem attributa. Et haec quidem omnia consentanea omnino sunt supremae Romanae Sedis potestati; quam Armeniorum Ecclesia, si luctuosa schismatis tempora excipiantur, agnovit semper, praedicavit, et reverita est. Neque mirum, quandoqui-

(1) Steph. Lariss. Episcopus in Libell. oblat. Bonif. II, et Rom. Syn. an. 531.
(2) Epist. ad Ioan. Philadelph. Labbe Collect. Concil. ed. Venet. Tom. VII. col. 22.

dem etiam apud vestrates a catholica fide adhuc alienos, firma manet et viget antiqua traditio, magnum illum Episcopum et Martyrem, quo gentis vestrae Illuminatore merito gloriamini, quemque Chrysostomus (1) solem appellavit in partibus Orientalibus nascentem, cuius radiorum splendor usque ad Graecorum gentem pertigit, potestatem suam ab Apostolica Sede accepisse; ad quam longo atque difficili itinere minime deterritus, coram accedere non dubitaverit.

31. Causae autem, gravissimae illae quidem, Deus testis est, diuque ante a Nobis et vetera et recentiora recolentibus mature perpensae, Nos impulerunt, ut ad hanc demum dispositionem, non ex alicuius suggestione, sed motu proprio et ex certa scientia deveniremus. Quisque enim facile intelligit, a recta Episcoporum electione pendere aeternam et cum ipsa quandoque temporalem populorum felicitatem; eique, attentis praesertim locorum ac temporum adiunctis, ea ratione consuli debuisse, ut ad Apostolicam Sedem, unde processit, instituendorum sacrorum Antistitum auctoritas omnis revocaretur. Cuius tamen potestatis exercitium ita temperare visum est, ut Episcoporum synodo maneret potestas Patriarcham eligendi; eiusque simul esset tres idoneos viros ad vacantes sedes Nobis proponere, ut in memorata Nostra Constitutione sancitum fuit.

32. Qua etiam in re, ut desides excitarentur, bene currentibus stimulus adderetur, sperare Nos edi-

(1) Encom. S. Greg. Armenior. Illumin. ex homil. Armen. in Oper. S. Io. Chrysost. Parisiis 1864. Tom. 12. col. 943.

ximus vere idoneos viros tantoque dignos munere propositum iri, ne unquam *cogeremur* alium licet non propositum vacanti sedi praeficere; quod etiam in methodo (1) anno 1853 a Nobis constituta eodem prorsus consilio cautum fuerat. Accepimus, et ex his ceteroquin mitissimis verbis aliquos arripuisse occasionem suspicandi, ne illusoria futura sit nulliusque apud Nos momenti synodalis Episcoporum propositio: alios autem ulterius progressos excogitavisse, latere in hisce verbis propositum committendi Armeniorum curam Latinis Episcopis. Equidem nullam ineptae huiusmodi criminationes responsionem mererentur: has enim proferre iis tantum licet, qui evanuerunt in cogitationibus suis, et trepidaverunt timore, ubi non erat timor. De Nostro iure extra ternariam propositionem eligendi, silendum non esse duximus, ne quis umquam futuris quibusque temporibus Apostolicam Sedem adigeret ad eius usum exercendum. Hoc vero ius ac debitum, etiam tacentibus Nobis, Bmi Petri cathedrae integrum mansisset; quae enim ab ipso Christo Deo ei data sunt iura et privilegia, impeti quidem possunt, convelli non possunt; neque in hominis potestate est divino iuri renunciare, quod aliquando ex ipsius Dei voluntate exercere adigeretur.

33. Certum etsi undeviginti iam abhinc annis haec Armeniis edicta fuerint et pluries de eligendis Episcopis actum sit, numquam hactenus contigit, ut Nos ea potestate usi fuerimus, ne tum quidem, cum recentiori tempore, post editam Constitutio-

(1) Instruct. *Licet.* 20. August. 1853.

nem *Reversurus*, ternariam quamdam propositionem acciperemus, e qua Episcopum eligere non potuimus. Quam proinde a synodo Episcoporum iuxta praescriptas a Nobis leges innovandam edileximus, quin alium non propositum eligeremus: quominus vero id fieret, novum schisma quo Armeniorum ecclesia dilacerari coepit, hactenus impedimento fuit. Porro futurum confidimus, numquam calamitosa adeo tempora Armeniis catholicis ecclesiis fore ventura, ut Romani Pontifices compellantur viros iisdem praeficere ab Episcoporum synodo non propositos.

34. Pauca addere iuvat de vetita Patriarcharum *inthronizatione* ante apostolicam huius S. Sedis confirmationem. Patriarcharum electionem numquam firmam ratamque habitam fuisse absque Romani Pontificis assensu et confirmatione, veterum monumenta testantur; quam proinde confirmationem ab electis ad patriarchales sedes expetitam fuisse, ipsis etiam imperatoribus deprecantibus, compertum est. Ita, ut in re notissima alios omittamus, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, vir certe de Apostolica Sede non optime meritus; quin et ipse Photius primus Graeci schismatis auctor, ut electiones suae Romani Pontificis firmarentur assensu, flagitarunt, interventione quoque usi imperatorum Theodosii, Michaelis, et Basilii. Maximum vero Antiochenum Episcopum idcirco Patres Chalcedonenses (1) in sua sede consistere voluerunt, etsi latrocinalis Ephesinae synodi in qua Domno suffectus fuerat,

(1) Concil. Chalcedon. Act. X.

acta omnia irrita declarassent, eo quod « sanctus » et beatissimus Papa qui episcopatum sancti ac » venerabilis Maximi Episcopi Antiochenae Eccle- » siae confirmavit, iusto satis iudicio eius meritum » approbasse visus esset. »

35. Quod si de illarum ecclesiarum Patriarchis agatur, quae recentiori aevo ad catholicam unitatem eiurato schismate reversae sunt, neminem eorum invenietis, qui Rom. Pontificis confirmationem non expetierit; quos omnes iidem Romani Pontifices datis litteris ita confirmarunt, ut eos simul Ecclesiis suis instituentes praeficerent. Factum quidem est, ut Apostolica Sede tolerante propter regionum longinquitatem, itinerum pericula, et impendentia saepe saepius damna ab schismaticorum eiusdem ritus praepotentia, electi Patriarchae ante Summi Pontificis confirmationem potestate uterentur, quod etiam in Occidente propter necessitates Ecclesiarum et utilitates dispensative iis concessum est (1), qui essent valde remoti. At par est animadvertere, cessasse huiusmodi causas, sublatis itinerum difficultatibus, et ereptis catholicis beneficio summi Othomanici Imperatoris a civili schismaticorum potestate. Nemo autem non videt, ita tutius provideri catholicae fidei conservationi, quam perturbari pro lubitu posse ante receptam Apostolicam confimationem qui tanto indignus officio in patriarchalem sedem insiliret; vel certe perturbationum occasiones praepediri, quae oriri possent, si quando electus Patriarcha a S. Sede Apostolica reiectus e suo loco cedere deberet.

(1) Concil. Later. IV. can. 26.

36. Profecto, si res attente introspiciantur, apparebit, quaecumque in Nostra Constitutione sancita sunt, omnia ad catholicae fidei conservationem et incrementum, nec non ad veram Ecclesiae libertatem, auctoritatemque Episcoporum vindicandam conspirare; quorum iura et privilegia, quae in Apostolicae Sedis firmitate solidantur, roborantur, conquiescunt, Romani Pontifices, supplicantibus Episcopis cuiusque dignitatis, gentis vel ritus, contra haereticos vel ambitiosos, strenue semper defenderunt.

37. De nationalibus vero, uti aiunt, iuribus opus non est ut pluribus respondeamus. Si enim de civilibus tantum agatur, ea in potestate sunt supremi Principis; cuius est de illis rite diiudicare ac decernere, prout ad subditorum utilitatem expedire censuerit. Si forte autem de ecclesiasticis res intelligenda sit, nemo unus ignorare potest, nulla nationalia seu populorum iura in Ecclesiam eiusque hierarchiam et ordinationes, catholicos umquam novisse. Et si enim undique gentes ac nationes in Ecclesiam confluxerint, omnes tamen in unitate sui nominis ita Deus adunavit sub eo, quem universis praefecit, supremo Pastore B. Petro Apostolorum Principe, ut iam non sit, uti monebat Apostolus, Gentilis et Iudaeus, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus (1): ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmen-

(1) Coloss. III. 11.

tum corporis facit in aedificationem sui in charitate (1). Dominus enim non modo nullam gentibus aut nationibus dedit potestatem in Ecclesiam, sed eas iniuncto debito credendi (2) docendas commisit Apostolis; unde et Beatissimus Petrus (3), convenientibus Apostolis et senioribus palam edixit, elegisse Deum, per os suum audire gentes verbum Evangelii et credere.

38. At etiam summi Imperantis iura a Nobis violata fuisse dicuntur. Vulgaris haec est longoque haereticorum usu detrita calumnia; quam primitus contra Christum Deum a Iudaeis excogitatam, ethnici apud romanos imperatores, mox haeretici apud principes etiam catholicos saepissime adhibuerunt, atque utinam et in praesentia non adhiberent. Quare S. Hieronymus (4) scripsit « adulari haereticos regali fastigio, et hanc habere consuetudinem, ut superbiam suam regibus imputent, et quod ipsi faciunt rex fecisse videatur: sanctos viros ac praecones fidei accusare apud eum, et iubere doctoribus ne praedicent in Israel, ne contra regis faciant voluntatem, quia Bethel, hoc est *domus Dei* et falsa ecclesia sanctificatio regis sit et domus regni. » Has quidem impudentissimas calumnias contemptu ac silentio obterere satius esset, adeo a catholicae fidei doctrinis, Nostrisque moribus et institutis alienae sunt. Verum simplicibus et imperitis utilissimum est providere, ne damno afficiantur male et sinistre de No-

(1) Ephes. IV. 16.
(2) Matth. XXVIII. 19.
(3) Act. XV. 7.
(4) Comment. in Amos cap. VII. vv. 10. 11.

bis et Apostolica Sede existimantes; ob malignorum dicteria, « qui ex eo quod alios incessunt, vitiis suis opem ferre moliuntur (1), »

39. Ecclesiae igitur catholicae doctrina est ab ipso Christo Deo accepta, et a sanctis Apostolis tradita, reddenda esse Caesari quae sunt Caesaris, Deo autem quae Dei sunt; quapropter et praedecessores Nostri numquam omiserunt, cum opus fuit, debitam principibus fidem et obedientiam inculcare. Quo fit, ut imperatoris propria sit civilium rerum administratio, res autem ecclesiasticae ad sacerdotes omnino pertineant. His autem rebus ea omnia sunt accensenda quae ad exteriorem, uti aiunt, Ecclesiae disciplinam constituendam et sanciendam necessaria sunt: haereticum enim esset asserere, uti iam definitum fuit a recol. mem. Pio VI praedecessore Nostro (2) usum huius potestatis a Deo acceptae, abusum esse auctoritatis Ecclesiae. Haec autem distinctio potestatum ut plane integra servaretur, Apostolica Sedes plurimum semper adlaboravit; et saecularium principum in rebus ecclesiasticis immixtionem, quae *spectaculum novum* et *Arianae haeresis inventum* a S. Athanasio (3) dicta fuit, sanctissimi quique Praesules aperte improbarunt; quos inter meminisse sufficiat Basilium Caesariensem, Gregorium Theologum, Ioannem Chrysostomum et Ioannem Damascenum. Qui postremus aperte affirmabat (4) « neminem sibi persuasurum Imperatoris

(1) Greg. Naziaz. orat. 43. in laud. S. Basil. n. 68.
(2) Const. *Auctorem fidei* propos. 4.
(3) Hist. Arianor. ad Monach. n. 52.
(4) Orat. 2. de sacr. imaginib. n. 16.

edictis Ecclesiam administrari; sed Patrum institu-
» tis regitur, sive ea scripta sint, sive non scri-
» pta. » Quapropter et oecumenici Concilii Chalcedonensis Patres (1) in causa Photii Episcopi Tyri aperte proclamarunt, ipsis assentientibus Imperatoris administris « contra regulas nihil pragmaticum (hoc est imperiale decretum) valebit; canones Patrum teneant » Et sciscitantibus iisdem administris « num haec de universis pragmaticis decerni sancta Synodus vellet, quae in detrimentum canonum facta sunt, Episcopi omnes responderunt: Universa pragmatica cessabunt: canones teneant, et hoc a vobis fiat. »

40. Duo autem sunt in quibus laesa a Nobis imperialia iura dicuntur, videlicet quod modum in sacrorum Antistitum electione et institutione servandum definiverimus, atque ecclesiastica bona, inconsulta Apostolica Sede, a Patriarcha alienari vetuerimus.

41. Iamvero quid magis ad ecclesiasticarum rerum ordinem pertinere dicendum est, quam Episcoporum electiones? Quas nullibi legimus in sacris litteris, principum aut populi arbitrio permissas, quas Ecclesiae Patres, oecumenica Concilia, apostolicae constitutiones ad potestatem ecclesiasticam pertinere semper et agnoverunt et sanxerunt? Si itaque cum agitur de Pastore ecclesiastico constituendo Apostolica Sedes modum definiat in iisdem electionibus peragendis servandum, qua ratione dici poterit summi Imperantis iura violasse, cum non

(1) Concil. Chalced. Action. IV.

alienae, sed sibi propriae potestatis iura exerceat? Est quidem eximia et venerabilis in populum sibi commissum Episcopi auctoritas; nil tamen est quod inde timeat civilis potestas, quoniam in Episcopo non inimicum sed assertorem habebit legitimorum iurium eiusdem Principis. Quod si propter humanam infirmitatem secus fieret, ipsa Apostolica Sedes in talem Episcopum a debita legitimo Principi fide et subiectione vere desciscentem animadvertere minime negligeret. Neque verendum, ne quis inimicum erga legitimum Principem gerens animum ad episcopalem dignitatem subrepat: multa enim iuxta Ecclesiae leges in iis, de quorum promotione agitur, antea inquiri solent, ut virtutibus praediti dignoscantur, quas in eis Apostolus requirit. His vero certe non polleret, qui deprehenderetur non servare praeceptum B. Petri Principis Apostolorum (1) « Subiecti estote omni humanae creaturae propter » Deum: sive regi quasi praecellenti, sive ducibus » tamquam ab eo missis ad vindictam malefacto- » rum, laudem vero bonorum; quia sic est volun- » tas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis im- » prudentium hominum ignorantiam; quasi liberi » et non quasi velamen habentes malitiae liberta- » tem, sed sicut servi Dei. »

42. Si autem, quod utile visum est primo Othomanorum in Constantinopolitana urbe dominatori eiusque successoribus, placet civile quoque officium atque administrationem Episcopis aliisque e clero tribuere, non idcirco plena atque integra Ecclesiae

(1) 1. Petr. II. 13.

potestas in eorumdem electione potest imminui. Absonum enim foret, ut caelestia terrenis, spiritualia civilibus posthaberentur et inservirent. Ceterum integrum semper esset summo Imperanti civilem personam et potestatem alteri tribuere, si quandoque ita expedire iudicaret, pleno tamen et libero manente catholicis Episcopis ecclesiasticae potestatis exercitio. Id autem alias evenisse quin etiam speciali diplomate celsissimi Imperatoris Othomanici anno 1857 factum fuisse, satis compertum est.

43. Quae quidem omnia cum iam Nostro nomine et mandato significata aperte fuerint Othomanicae Aulae a Ven. Fr. Archiepiscopo Thessalonicensi, cum legatione Nostra extraordinaria Constantinopoli fungeretur; a calumniosis hisce et obsoletis dicteriis refricandis cessandum omnino esse liquet, nisi qui ex adverso sunt invidiosi, et magis studiosi partium quam veritatis velint reputari.

44. Vehementissime autem admirati sumus, cum Nos impeti audivimus ob innovatam et confirmatam a Nobis legem circa bonorum ecclesiasticorum alienationem, quasi nedum imperialia iura invadere, verum et ipsa Ecclesiarum Armeniarum bona Nobis vindicare vellemus. Ecclesiastica bona ad ecclesias pertinere non minus certe quam civium bona ad cives, earumque sub potestate esse, non tam canones sanxerunt, quam ipsa naturalis ratio cuique suasit. Eorundem vero bonorum administrationem primis Ecclesiae saeculis Episcoporum arbitrio et conscientiae commissam, subsequentium Conciliorum decreta moderari non praetermiserunt, editis legibus, quibus definiretur, qua ratione et quas ob

causas administratio gerenda foret, alienatio permittenda: qua in re circumscripta est vetus illa Episcoporum potestas; et synodorum vel quandoque maiorum Praesulum prudenti arbitrio permissa. Cum vero satis adhuc consultum non videretur ecclesiasticorum bonorum indemnitati sive ob synodorum infrequentem celebrationem, sive alias ob causas, Apostolicae Sedis intercedere auctoritas debuit; qua cautum est ne ecclesiarum bona, inconsulto Romano Pontifice, alienarentur.

45. Quod quidem ad earumdem utilitatem tam grave et necessarium visum est, ut ad eius legis observantiam, interposita iurisiurandi religione, electos ad cathedrales, metropoliticas, vel etiam patriarchales Ecclesias obstringere sese debere multo ab hinc tempore statutum sit. Et hoc quidem iuramentum ab Orientalis etiam ritus Patriarchis quoad bona mensae suae praestitum fuisse, ex quo primum ad catholicam veritatem et unitatem eorumdem Ecclesiae reversae sunt, acta testantur quae sunt in apostolicis Nostris archivis; et nemo unus ex eis est, qui legis praedictae observantiam iuramento non promiserit. Idipsum factum est et fit quotidie ab Episcopis latini ritus cuiuslibet gentis, regni vel reipublicae, quin umquam civiles potestates conquestae fuerint sua idcirco iura violari. Et merito: his enim legibus Romanus Pontifex nihil praesumit, nihil sibi arrogat; sed totus in eo est, ut spectata ecclesiarum utilitate vel in singulis casibus quid ab Episcopo fieri expediat, collatis consiliis definiat, vel ipsi Episcopo definiendi faciat potestatem; non dissimili ratione ac pater familias

cum filiis suis agendum putaret. Quod autem, subiectis iam Patriarchis ea lege qua inconsulta Apostolica Sede, bona mensae suae alienare vetantur, hoc ipsum in Nostra Constitutione decernendum duxerimus de aliis ecclesiasticis bonis, id non sine gravissimis causis, de quibus optime novimus Deo a Nobis reddendam rationem, factum fuisse, nemo unus qui recte iudicare velit poterit suspicari. Novisse sufficiat, quod profecto quisque sapiens intelliget, Ecclesiarum indemnitati, et bonorum ecclesiasticorum conservationi eo pacto tutius et efficacius consultum esse, quin legitimis cuiusque iuribus praeiudicium fuerit illatum per memoratam Nostram Constitutionem.

46. Quomodo vero hisce Nostris decretis summi Imperantis iura uti aiunt laesa fuerint, ingenue fatemur Nos nullo pacto intelligere; tantum abest ut hoc vel voluerimus, aut fieri posse existimaverimus. Nam si dici non potest, iisdem iuribus repugnare eam potestatem, qua pollent in ipso Othomanico imperio Patriarchae et Episcopi circa bonorum ecclesiasticorum procurationem, neque iisdem repugnare dicenda illa est, quam Apostolica Sedes pro suo debito et iure exerit, cum modum praefinit, sua etiam auctoritate interveniente, quo sacrorum Antistites ea uti debeant, ut sit in aedificationem non in destructionem. Quo pacto provisum a Nobis fuisse patet bonorum ipsorum incolumitati, remque utilem quam maxime futuram ecclesiis catholicis quae per Orientem constitutae sunt: quod ubi contentiones deferbuerint, omnes agnoscent; posteri autem, si tamen hae leges religiose custodiantur, procul

dubio experientur. Cum vero libertatem illarum summus Imperans Othomanicus decretis suis asseruerit, earumque patrocinium se gerere humanissime Nobis significaverit, non dubitamus, quin re inspecta qualis revera est, et disiectis superstructis adversantium calumniis, laetari potius debeat quam dolere de his, quae in evidentem illarum utilitatem cessura sunt.

47. Neque minus calumniosum est commentum illud a recentioribus quibusdam excogitatum, et ab Orientalibus dissidentibus percupide exceptum, qui Romanum Pontificem, qua Christi Vicarius est, traducere non erubuerunt uti *externam* quamdam auctoritatem, quae interiori regnorum et nationum regimini sese inserat: quod omnino prohibendum aiunt ut sarta tecta summo Imperanti sua iura maneant, et omnis occludatur via, ne alii principes ad similia audenda incitentur.

48. Iamvero quantum haec falsa sint, quantum a recta ratione aberrent, et a catholicae Ecclesiae divina ordinatione facile est intelligere. Falsum enim imprimis est Romanos Pontifices a limitibus suae potestatis recessisse, vel in regnorum civilem administrationem sese inseruisse, et iura Principum usurpasse. Quod si idcirco ea calumnia Romani Pontifices notantur, quod de Episcoporum et sacrorum Ecclesiae ministrorum electionibus, vel causis, aut de aliis quibuslibet ad ecclesiasticam disciplinam, etiam quam exteriorem vocant, pertinentibus aliquid decernant, alterutrum est admittendum vel ignorari scilicet vel reiici divinam ideoque immutabilem catholicae Ecclesiae ordinationem. Haec quidem sta-

bilis semper mansit et manebit: neque ullo pacto exigi potest, ut mutationibus sit obnoxia, iis praesertim in locis, in quibus propria catholicae religioni libertas atque securitas imperialibus etiam summi Principis decretis asserta fuit. Cum enim catholicae fidei dogma sit, unam esse Ecclesiam, et Romanum Pontificem esse eiusdem caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, is certe nulli ex Christianis, nulli ex peculiaribus Christianorum Ecclesiis extraneus dici poterit, nisi forte quis contendere vellet, membris extraneum esse caput, filiis patrem, discipulis magistrum, gregi pastorem.

49. Caeterum qui *extraneam auctoritatem* appellare non dubitant Apostolicam Sedem, Ecclesiae unitatem ea loquendi ratione discindunt, vel eius discindendae occasionem praebent, quoniam B. Petri successori et titulum et iura universalis Pastoris eo ipso denegant; deficientes idcirco vel a debita catholicae Ecclesiae fide, si eiusdem filiis ipsi accenseantur, vel debitam eidem libertatem impetentes, si foris sint. Christus enim Dominus aperte tradidit (1), et scire et audire oves vocem pastoris, eumque sequi; ab *alieno* autem fugere, *quia non noverunt vocem alienorum*. Si itaque extraneus, hoc est alienus alicui peculiari Ecclesiae dicatur Summus Pontifex, aliena proinde et ipsa erit ab Apostolica Sede, hoc est ab Ecclesia catholica; quae una et sola est super Petrum voce Domini fundata. A quo fundamento qui eam seiungunt, non iam

(1) Ioan. X. 5.

divinam et catholicam servant, sed *humanam conantur ecclesiam facere* (1); quae utpote humanis tantum nationalitatis uti aiunt vinculis colligata, neque sacerdotum cathedrae B. Petri firmiter adhaerentium glutino copularetur, neque in eiusdem solidaretur firmitate, neque esset iuxta connexam et ubique coniunctam Ecclesiae catholicae unitatem.

50. Haec omnia Ven. Fratres ac dilecti Filii, in praesenti rerum discrimine vobis scribenda duximus, qui coaequalem sortiti estis Nobiscum fidem in iustitia Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, ut vestram excitaremus in commissione sinceram mentem. Videtis enim apud vos etiam impleri quod sancti Dei Apostoli dudum praedixerant, venturos scilicet in novissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Studete igitur, ne transferamini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud evangelium; quod non est aliud nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi. Vere enim evangelium Christi convertere volunt, qui positum ab eodem Christo Deo Ecclesiae suae fundamentum submovere conantur; et universalem curam pascendi oves et agnos B. Petro in evangelio commissam vel negant vel evacuant. Equidem « fieri haec Do» minus permittit et patitur (2), manente propriae » libertatis arbitrio, ut dum corda vestra et men» tes vestras veritatis discrimen examinat, proba» torum fides integra manifesta luce clarescat. » Eos tamen in peius quotidie proficientes vos devi-

(1) S. Cyprian. epist. ad Antonian. n. 24.
(2) S. Cyprian. Lib. de Unit. Eccles. n. 10.

tare opus est iuxta praeceptum Apostoli; et neminem talibus communicantem ad vestrum recipere qualibet subreptione consortium, uti hactenus praeclare constanterque fecistis, ut catholicam fidem in cordibus vestris intemeratam servetis.

51. « Sed neque vos quisquam circumvenire pertentet, uti a veteribus schismaticis factum est (1), » quod dicant *non de religione sed de moribus esse* » *certamen*, vel Apostolicam Sedem non causam » communionis catholicae fideique tractare, sed in» iuriam dolere, cur videatur ab (eis) fuisse con» tempta; quoniam haec et huiusmodi, quatenus » simplices quosque decipiant, hi qui in errore sunt » positi spargere non quiescunt. » Manifestum enim iam est ex eorum declarationibus, et scriptis quoque in vulgus editis, aperte impugnari primatum iurisdictionis a Christo Domino in persona B. Petri Apostolicae huic Sedi tributum, dum illius exercendi in Ecclesias ritus Orientalis ius impetitur: cuius proferendi erroris turbulentis aut imperitis mentibus occasio seu praetextus, non autem causa esse potuit aut potest memorata Constitutio Nostra. « Sedes autem Apostolica (2) in tantum non contume» liam dolet, sed fidem defendit, communionem sin» ceram, ut hodie cuncti qui in eius visi sunt pro» rupisse despectum, si ad integritatem fidei com» munionisque catholicae - vere et ex animo poe» nitentes - revertantur, secundum regularum tra» mitem paternarum toto cordis affectu venientes

(1) S. Gelasius epist. 18 ad Episc. Dardan. n. 6.
(2) S. Gelasius loc. cit.

» et plena charitate suscipiet. » Quod ut piissimus Deus indulgere dignetur et Nos in humilitate cordis Nostri iamdiu enixe flagitamus, atque ut vos etiam idem faciatis, et desideramus et volumus.

52. De cetero, Ven. Fratres et dilecti Filii, confortamini in Domino et in potentia virtutis eius: accipite armaturam Dei ut possitis stare in die malo, sumentes in omnibus scutum fidei; neque animam vestram faciatis pretiosiorem quam vos. Mementote Maiorum vestrorum, qui exilia et carceres et ipsam mortem perpeti non timuerunt, ut praeclarissimum verae et catholicae fidei donum et sibi et vobis conservarent: probe enim sciebant, non illos timendos esse qui occidunt corpus, sed eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Omnem proinde sollicitudinem vestram proiicite in Deum; ipsi enim cura est de vobis, et non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. In quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur ad laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi. Obsecramus denique vos per nomen eiusdem Dei et Salvatoris nostri, ut idipsum et dicatis et faciatis omnes, et sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sententia, solliciti servare unitatem fidei in vinculo pacis. Et pax Dei quae exuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu Domino nostro: cuius nomine et auctoritate Apostolicam Benedictionem Vobis, Ven. Fratres ac di-

lecti filii, in communione et obedientia Apostolicae Sedis perseverantibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die sexta Ianuarii anno MDCCCLXXIII Pontificatus Nostri anno vigesimoseptimo.

PIUS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DIOECESIS ANTIOQVIENSIS, QVAE PER DECRETVM CONSISTORIALE DIEI 4 FEBRVARII 1868 CVM DIOECESI MEDELLENSI CONIVNCTA FVERAT, AB ISTA SEIVNGITVR, ET IN NOVVM EPISCOPATVM ERIGITVR.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Super oecumenica Agri Dominici procuratione a Domino et Redemptore Nostro Iesu Christo Nobis tanto honori imparibus commissa vigilantes, sacratissimoque mandato huiusmodi fideliter respondere satagentes, ea interdum, quae alias a Nobis peculiari quidem consilio fuerunt constituta, ob supervenientes circumstantias moderari, vel etiam plane immutare tenemur, prout, singulis rerum adiunctis quam diligentissime perpensis, ad animarum Christifidelium salutem utilitatemque aptius comparandam magis magisque in Domino conspicimus profutura. Nos siquidem Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Rebus Consistorialibus praepositae Decreto diei quartae Februarii Anni Domini millesimi octingentesimi sexagesimi octavi Cathedram dignitatem nec non Cathe-

dralem Episcopatus Antioquiensis in Ditione Reipublicae Neogranaten. quae in Civitate Antioquiae a fel. record. Pio Papa Septimo Praedecessore Nostro erectae fuerunt, ob illorum temporum circumstantias in eadem Civitate Antioquien. penitus supprimi, illasque in alteram eiusdem Episcopatus Dioecesis interius consisitam Civitatem Medellen. nuncupatam una cum suis Capitulo et Canonicis, nec non Episcopali Cancellaria, quemadmodum tunc expedire dignoscebatur, transferri, ibique erigi et institui Apostolica Nostra Auctoritate concessimus, novae huic Ecclesiae eiusque in tempore Antistiti titulum ac denominationem Episcopatus et Episcopi Medellen. et Antioquien. tribuendo. Et quoniam iam Nobis innotescebat ipsius Dioecesis territorium tam late protentum esse, adeoque magno iugiter increbescentium incolarum numero esse confertum, ut unus Episcopus ad occurrendum spiritualibus eorum necessitatibus sufficere minime valeret, eodem Decreto Nobis Sanctaeque huic Sedi Apostolicae liberam facultatem ineundi aptiorem super ea Dioecesi circumscriptionem reservavimus, prout praemissa omnia effato Decreto debitae exequutioni demandato plenius continentur (1). Cum itaque regionum seu locorum a praefata Episcopali Ecclesia longe distantium Incolae et praecipue Dilecti Filii Clerus et Populus dictae Civitatis Antioquien. Sedem et Ecclesiam Episcopales cum propria particulari et separata Dioecesi inibi per Nos eamdemque Sedem instaurari vehementius in votis habeant, idque a Nobis et Sede praefata enixis precibus impetrare studuerint,

(1) Vid. Acta vol. v. pag. 359.

eumque pro illorum Christifidelium bono et commodo etiam spirituali ex requisita Venerabilis Fratris Nostri Valerii Antonii Ximenes Medellen. et Antioquien. Episcopi relatione apprime perspecta fuerit huiusmodi rei efficiendae opportunitas atque utilitas; Nos qui, nullis suffragantibus meritis, sed summa Divina bonitate universali Ecclesiae praesidentes quae juxta occurrentes circumstantias felici et expeditiori populorum regimini magis apta comperiuntur, libenter concedimus, quique facultatis ineundi novam huiusce Dioecesis Medellen. et Antioquien. memorato Decreto Nobis dictaeque Sedi consulto factam reservationem in Apostolicis Litteris provisionum Ecclesiae praedictae Medellen. et Antioquien. renovavimus; supplicationes et vota praemissa obsecundare, benignoque favore prosequi volentes, omnesque et singulos, quibus hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes, nec non praedicti Valerii Antonii Episcopi assensum quoad propositam eius Dioecesis circumscriptionem ultro libentiusque praestitum ratum acceptatumque habentes, et aliorum omnium in huiusmodi negocio interesse habentium, sive quomodolibet habere putantium seu praesumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum serie supplentes, cunctisque, quae animadvertenda erant, matura deliberatione perpensis, Motu proprio, et ex

certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine ipsi Ecclesiae Medellensi, eiusque pro tempore Antistiti adnexam denominationem seu titulum Antioquien. perpetuo auferimus atque abrogamus, et a moderna eius quam late protenta Dioecesi binas illas provincias, quae sitae ad Orientem Reipublicae Neogranatensis Antioquiae et ad Sopetran appellantur, una cum singulis earum locis, incolis, rebus, iuribus et quibuscumque adnexis, connexis et de necessitate concomitantibus accessoriis Apostolica auctoritate etiam perpetuo disiungimus et dismembramus, ac ab ordinaria iurisdictione ac spirituali dominatione atque administratione pro tempore existentis Medellen. Antistitis perpetuo quoque eximimus et dissolvimus. Et quia ratio postulat, ut desuper memorata Antioquiae Civitas titulum et gradum sibi rursus vindicet episcopales, illam ad Civitatis etiam Episcopalis fastigium fruiturae posthac omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis, praerogativis, gratiis et favoribus, quibus iam antea potiebatur, ac modo caeterae Episcopales in Ditione Neogranatensi Civitates de communi iure legitimoque usu insigniri et frui solent, Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo attollimus, seu de novo evehimus, atque adeo in Episcopatus noviter constituendi Antioquien. eiusque in tempore Antistitis residentiam statuimus atque decernimus. Praeterea eam ipsam Ecclesiam, quae antea in dicta Antioquien. Civitate Cathedralitatis gradu gavisa fuit, in Cathedralem Ecclesiam sub eadem utique pristina invocatione, camdemque servaturam Parochialitatem cum cura animarum ut antea exercenda dicta Apostolica auctoritate perpetuo pariter denuo

erigimus atque restituimus, pracipiendo ut in Cathedrali sic erecta, seu denuo instituta Sede, Cathedra et Dignitas Episcopales reintegrentur pro uno in posterum Antioquiense nuncupando Antistite, qui ipsi Cathedrali Civitati universaeque Dioecesi, uti inferius, adiudicandae praesit, ut par est, iuxta Sacrorum Canonum praescripta pro spirituali regimine atque libera Ecclesiarum administratione. Porro Episcopali huic Ecclesiae Antioquiensi sic erectae seu restitutae praefatas binas Provincias Antioquien. videlicet, et Sopetran. a Dioecesi Medellen. ut supra disiunctas et dismembratas in propriam Dioecesim pari Apostolica auctoritate perpetuo quoque adiudicamus, atque adeo illas una cum omnibus et singulis inibi sitis Civitatibus, Oppidis, Pagis, Paroeciis, Collegiatis, si quae sint, aliisque Ecclesiis, Oratoriis, et si quae sint Monasteriis, Coenobiis, aliisque piis Locis, nec non Incolis cuiuscumque generis et conditionis, terris, rebus ecclesiasticis, caeterisque demum consuetis accessoriis ordinariae pro tempore existentis Antioquien. iurisdictioni, administrationi, ac regimini eadem auctoritate perpetuo item subiicimus, iubentes propterea ut omnia Instrumenta et quaevis scripta, quae huius noviter institutae Antioquien. Doecesis incolas, Ecclesiastica bona, loca, res, iura, causas, privilegia, gratias et favores respiciunt, ab Episcopali Cancellaria Medellen. secernantur ac restituantur, ut deinde in pristina Antioquien. Episcopali Cancellaria possint ad posteram quamcumque opportunitatem fideliter adservari. Iam vero ad hunc reficiendum Episcopatum, sicuti ius et opportunitatis ratio requirit, maximopere curandum est, ut efficaci ex cure

Apostolici exequutoris ut infra deputandi, vel etiam cuiusque Antistitis Antioquien. plane recuperentur ea omnia et singula, quae ad hoc opus tunc per sponsionem solemniter irrogatam fuerunt prorsus reservata, quum evenit ut Sedes Episcopalis ab Antioquia in Medellen. Civitatem translata fuerit. Hinc volumus atque mandamus ut pro residentiali Episcopi praefati habitatione eiusque Curia et Cancellaria ipsaemet aedes, quae perhibentur fuisse antea in hosce usus attributae, satisque convenienter adhibitae restituantur, illiusque mensae adiudicentur. Praeterea ad Capitulum Cathedrale quod attinet, Nos habita ratione peculiarium circumstantiarum interim eadem Apostolica auctoritate iniungimus atque mandamus, ut quamprimum in dicta Cathedrali Ecclesia Antioquien. iuxta Sacrorum Canonum praescripta erigatur Capitulum, quod Dioecesano Praesuli operam debitam et reverentiam praestare debeat, ac usque dum maiores decimarum reditus numerum Canonicorum et Beneficiariorum seu Capellanorum pro necessitate adaugere non sinant, pro nunc quatuor constabit Canonicis, quorum primus Thesaurarii dignitate polleat, nec non binis Capellanis de Choro nuncupandis, ac altero secundi Cantoris gerat munia et vices, qui omnes divino cultui ex more institutoque inservire, et ecclesiastica officia sedulo absolvere, cunctisque honoribus, iuribus, facultatibus praerogativis, gratiis, favoribus et privilegiis, quibus de iure communi caetera in Neogranatensi Ditione Cathedralium Capitula fruuntur, potiri debeant et valeant. Cum autem Dilecti etiam Filii Valerius Martinez, et Linus Giano Presbyteri a primaevo Antio-

quiensi Capitulo ad Cathedralis Medellen. Capitulum translati fuerint, eisdem facultatem facimus ad noviter erigendum Capitulum Antioquien. redeundi, ut Ipsi ibi absque ulla Bullarum expeditione huic Capitulo rursus addicantur. Opportunum insuper et necessarium duximus annuere, ut propter hunc novum rerum ordinem et subsequentem decimalium redituum *restrictionem* aliquantulum *restringatur* interea Capitulum ipsius Ecclesiae Medellen. Hinc Antistiti Medellen. veniam et potestatem tribuimus ita reformandi suae Cathedralis Capitulum, ut ea interea praesto habeat saltem binos Canonicos Dignitarios, Decanum videlicet et Thesaurarium, binosque alios Canonicos non Dignitarios, et duos Capellanos de Choro nuncupatos, superaddito altero, qui secundi Cantoris vices et munia sustineat. Caeterum mandamus et summopere commendamus, ut quamprimum id fieri potuerit, tam exiguum utrumque Capitulum (etiamsi paulatim) augeatur ad magis congruum usque Canonicorum numerum, comprehensis utique Canonicis Theologali, atque Poenitentiario. Cui quidem mox reficiendo Antioquiensi Capitulo, ut omnes et singuli eius Dignitarius, Canonici, et Capellani in Choralibus et Capitularibus functionibus indumenta et insignia, quae Dignitariis, Canonicis, et Capellanis finitimae Medellen. Cathedralis concessa et praescripta comperiuntur, licite libereque deferre, adhibere, et induere valeant ac debeant, simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus atque mandamus. Ipsique Capitulo, ubi fuerit constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur reficiendi aut funditus condendi Capitularia Statuta, Ordinationes, et Decreta

sacris porro Canonibus et Constitutionibus et Oecumenicae praesertim Synodo Tridentinae minime adversantia, sed penitus consentanea, quae ab Episcopo eius Antistite perpendenda et approbanda sint, priusquam robur et efficacem legis vim obtinere valeant. Quod autem ad singularum Praebendarum Ecclesiasticarum in Dioecesi universa collationes pertinet, quisque pro tempore Antioquiensis Antistes observanter satagat adhibere methodum a Sacris Canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptam, expressius ipsius Antistitem monemus et hortamur, ut nedum Parochiales Ecclesiae aliaque Beneficia curam animarum adnexam habentia, verum etiam Canonicatus Theologalis ac Poenitentiarius, statim ac erecti fuerint, nonnisi per concursum, et praestantiorum requisitorum a praedictis Constitutionibus statutorum uniuscuiusque competitoris experimentum probe diligenterque exploratum conferantur. Verumtamen ut frequentior succrescat bonorum Presbyterorum copia, nedum ad augendum, ut praefertur, Capitularium numerum, verum etiam ad eam satis latam Christi Domini vineam fructuosius excolendam, eadem Apostolica auctoritate statuimus, ut Clericorum Seminarium restitui debeat ad praefati Concilii Tridentini normam, sive magnificum illud aedificium, in quo iam constitutum erat, quodque, ut accepimus, in civicum Collegium nuper conversum fuit, recuperando, sive aliud satis idoneum, rebusque necessariis instructum comparando, eique una cum omnibus et singulis pristinis illius bonis, rebus, et quibuscumque reditibus adnexis congruam dotem efformando. Sartum insuper tectumque sit, ut illud ab Ordinario loci iuxta

sacrorum Canonum et memoratae Tridentinae Synodi praescripta dependeat. Porro usque dum tot bona stabilia (uti praestat, enixeque successu temporis satagendum est) fuerint comparata, quot congrue valeant satisfacere singulis huiusce Episcopatus Antioquien. fundandis dotationibus, necesse est, ut ipsae interim decimarum Ecclesiasticarum proventibus nitantur. Quapropter statuimus, ut ex omnibus decimis per diligentem probumque mandatarium ab Episcopo deputandum colligendis fideliterque cumulandis fieri debeat massa communis, quae tribus aut quatuor aut sex quibusque anni mensibus in decem dividatur aequales partes, quarum tres pro Episcopali mensa, quinque pro Capitulo universo, reliquae demum duae pro fabrica et Sacrario Ecclesiae Cathedralis libere tradantur. Prudenti vero iudicio Apostolici exequutoris infra deputandi designetur et statuatur, quota dein per subdivisionem pars videlicet Canonico dignitario, quota unicuique Canonico non dignitario, quota demum unicuique Capellano seu Mansionario attribuenda sit. Toto autem tempore, quo Sedes Episcopalis vacare contingat, praecipimus, quod ipsius mensae reditus fideliter partiantur, et alterum dimidium Vicario Capitulari seu Administratori ipsiusmet Ecclesiae in sui honorarium adiudicetur, alterum dein futuro Episcopo ad sustinenda impendia tum pro Canonica Bullarum expeditione ad vacantis Ecclesiae Cathedralis provisionem, tum pro caeteris in suo praesertim primo adventu accurate reservetur.

Sartum vero tectumque sit ius favore mensae Episcopalis et Ecclesiae Cathedralis, illiusque Ca-

pituli et Seminarii, nec non aliarum minorum Ecclesiarum et quorumvis Piorum Locorum seu Institutorum, quandocumque in ea Dioecesi ea tantum bona stabilia libere liciteque legandi, acquirendi, plenoque et absoluto cum dominio possidendi, administrandi, et vindicandi, quin ea vel cetera bona et pia quaecumque instituta cum aliis coniungi, vel commutari vel aere alieno gravari, multoque minus distrahi, aut alienari possint, nisi prius Apostolica auctoritas intercesserit, salvis tamen facultatibus a memorato Concilio Tridentino Episcopis ad id consulto attributis, ac firmis Ecclesiae doctrinis et disciplina ab eadem Sancta Sede approbata. Tandem memoratam Antioquien. Episcopalem Ecclesiam, uti fuerit restituta, in Metropolitanae Ecclesiae Sanctae Fidei de Bogota suffraganeam cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus, privilegiis, cunctisque, quae aliae ipsius Sanctae Fidei de Bogota Ecclesiae suffraganeae de communi iure habere et tueri solent, dicta Apostolica auctoritate subiicimus, illiusque canonicam taxam in singulis Litterarum Apostolicarum sub plumbo provisionibus, quotiescumque novus illi Ecclesiae Pastor praeficiendus erit, in Aureis Florenis de Camera triginta tribus cum tertia ipsius Floreni parte statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae inscribi et observari iubemus. Denique volumus ut infrascriptus Exequutor confestim satagat eligere ac deputare quem eius prudenti lubitu censuerit in Vicarium Capitularem, seu illius Ecclesiae Antioquien. Administratorem porro continuaturum usque dum Episcopus ei praefectus fuerit. Praesentes vero litteras de subreptionis vel obreptionis,

aut nullitatis aliove, quocumque vitio intentionis nostrae, aut quolibet alio defectu, quamtumvis iuridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque praemissis interesse habentes, vel habere putantes, seu praetendentes cuiuscumque conditionis, qualitatis, status, gradus et dignitatis existant ad id vocati citati et auditi non fuerint, eisdemque praesentibus non consenserint, et causae, propter quas praemissa omnia et singula emanaverint, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quamtumvis legitima, pia, privilegiata ac speciali nota digna impugnari, retardari, invalidari, infringi aut irritari, seu ad viam et terminos iuris reduci, atque adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium, etiam ex capite laesionis quantumvis enormis et enormissimae, vel cuiuscumque praeiudicii impetrari, ac etiam motu scientia et potestatis plenitudine similibus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, deduci aut alias illo quocumque uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum et vali-

dissimum statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, et definiri debere, et quidquid super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quocirca memorato Antonio Valerio Episcopo per easdem praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium exequutionem procedat, necessarias et opportunas ei impartiendo facultates, quibus ad hoc perficiendum negocium alteram quoque idoneam personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare queat, ita tamen ut idem Valerius Antonius Episcopus per se, vel ipsam subdelegandam personam valeat ea cuncta ordinare, facere, declarare, ac etiam definitive omni appellatione, si qua forsan inciderit penitus remota, decernere quae magis ad praemissa omnia probe fideliterque perficienda opportuna atque utilia iudicaverit.

Non obstantibus memorato Decreto in ea parte, quae eisdem praesentibus adversari posset, ac Nostra

et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo; nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentibus, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, dictaeque Medellen. Ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis Decretis etiam motu scientia et potestatis plenitudine paribus itemque consistorialiter, seu alias in contrarium facientibus, quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac

viee dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod effatus Valerius Antonius Episcopus sive eius subdelegatus infra annum ab expleta ei demandata exequutione diligenter ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur authenticum exemplar Decretorum omnium in exequutione ferendorum, in quibus declarentur non solum confinia huius novae Dioecesis Antioquien., verum etiam Civitates Oppida et Paroeciae intra confinia huiusmodi comprehensa nominatim recenseantur, ad hoc ut eadem etiam in Archivio praefatae Congregationis perpetuo ad opportunitatem conserventur.

Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem Litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, abrogationis, dismembrationis, separationis, exemptionis, restitutionis, adiudicationis, evectionis, subiectionis, institutionis praecepti, statuti, mandati, commissionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo secundo, quarto Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Septimo. (1)

G. Gori Subdatarius

N. Card. Paracciani-Clarelli

Visa de Curia
Dominicus Bruti Abbreviator

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

(1) Id est in more positum penes Cancellariam Apostolicam, ut novus annus a festivitate Annuntiationis Deiparae Virg. Imm. exordiatur, et menses ianuarius et februarius diesque martii usque ad memoratum festum ad praecedentem annum pertineant; iccirco praesentes Litterae mense ianuario vulgatae, licet annum referant 1872, iuxta communem computandi rationem ad 1873 spectant.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOBILI VIRO FELICI LIBERO BARONI DE LOE PRAESIDI TOTIQVE SOCIETATI GERMANO-CATHOLICAE.

MOGVNTIAM

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Dum insectationem Ecclesiae ubique ferme invalescere moerentissimi cernimus, Dilecti Filii, periucundum fuit Nobis, vos non modo non fuisse deiectos aut deficere, sed ab hostili impetu veluti confirmatos, posthabitis obstaculis undique obversis, et licet favore careatis alicuius etiam ex iis, qui coepto vestro prae ceteris suffragari deberent, societatem catholicam constituisse quae ad universam protendatur Germaniam et unitas valeat opponere vires inimicorum incursui. Propositum tamen societati vestrae praestitutum tuendi Ecclesiae doctrinam, iura, liberumque eorùm exercitium in totius vitae publicae usu, assequi profecto nequiretis in praesentiarum, nisi arctos

sacrarum rerum limites praetergressi, per eas omnes rationes, quae vobis a publicae rei constitutione conceduntur, praepotenti quoque libito obsisteretis, et iniquis legibus passim in eamdem Ecclesiam latis. Et sane dum iura omnia ecclesiasticae potestatis invaduntur libertas comprimitur exercitii sacri ministerii, sacerdotii os obstruitur: nisi catholicus populus proprio iure fretus ad tuendam suam religionem exurgat; nemo iam erit qui iuxta leges efficaciter oppugnatoribus eius resistere possit ipsamque vindicare ab eorum arbitrio. Teterrima certe haec rerum conditio satis esse per se deberet ad explodendum nefarium illud commentum, toties reiectum et damnatum, quod omnis iuris fontem in laica auctoritate constituit, cuius propterea omnipotentiae ipsam subiicit Ecclesiam; dum christianis omnibus est exploratum, Christum Dominum ipsi contulisse potestatem sibi datam in caelo et in terra, eique idcirco demandasse, ut doceret omnes gentes, qua late patet orbis, inconsultis plane atque etiam obnitentibus earum principibus, atque eos condemnasse, regibus non exceptis qui ipsam audire eique credere noluissent. Quem quidem exitialem errorem non a solis hodie propugnari heterodoxis dolentes audimus, sed a nonnullis quoque recipi e catholicis. Vos itaque, qui in tanta rerum omnium perturbatione vocamini a divina providentia ad Ecclesiae catholicaeque religionis tutelam in auxilium oppressi Cleri, partes certe vobis creditas non exceditis, si, eo duce, in prima aciei fronte pugnetis; imo ipsi compedibus impedito debitum reapse exhibetis obsequium et filialem opem. Per hanc vero pugnam non uni religiosae

libertati vestrae prospicitis, aut solis sacris iuribus, sed ipsi patriae vestrae, ipsi humanae societati, quae, sacra auctoritate subducta et religionis fundamento, necessario compellitur ad dissolutionem et exitium. Itaque dum Deo gratias agimus, qui laboranti et undique impetitae Sponsae suae per vos aliosque per orbem fideles ita prospicit, Societati vestrae toto corde bene precamur, eique valida ominamur auxilia caelestia et cumulata gratiae munera, ne vel a recto tramite deflectat vel detrectet debitum ecclesiasticae auctoritati obsequium, vel acerbitate et diuturnitate pugnae territa languescat. Interim vero divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis omnibus et coepto vestro peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Februarii Anno 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

DECRETUM S. CONGREG. RITUUM

—

BAROLEN.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX per Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis diei 22 Iulii 1872 quoad usum Pontificalium favore Archipresbyteri, primae nempe dignitatis Capituli Cathedralis Barolensis, declaravit et indulsit huiusmodi privilegio uti licite posse ad normam Protonotariorum Apostolicorum Urbis de numero Participantium in iis tantum circumstantiis, in quibus Archipresbyter Canonicus Missam solemnem pontificare debebit praesente Capitulo. Cum vero IV Kalendas Septembris eiusdem anni expeditae fuerint Litterae Apostolicae sub plumbo quae incipiunt *Apostolicae Sedis*, quibusque Protonotariis Apostolicis ad instar participantium restrictus et declaratus fuit usus pontificalium; simulque in Art. XXII earumdem Litterarum Apostolicarum reservatum fuerit ius Praelatis et Praelatorum Collegiis, ut si amplioribus hac in re praerogativis se aucta fuisse arbitrarentur peculiaria sua iura in Sacrorum Rituum Congregationem deducerent, ut quod e Canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportunum decernatur; Capitulum Barolense huic parens praescriptioni ad Sacrorum Rituum Congregationem deducere sategit Decretum Sa-

erat Congregationis Consistorialis, in quo declaratum fuerat suum Archipresbyterum Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium privilegiis uti posse.

Quae omnia cum eidem SSmo D. N. fideliter relata fuerint a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, Sanctitas Sua ut firmiter permaneant et robur teneant ea quae sancita fuere in praefata *Constitutione Apostolicae Sedis* tum quoad Protonotarios Apostolicos de numero participantium, tum quoad alios qui nuncupantur ad instar participantium, ex singulari favore erga Capitulum Barolensis Cathedralis ob ipsius devotionem ac pium studium erga Sedem Apostolicam, benigne indulgere dignata est ut eiusdem Capituli Archipresbyter privilegiis cohonestetur Abbatum, minime vero eorum qui *Nullius* dicuntur.

Ideo sacra solemnia Pontificalia peragens, praesente Capitulo, in faldistorio sedere poterit, simulque uti caligis et sandalis sericis, Dalmatica, Tunicella, annulo cum unica gemma, Cruce pectorali sine gemmis, Chirothecis, Mitra aurofrigiata pariter sine gemmis, palmatoria, Canone ac pileolo nigri coloris, excluso omnino baculo pastorali; poterit tamen salutare populo per verba *Pax vobis* et trinam benedictionem eidem impertire. Quod si Archiepiscopus vel Ordinarius alias a Sancta Sede designatus et Episcopali charactere insignitus Sacris Solemniis adstiterit, tunc serventur ea quae a Caeremoniali Episcoporum praescripta sunt.

Rmo autem Ordinario pro-tempore praefatae Archidioeceseos committitur, ut caute vigilet ne Ar-

chipresbyter vel in minimo limites in superiori Decreto eidem statutos in exercitio Pontificalium transgrediatur: ac si semel vel bis ab eodem Ordinario monitus non paruerit, eo ipso omnibus ac singulis privilegiis supra concessis privatum se sciat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Februarii 1873.

DOMINICVS BARTOLINI S. Congregationis Rituum a Secretis.

L. ✠ S.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Expositum Nobis est nomine dilecti filii Ioannis Baptistae Etienne Summi Magistri Congregationis Missionis saepe contingere, ut in nonnullis regionibus Seminariorum cura et regimen Sodalibus eiusdem Congregationis suae demandetur; hinc ad incommoda in iisdem regendis evitanda supplicatum est Nobis, ut veniam de auctoritate Nostra impertiri velimus, cuius vi supradicta Missionis Congregatio memoratum munus moderandi nempe praedicta Seminaria ab Ordinariis suscipere, quin recursus in singulis casibus ad Sanctam Sedem habeatur, uti in Apostolicis sanctionibus cautum est, itemque eadem Seminaria eiusdem Congregationis regimini concredita in spiritualibus ac temporalibus, sine curatorum seu deputatorum (quorum esset iuxta Concilium Tridentinum Sess. XXIII. cap. XVIII. de Reform. eorumdem Seminariorum disciplinae, bonorumque advigilare procurationi) administrare possit. Nos igitur re mature perpensa, de consilio etiam Venerabilium

Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum omnes et singulos quibus hae Litterae Nostrae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium concedimus, ut supradicta Missionis Congregatio, quin Sanctam Sedem Apostolicam ad impetrandam in singulis casibus veniam adeat, Seminariorum regimen ab Ordinariis excipere, eademque Seminaria absque deputatorum interventu in spiritualibus ac temporalibus administrare libere ac licite possit, et valeat, ea tamen lege, ut in omnibus tam Superior generalis, quam Sodales a respectivo Ordinario dependere, et quotannis reddituum rationem sub anni exitum reddere teneantur praesentibus duobus de Capitulo, uti etiam nonnullis Regularium institutis concessum est. Non obstantibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Februarii Anno MDCCCLXXIII Pontificatus Nostri Anno XXVII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS PRAESIDI ET SODALIBVS CIRCVLI SANCTI AMBROSII.

MEDIOLANVM

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Per tristissima haec Ecclesiae tempora allevat certe dolorem Nostrum catholicorum zelus, qui propriae religionis insectatione et proximorum periculo commoti simul coeunt, ut apertius propriam fidem profiteantur, impensius incumbunt retrahendis fratribus a periculo, studiosius se devovent misericordiae operibus, ac in eo praesertim gloriam suam ponunt, ut se Nobis addictissimos praebeant obsequentissimosque documentis huius Cathedrae veritatis, ac unitatis catholicae centri. Observantia enim haec indubia est tessera filiorum Ecclesiae; et ipsa constituit inexpugnabilem vim illam unitatis, quae sola retundere potest osorum illius furorem, dolum, audaciam. Et sane qui indolem consideret conflati adversus Ecclesiam belli facile intelliget omnes hostium ma-

chinationes eo spectare, ut deleant illius constitutionem, et vincula frangant, quae populos Episcopis, Episcopos devinciunt Christi Vicario. Hunc autem ideo ditione sua spoliatum fuisse, ut alienae subditus potestati necessaria regendae catholicae familiae libertate privaretur, et ideo prae ceteris impeti, ut percusso pastore dispergantur oves. Sed quamquam filii sacculi prudentiores sint filiis lucis, eorum tamen fraudes et violentia minus fortasse proficerent nisi multi, qui catholicorum nomine censentur, amicam eis manum porrigerent. Non desunt enim, qui, veluti iugum cum illis ducturi, societatem nectere conantur inter lucem et tenebras ac participationem inter iustitiam et iniquitatem per doctrinas, quas dicunt *catholico-liberales*, quaeque perniciosissimis fretae principiis, laicae potestati spiritualia invadenti blandiuntur, animosque in obsequium, aut saltem tolerantiam iniquissimarum legum perinde inclinant, ac si scriptum non esset *nemo potest duobus Dominis servire*. Hi vero periculosiores omnino sunt et exitiosiores apertis hostibus, tum quia inobservati, et fortasse etiam necopinantes, illorum conatibus obsecundant; tum quia intra certos improbatarum opinionum limites consistentes, speciem quamdam probitatis inculpabilis doctrinae praeferunt, quae imprudentes alliciat conciliationis amatores, et decipiat honestos, qui apertum adversarentur errorem: atque ita dissociant animos, unitatem discerpunt, viresque coniunctim opponendas adversariis infirmant. Eorum tamen insidias facile vos vitare poteritis, si prae oculis habeatis divinum monitum *ex fructibus eorum cognoscetis eos;* si animadvertatis ipsos stomachari

quidquid paratam, plenam, absolutamque devotionem sapit placitis ac monitis huius Sanctae Sedis; vix aliter de ipsa loqui quam de Romana Curia; imprudentiae passim vel inopportunitatis insimulare eius acta; Ultramontanorum aut Iesuitarum appellationem affingere studiosioribus et obsequentioribus eius filiis; inflatosque superbiae vento prudentiores se illa censere, cui peculiare et perenne promissum fuit divinum auxilium. Vos itaque, Dilecti Filii, memineritis, ad Romanum quoque Pontificem, qui divina vice fungitur in terris, pertinere quoad ea quae fidem, mores Ecclesiae regimen spectant, illud quod de se ipso Christus affirmavit, *qui mecum non colligit spargit;* sapientiam idcirco vestram omnem constituite in absoluto obsequio libentique et constante adhaesione huic Petri Cathedrae, nam habentes eumdem spiritum fidei sic perfecti eritis omnes in eodem sensu et in eadem sententia, sic unitatem illam confirmabitis, quae Ecclesiae hostibus est opponenda, sic charitatis opera, quae suscepistis, acceptissima Deo facietis et utilissima proximis, sic afflicto ab Ecclesiae malis animo Nostro verum offeretis solatium. Efficax caeleste auxilium et copiosa supernae gratiae munera vobis ad hoc adprecamur; eorumque auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus vobis, Dilecti Filii, Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 6 Martii Anno 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTO FILIO ALOISIO GASTONI DE SEGVR CANONICO PRIMI ORDINIS S. DIONYSII PRAESIDI VNIONIS SOCIETATVM CATHOLICARVM PRO OPERARIIS (LVTETIAM PARISIORVM).

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Etsi calcanda semper duxerimus, Dilecte Fili, divini Magistri nostri vestigia, qui cum populo et plebe praesertim versabatur, ac discipulos suos mittebat in pagos et castella ; in hac tamen aetate, quae praecipuas machinationes suas et artes in proletariorum corruptionem intendit, multo graviore eorum sollicitudine premimur. Non sine magno propterea moerentis animi nostri solatio discimus, tot egregios sacerdotes ac laicos sedulam operam, solertiam, sumptus impendere retrahendae populi proli ab insidiis ac periculis, eique cogendae in coetus, ubi sana imbuatur doctrina, religiosis exercitationibus excolatur, imformetur ad virtutes, necessariis instituatur litterarum rudimentis, instruatur ad artes et probis credita opificibus tutum inveniat patronatum et ductum, ac illecebris innocui oblectamenti invitata sancte dies

festos exigat et utiliter horas subsecivas. Salutare enim hoc opus non modo parat ordinis subversi restitutionem, sed efficacissime simul occurrit mali progressui, multisque consulit familiis, quibus nequeunt irrita contingere probitatis filiorum exempla. Gratulamur igitur iis omnibus qui Pictavium convenerunt consilia collaturi ad egregium hoc coeptum explicandum, promovendum, proficiendum; gratulamur tibi, qui eidem coepto praepositus non modo curas ei tuas impendis, sed iugi prudentum, piorum, et huiusmodi adolescentium conditioni accommodatissimorum scriptorum serie perpetuus ipsis monitor ades ac totius vitae moderator; vosque omnes hortamur, ut impigre labori pro Dei gloria et animarum salute suscepto instetis, ac dilectissimam hanc Christi gregis partem a luporum incursu tueri, eique fidelem et addictam servare conemini, ac utilem praestare contendatis religioni simul et patriae. Omnia ad hoc vobis auxilia caelestia necessariaque et opportuna divinae gratiae munera adprecamur; eorumque auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus tibi, Dilecte Fili, rectoribus omnibus, magistris, suffragatoribus piarum horumce institutionum, puerisque et adolescentibus universis, qui eisdem se tradunt excolendos, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Martii Anno 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vigore rescripti manu Nostra exarati sub die XXVIII. mensis Octobris anni proxime elapsi MDCCCLXXII. quod exhibitum fuit Secretariae S. Congregationis Indulgentiarum, piis obsecundantes votis Venerabilis Fratris Paulli Archiepiscopi Dublinensis, partialem centum dierum Indulgentiam impertivimus semel in die adipiscendam Christifidelibus parvum Sacri Cordis Iesu Scapulare, quod inferius describemus, gestantibus, et Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Gloria Patri etc. recitantibus. Post haec die XXII. Martii volventis anni MDCCCLXXIII. accesserunt etiam supplicationes Venerabilis Fratris Ignatii Episcopi Ratisbonensis, qui erga Sacratissimum Cor Iesu fidelium pietatem excitaturus, pro gestantibus supradictum Scapulare aliquam a Nobis

Indulgentiam enixe implorabat. Nos ut piis etiam supplicationibus, quas Venerabilis Frater Episcopus Ratisbonensis Nobis porrexit, faveamus, memoratum Rescriptum omnino confirmamus, ac, ut infra indulgere statuimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui parvum Scapulare laneum albi coloris imaginem S. Cordis Iesu in medio referens gestaverint, et corde saltem contriti Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Gloria Patri etc. quolibet anni die recitaverint, centum dumtaxat dies semel in die lucrifaciendos de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae: insuper praecipimus, ut earumdem Litterarum (quod nisi fiat, nullas eas volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem S. Congregatione sub die XIX. Ianuarii MDCCLVI.

latum, et a S. M. Benedicto PP. XIV. Praedecessore Nostro die XXVIII. dicti mensis adprobatum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Martii MDCCCLXXIII.

Pontificatus Nostri Anno XXVII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

CAPITVLO ET CANONICIS SANCTI IACOBI DE CVBA
IN REGNO HISPANICO.

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII
AVCTORANTE SVMMO PONTIFICE PIO PAPA IX. LATVM.

Inter damna gravissima nec unquam satis lugenda, quibus iamdiu catholicum Hispaniarum Regnum angitur, et miserandum in modum affligitur nedum in rebus civilibus, sed etiam in negotiis ecclesiasticis studio et malitia filiorum huius saeculi, illud ultimum haud tenet locum, quod superiori anno incepit, et nuperrime maximo omnium bonorum dolore consummatum est.

Porro vix anno praeterito per publicas ephemerides rumor incessit, alterum ex istis Canonicis, idest Petrum Llorente, fuisse a laica potestate nominatum ad Metropolitanam Ecclesiam S. Iacobi de Cuba, atque insuper ex publica fama, facto comprobata, erat timendum, ne talis vir, iis animi dotibus ad Episcopale munus rite recteque obeundum minime praeditus, regia nominatione ad suam explendam ambitionem abuteretur, illico SSmus D.N. Pius PP. IX. ex commissi sibi coelitus pastoralis officii debito remedium aliquod adhibendum iudicavit. Quamobrem

iussu tanti Pontificis die 13 Augusti 1872 per Em̃um D. Card. Antonelli suum a Secretis Status datae fuerunt Literae D. Iosepho Orbera ab isto Capitulo canonice in Vicarium Capitularem post obitum postremi Archiepiscopi electo, ac suo munere laudabiliter fungenti, quae eumdem hortabantur, ut si vera essent ea, quae narrabantur, omni cura studeret, ne nominatus sub quovis titulo, colore, et arte sese immisceret in gubernio et administratione Archiepiscopalis Ecclesiae Cubensis.

Attamen quod olim Gregorius XVI. sa. me. de Gubernio Hispanico in sua Allocutione die 1. Martii 1841 merito gravissimis verbis querebatur de pluribus excessibus et usurpationibus a laica potestate perpetratis circa Vicarios Capitulares a demandata sibi procuratione suarum Ecclesiarum saepius prohibitos, nec non circa Canonicos vacantium Ecclesiarum temere inductos, aut etiam aperta vi adactos, ut munus Vicarii Capitularis viro a Gubernio in Episcopum nominato deferrent, contra sanctiones Concilii Lugdunensis secundi (cap. Avaritiae 5. de electione in 6.), aliis subinde Constitutionibus, et notissimis, Pii VII. Literis 5. Novembris 1810. ad Card. Maury, 2. Decembris 1810. ad Averardum Corboli Ecclesiae Florentinae Vicarium Capitularem, et 18. Decembris 1810 ad Paulum d'Atros Vicarium Capitularem Ecclesiae Parisiensis confirmatas, idipsum hodiernis quoque diebus lugendum et graviter improbandum conspicitur.

Etenim Vicarius Capitularis animo prospiciens periculum calamitatum, quae tum Capitulo tum universae Dioecesi imminebant, quamdam doctam Pa-

storalem paraverat, eamque manuscriptam prius Capitulo misit, postea Vicariis Foraneis patefecerat ad evitandum schisma, quod certe timendum foret, si nominatus ad vacantem Archiepiscopalem Ecclesiam, eius gubernium ad administrationem assumeret, antequam a Romano Pontifice in Consistorio fieret provisio, et provisus Apostolicas Bullas obtineret, easque Capitulo authentica forma exaratas exhiberet. Cumque Vicarius eamdem Pastoralem typis mandare coepisset, Ministri illam Gubernium adversus iudicantes, evulgari prohibuere, opus inceptum perfici impedierunt, eiusque auctorem in iuridicum Senatum detulerunt, ut processum in eumdem Vicarium instrueret, ac sententiam ferret.

Dum haec agebantur, Can. Llorente in Insulam Cubae rediit, et alter ex Ministris regiam Cedulam ad Capitulum misit instanter petens, ut regimen Dioecesis advocaret, ac in eumdem Llorente transferret, donec interim eius favore expedirentur Bullae Apostolicae. At Canonici ad unum omnes in Comitiis coactis die 11 Octobris 1872 responsum dederunt, sibi omnino impossibile esse adhaerere huic petitioni propterea quod suo tempore in electum Vicarium Capitularem iura omnia translata fuerunt ad tramites sacrorum canonum. Petiit insuper idem regius Minister, ut Vicarius Capitularis supra memoratam Pastoralem ad Capitulum missam, et encyclicas Literas ad Vicarios Foraneos datas ad se advocaret, et Gubernio civili traderet, cui petitioni Vicarius Capitularis Litteris diei 8 Decembris 1872 libenter annuit, gaudens potius eadem documenta esse sub potestate Gubernii. Die autem 8 Ianuarii huius an-

ni citatus ad comparendum coram Tribunali Iustitiae noluit se sistere, allegans incompetentiam Tribunalis laici ob suum characterem Sacerdotalem, ac propter suam qualitatem Vicarii Capitularis, qua praeditus est a die suae canonicae electionis. Quare idem Tribunal Vicarium Capitularem suspendendum censuit, et Gubernator civilis die 31 praedicti Ianuarii ei notificavit statutam contra ipsum poenam suspensionis a iuribus et facultatibus hactenus exercitis, idque ob praefatam Pastoralem Capitulo comunicatam, et Literas circulares ad Clerum Insulae transmissas, contra quam suspensionis poenam Vicarius Capitularis contestando denunciavit ea mente ut opportuno tempore dispositiones canonicae suum sortiantur effectum.

Interea Decanus Capituli habito nuncio huius suspensionis tum a regio Ministro, tum a Vicario Capitulari die 1 Februarii huius anni extraordinaria Comitia convocavit, et Canonicorum votis post acrem disputationem in duas aequales partes scissis, Decanus contra consuetudinem duplex suffragium dedit, quo factum est, ut idem Decanus huiusmodi pluralitate innixus potuerit evulgare, quod Capitulum sibi assumpserit iurisdictionem et regimen Dioecesis, simulque Vicario indixit, ut signa, quibus, Sede vacante, Literae muniuntur, Capituli Secretario traderet. Pluribus ex capitibus hanc capitularem resolutionem impugnandam adnisus est Vicarius Capitularis, ac eam praesertim ob causam, quam Capitulares unanimiter confessi sunt in Comitiis habitis die 11 Octobris 1872, ac sibi deesse potestatem cedendi nominato Llorente, cum iura omnia in Vi-

carium Capitularem canonice electum translata fuerint ad formam sacrorum canonum, ac nulla subsit causa eum invitum nunc ab officio removendi, et si qua forte adesset, ea iudicanda et approbanda foret non a Capitulo sed ab Apostolica Sede iuxta responsa Sacrarum Congregationum. Post hanc gravissimam Vicarii Capitularis obtestationem et declarationem siluit Capitulum, vel saltem non constat ullam dedisse responsionem. Nec mirum, nam post supra memoratam extraordinariam sessionem, qua decretum est spolium legitimi Vicarii Capitularis, Decanus Emmanuel Miura, et alii eidem adhaerentes regimen vacantis Ecclesiae in famosum Petrum Llorente transtulerunt, qui saeculari potestate fretus die 3 Februarii possessionem apprehendere non erubuit, et ecclesiasticam iurisdictionem statim nefario ausu exercere incepit, Secretariam Vicariatus, reliquasque ecclesiastici gubernii officinas vi civica et coactione occupavit, nominationes ad Beneficia curata fecit, Parochos sibi adversos amovit, ipsum Vicarium Capitularem expoliatum obstringere tentavit ad rationem ei reddendam de iis omnibus quae in munere Vicarii exercendo fecerat, eumque hoc recusantem in sua domo ad modum carceris detinuit, auxilio ad hunc finem a saeculari potestate implorato. Hisce non obstantibus suum esse duxit Vicarius per encyclicas Literas de completa invasione et usurpatione certiores reddere Vicarios Foraneos, aliosque quorum interesse poterat.

In hoc infando ac detestabili rerum statu, quo Clerus et populus catholicus in Cubensi Metropoli-

tana Ecclesia misere versatur, SSmus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX. pro ea, qua divinitus pollet in universam Ecclesiam suprema potestate, gravissima considerans mala ex tristi huiusmodi factorum enarratione scatentia, ac prae sua omnium Ecclesiarum sollicitudine cupiens quo citius fieri potest, efficax adhiberi remedium, quo boni subleventur, et mali corripiantur, ac illuminentur, iussit ut ab hac S. Congregatione Concilii iuxta mentem a Sanctitate Sua eidem panditam opportunum in id decretum ederetur.

Quare haec S. Congregatio Concilii prae oculis habita praefata factorum serie, ac perpensis iis, quae statuit Concilium Lugdunense II., Bonifacius VIII. in Constitutione *Iniunctae nobis* de elect. inter comm., Clemens XI. Const. *In supremo* diei 24 Aug. 1707, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, ac praeterea notissimis Pii VII. Literis supra allatis, ac etiam Literis Leonis PP. XII. datis die 3 Martii 1826 ad Patriarcham Lisbonensem, statuit atque decernit ac respective declarat, nempe

I. Petrum Llorente a Gubernio Hispanico ad Archiepiscopalem Ecclesiam S. Iacobi de Cuba nominatum, licet huius nominationis seu praesentationis nullum apud S. Sedem extet authenticum documentum, in censuras ecclesiasticas, ac etiam in maiorem excommunicationem ipso iure incidisse, aliasque poenas ecclesiasticas contraxisse, eo quod nulla ab Apostolica Sede obtenta Consistoriali provisione, neque propterea Apostolicis Bullis expeditis multoque minus Capitulo S. Iacobi de Cuba exhibitis, te-

merario ausu, et a civili potestate protectus, adhibitis etiam militibus, et expoliato legitimo Vicario Capitulari, administrationem et regimen Dioecesis S. Iacobi de Cuba invasit, atque usurpavit: item S. Congr. eumdem Llorente tam Canonicatu, quo gaudebat in Ecclesia Metropolitana Cubensi, quam alio quolibet beneficio ecclesiastico expoliatum, et insuper inhabilem ad alia quaecumque beneficia in futurum obtinenda declarat atque decernit.

II. In easdem censuras et excommunicationem maiorem, et poenas ecclesiasticas incidisse etiam tam praedictum Emmanuelem Miura Decanum Capituli, quam alios viros ecclesiasticos et laicos, qui fuerunt auctores, vel auxilium quovis modo activum praebuerunt ad perpetrandam invasionem et usurpationem praefatam.

III. Item actus omnes iurisdictionales post invasionem et usurpationem praedictam exercitos, prorsus nullos et irritos eadem S. C. declarat, ac pro irritis ab omnibus haberi decernit. Attamen acta omnia per ipsum invasorem gesta, quaeque alio canonico vitio, praeter legitimae auctoritatis defectum non laborant. S. Congr. ex indulgentia erga non culpabiles sanare in radice intendit, atque per hoc decretum sanat.

IV. Tandem praelaudatum Sac. D. Iosephum Orbera legitimum Vicarium Capitularem S. Iacobi de Cuba iniquo modo et malitia hominum a suo munere expulsum et expoliatum, S. Congr. in integrum restituit, et ab omnibus tamquam Vicarium Capitularem haberi decernit cum omnibus iuribus et facul-

tatibus perinde ac si nunquam fuerit expulsus et expoliatus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Concilii hac die 30 Aprilis 1873.

L. ✠ S.

P. Card. Caterini Praef.

Petrus Archiep. Sardianus Secretarius.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS SENATORI DE CANNART D'HAMALE PRAESIDI TOTIQVE FOEDERATIONI CIRCVLORVM CATHOLICORVM IN BELGIO.

LEODIVM.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quo durior quotidie fit Ecclesiae conditio, quo impudentius proculcatur eius auctoritas, quo praefractius unitati catholicae disgregandae adlaboratur et avellendis a Nobis filiis nostris; eo quoque luculentius fulget fides vestra, religionis amor, et obsequium in hanc Petri Cathedram, Dilecti Filii, qui consilia, vires, opes vestras coniungitis non solum ut irritos faciatis impios hosce conatus, sed ut arctiore semper vinculo nobis obstringatis fideles. Et in hoc quidem religiosissimo coepto vestro illud maxime commendamus, quod, uti fertur, aversemini prorsus principia *catholico-liberalia*, eaque pro viribus e mentibus eradere conemini. Qui enim iis sunt imbuti, licet

amorem praeferant et observantiam in Ecclesiam, licet ei tuendae ingenium operamque impendere videantur; doctrinam tamen eius et sensum pervertere nituntur et, pro diversa animorum cuiusque comparatione, inclinare in obsequium vel Caesaris, vel assertorum falsae libertatis iurium; rati hanc omnino ineundam esse rationem ad auferendam discordiarum causam, ad conciliandum cum evangelio praesentis societatis progressum, ad ordinem tranquillitatemque restituendam; perinde ac si lux cum tenebris copulari valeret, et veritas natura sua non privaretur vix ac violenter inflexa nativo vigore suo exuatur. Profecto si oppugnare nitamini insidiosum hunc errorem eo periculosiorem aperta simultate, quo speciosiore zeli caritatisque velo obducitur, et simplices ab eo retrahere sedulo curetis, funestam extirpabitis dissidiorum radicem, efficacemque dabitis operam compingendae fovendaeque animorum coniunctioni. Hisce profecto monitis vos non indigetis, qui adeo obsequenter et absolute adhaeretis documentis omnibus huius Apostolicae Sedis, a qua liberalia principia toties reprobata vidistis; sed ipsum desiderium expeditioris et uberioris proventus laborum vestrorum nos compulit ad refricandam vobis rei adeo gravis memoriam. Ceterum bonum certamen susceptum alacriter certare pergite, et quotidie magis bene mereri contendite de Ecclesia Dei; coronam spectantes ab Ipso vobis reddendam. Nos interim officiis vestris gratissimum profitemur animum, novaque semper incrementa et copiosiora munera caelestia adprecamur societati vestrae; eorum autem auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem,

quam paternae nostrae benevolentiae pignus vobis Dilecti Filii peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Maii Anno 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILI FRATRI EVGENIO LACHAT EPISCOPO BASILEENSI.

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Oblatae Nobis tuo nomine preces fixam animo curam moeroremque, quo luctuosissimo hoc tempore conficimur, vehementer auxerunt. Etenim prae se ferebant gliscente in dies per loca ista profligatissimorum hominum adversus Dominum et adversus Christum eius odio atque audacia, eo rem misere esse deductam, ut timendum sit ne Iurae Bernensis Parochis, qui quamlibet iacturam pati, quam fidei et officio deesse maluerunt, Parochialibus muneribus interdicatur, atque in Ecclesiis Oratoriisque publicis, et operari Sacris et Sacramenta ministrare vetitum sit. Quod quidem cum catholico nomini atque aeternae animarum saluti sit perniciosissimum, Nos enixis precibus rogavisti, ut huic difficultati mature occurrere, Apostolica Nostra Auctoritate velimus. Nos igitur

dum ex humilitate cordis Nostri numquam desistimus Deum orare ut tandem aliquando tantos ab Ecclesia sua fluctus depellat, eique pacem reddat auspicatissimam, te, Venerabilis Frater, ac ceteros omnes quibus Nostrae hae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, tibi singulas quasque facultates necessarias et opportunas tenore praesentium Apostolica Nostra Auctoritate impertimus, quarum vi quousque adeo nefarium bellum contra Nos, et hanc Beatissimi Petri Cathedram per ista loca saevierit, pro re ac tempore necessitatibus ita consulas, quemadmodum in Domino maxime expedire existimaveris. Volumus autem ut quotiescumque facultatibus huiusmodi usus fueris delegato tibi ad id Apostolicae potestatis conceptis verbis mentionem facias. Non obstantibus speciali licet atque individua mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Maii MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno XXVII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI VITALI MARIAE EPISCOPO OLINDENSI
(RECIFE IN BRASILIA)

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quamquam dolores nostros exacerbavit quae tu, Venerabilis Frater, Nobis esposuisti de *Massonismi* viru istic adeo late diffuso, ut pias ipsas sodalitates invaserit et nonnullas ex iis plane corruperit; nequimus tamen non commendare fiduciam, qua gravem a te conceptum hac de causa moerorem in cor nostrum effudisti, et zelum quo tanto malo studuisti et studes occurrere. Vetus est haec pestis ac cito confixa ab Ecclesia designataque, licet incassum, populis et eorum moderatoribus, qui in discrimen vocabantur. Iam ab anno 1728. Clemens XII. recolendae memoriae encyclicis litteris *In eminenti* datis die 28 Aprilis querebatur « longe lateque progredi » nonnullas societates, vulgo *des Francs Macons* nun-

» cupatas, in quibus cuiuscumque religionis et sectae » homines, affectata quadam contenti honestatis spe» cie, arcto ac impervio foedere invicem consocian» tur » et sedulo vigilandum esse ducens « ne huius» modi hominum genus veluti fures domum perfo» diant, atque instar vulpium vineam demoliri ni» tantur » conventicula haec, quocumque nomine appellata proscribebat, unicuique e fidelibus mandans; ut ab iis « prorsus abstinere se debeat sub » poena excommunicationis ipso facto, absque ulla » declaratione incurrenda » a qua nonnisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possit. Eam constitutionem deinde Benedictus XIV. eius successor inseruit fusiusque explicavit suis encyclicis litteris *Providas* diei 16 Martii 1751, quibus decreta et poenas a suo Decessore statutas confirmavit. Nefaria tamen societas occulta semper increbuit in varias divisa sectas variis distinctas nominibus, sed sententiarum facinorumque communione et foedere coniunctas, donec latissime propagata magnisque aucta viribus erumpens ex antris suis se prodere potuit, ac prudentibus omnibus demonstrare, quam merito a speculatoribus Israel damnata fuisset. Patuit enim e catechismis eius, e constitutionibus, e conventuum actis typorum ope vulgatis, et clarius etiam e publicis machinationibus et gestis, propositum ei esse catholicam delere religionem, Romanamque idcirco Cathedram, unitatis centrum insectari, legitimam quamlibet humanam auctoritatem avertere, hominem autonomum constituere, prorsus exlegem, ab ipsis sanguinis vinculis solutum, solisque suis mancipatum cupiditatibus. Sata-

nicum hunc societatis spiritum in primis ostenderant, exeunte praeterito saeculo, truculentae Galliarum vicissitudines, quae totum commoverunt orbem; ac docuerunt plenam humanae dissolutionem esse expectandam, nisi scelestissimae sectae vires frangerentur. Quocirca Pius VII. sa. me. encyclicis litteris *Ecclesiam* datis die 12 Septembris anni 1826 non solum obvertit iterum omnium oculis indolem, malitiam, periculum istarum societatum, sed gravius etiam iteravit damnationem et poenas spirituales earum sodalibus inflictas a decessoribus suis: eaque omnia postea confirmata fuerunt tum a Leone XII. recolendae memoriae per Litteras Apostolicas *Quo graviora* diei 13 Martii anni 1826, tum a Nobis ipsis, per encyclicas litteras *Qui pluribus* diei 9 Novembris 1846 (1) Itaque post repetita toties Ecclesiae mandata gravissimis munita sanctionibus, post vulgata impiarum societatum acta, quae vera earum consilia patefecerunt, post perturbationes, calamitates, caedes innumeras ab illis ubique invectas, quibus ipsae publicis scriptis insolenter gloriari non erubescunt; nulla sane excusatio suppetere videretur illis, qui nomina sua eisdem dederunt. Nos tamen considerantes, nefarias hasce sectas non aliis sua prodere mysteria quam illis, qui per impietatem se iisdem excipiendis paratos exhibent; ab adeptis suis propterea severissimum postulare iuramentum quo spondeant, se nullo unquam tempore nullove casu patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel

(1) Vid. Acta Pii IX vol. I pag 4.

communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur, aliquid quod ad gradus pertineat superiores: obducere se passim beneficentiae et mutui auxilii velo: et incautos atque imperitos facile decipi specie fictae honestatis: misericordiae rationem cum prodigis istis filiis, quorum perniciem deploras, Venerabilis Frater, ineundam esse censemus, ut eius suavitate illecti a pessimis viis suis pedem referant, et ad matrem suam Ecclesiam, a qua seiuncti vivunt, revertantur. Itaque memores, Nos Eius vice fungi qui non venit vocare iustos sed peccatores, sequenda censemus vestigia laudati decessoris nostri Leonis XII. et suspendimus idcirco ad integrum anni spatium, postquam hae Nostrae litterae innotuerint, reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, absolvi ab iis censuris posse concedimus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero, qui a locorum, in quibus degunt, Ordinariis approbati sunt. Quod si neque hoc clementiae remedium sontes a nefario coepto deterreat et a gravissimo suo crimine retrahat; volumus ut, dicto unius anni spatio elapso, illico reviviscat reservatio censurarum, quas Apostolica Nostra auctoritate denuo confirmamus, diserte declarantes neminem prorsus ex harumce societatum adeptis immunem esse ab istis poenis spiritualibus quocumque obtentu, sive assertae suae bonae fidei, sive exstrinsecae speciei probitatis, quam eaedem sectae proferre videantur, ac propterea omnes omnino in eodem versari aeternae damnationis periculo, donec huiusmodi societatibus adhaereant, Praeterea vero plenam tibi potestatem facimus procedendi iuxta cano-

nicarum legum severitatem in ea spiritualia sodalitia, quae per hanc impietatem indolem suam tam foede vitiarunt, illaque prorsus dissolvendi, aliaque consociandi, quae nativae suae institutioni respondeant. Utinam consideratio perversitatis societatum quibus se adscribere non sunt veriti tot homines, qui christiano nomine decorantur, memoria anathematum, quibus iterum iterumque ipsae confixae fuerunt ab Ecclesia, notitiaque clementiae huius Sanctae Sedis erga deceptos ab hisce litteris ad errantes perlata, eos in viam salutis reducat, praevertat plurimarum animarum exitium, omnemque a te amoliatur severitatis adhibendae necessitatem. Id nos incensa a Deo prece poscimus, id ominamur pastorali zelo tuo, id deprecamur deceptis hisce omnibus filiis nostris. Et quoniam eadem vota ad alias quoque istius Imperii dioeceses extendimus, in quibus eadem mala grassantur; cupimus, hasce litteras a te communicari cum Venerabilibus Fratribus tuis, ut unusquisque eorum sibi populoque suo dicta arbitretur quae tibi scribimus. Dum vero divinam obsecramus clementiam, ut desiderio Nostro curisque obsecundet, caelestis auxilii supernorumque omnium munerum auspicem, ac simul praecipuae Nostrae benevolentiae pignus tibi, Venerabilis Frater, universaeque Dioecesi tuae Benedictionem Apostolicam, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Maii Anno 1873. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DILECTO FILIO NOSTRO PAVLO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI CVLLEN NVNCVPATO EX CONCESSIONE AC DISPENSATIONE APOSTOLICA ARCHIEPISCOPO DVBLINENSI ATQVE HIBERNIAE PRIMATI.

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex Apostolici officii munere, quod Humilitati Nostrae commisit Altissimus, nihil Nobis est potius, quam ut ea quacumque ope possumus, procuremus, quae catholicae rei fauste, feliciter ac prospere eveniant. Itaque simul ac relatum est Nobis, Venerabiles Fratres Episcopos Hibernenses consilium iniisse celebrandi consueta Synodali forma plenarium totius istius nationis Praesulum conventum, quo gravioribus ecclesiasticis negotiis, et catholicae praesertim institutioni opportune provideatur; Nos salubre ac frugiferum huiusmodi consilium ex animo commendantes et summopere approbantes, cum Ve-

nerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis rem communicare maturavimus, omnibusque rei momentis attente consideratis, seduloque perpensis, de eorumdem consilio in eam sententiam devenimus, ut istius Synodi convocandae et regendae munus Tibi, dilecte Fili Noster, demandaremus, pro certo habentes, te, prae ea, qua in exemplis commendaris, prudentia, gravitate, doctrina, consilio et catholicae Religionis provehendae studio in obeundis huius muneris partibus expectationi Nostrae cumulatissime responsurum. Quo autem praedictum munus, navius, nitidiusque fungaris, de memoratorum Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, te hisce Litteris Delegatum Apostolicum Synodi convocationi ac celebrationi perficiendae Apostolica Nostra auctoritate eligimus, constituimus ac renunciamus; Tibique idcirco singulas, universasque facultates necessarias atque opportunas deferimus, tribuimus atque impertimus. Quae cum ita sint tuum erit potissimum tum instructiones a praefatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatione pro Synodi celebratione traditas aeque ac Decreta et Rescripta ab hac S. Sede Apostolica, vel a dicta Congregatione alias edita, praesertim pro gravioribus negotiis istius regionis, exequenda curare; tum studere ut disciplina eiusmodi in praxi servanda admittatur, quae sit et suprascriptis decretis consentanea, et uniformitatem per omnes provincias ac dioeceses inducat. Porro volumus ut Synodi acta et statuta ad Sanctam hanc Sedem Apostolicam transmittenda cures, ut examini subiiciantur, ac si visum fuerit opportunum, Nostra, aut Suc-

cessorum Nostrorum auctoritate confirmentur. Hoc volumus, statuimus, praecipimus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab iis ad quos spectat inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancelleriae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri rec. mem. super Divisione Materiarum, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Maii MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno XXVII.

F. Card. Asquinius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ATQVE EPISCOPIS HIBERNIAE
GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBVS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Si quid est quod luctuosissimo atque acerbissimo Romanae Ecclesiae tempore animum recreet reficiatque Nostrum, illud sane est incredibilis ac veluti unici exempli catholicorum omnium Antistitum consensus, qui quidquid pati potius quam officio deesse non dubitantes constanter veluti acies contra Religionis Nostrae Sanctissimae atque huius Beatissimi Petri Cathedrae hostes praelia Domini praeliaturi ubique gentium concurrunt. Ac Vos, Venerabiles Fratres, salubri frugiferoque inito consilio de plenaria Synodo habenda, quo potius et opportunius gravioribus nobilissimae istius dominici gregis partis negotiis, collatis sententiis, conspiratisque viribus oc-

curratis, magnum quoque attulistis moerori Nostro levamentum. De quo quidem consilio simul ac Nobis relatum est, Nos illud ex animo commendavimus, vehementerque probavimus, ac mature cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis propagandae fidei praepositis re communicata, de ipsorum consilio, dilecto Filio Nostro Paulo S.R.E. Cardinali Cullen nuncupato Archiepiscopo Dublinensi eas partes Apostolica Nostra auctoritate commisimus, ut, attentis etiam peculiaribus temporis adiunctis, tamquam Delegatus Apostolicus Synodum convocet, eique cum facultatibus praesit necessariis atque opportunis, pro certoque habemus, illum se talem in hoc obeundo munere praestiturum, qualem summa eius prudentiae ac doctrinae laus egregia pietate cumulata fore pollicetur. Quae cum ita sint, dum in humilitate Nostra ferventissimis precibus Datorem luminum Deum oramus, ut Vobis in suo nomine coniunctis ea suggerat, quae fidelibus curae vestrae commissis prospere ac feliciter eveniant, Vos, Venerabiles Fratres, hortamur, ut nominato Dublinensi Antistiti tali aucto munere quantum in Vobis situm est obsequamini, factaque ab eodem Synodi convocatione, omnes adsitis ad tramitem Sacrorum Canonum, nisi legitimo impedimento detineamini. Quamquam vero praefecto Antistiti Delegato Apostolico peculiares a Nobis instructiones idcirco traditae sint, (1) tamen Vos, Venerabiles Fratres, etiam atque etiam monemus, ut non modo responsis datis pro gravioribus nonnullis negotiis quo par est studio inhae-

(1) Vid. Apostolicas Litteras proxime praecedentes.

reatis, sed etiam illam curam potissimum in Synodo geratis, ut disciplinam supradictis rescriptis consentaneam, atque uniformem per omnes Provincias, singulasque vestras dioeceses, collatis consiliis, constituatis. Porro volumus ac proponimus ut Synodi acta et decreta ad Sanctam hanc Apostolicam Sedem transmittantur, ut instituto de more examine, de illis iudicium feratur, eaque, si ex re visum fuerit Nostrae vel Successorum Nostrorum Supremae Auctoritati, confirmentur ac roborentur. Haec statuimus, volumus, mandamus, decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectant in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis etiam impressis manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis

eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Maii MDCCCLXXIII., Pontificatus Nostri Anno XXVII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

DILECTO FILIO EQVITI FRIDERICO PVSTET
DIOECESIS RATISBONEN. ETC.

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Qui choricis Catholicae Ecclesiae Libris imprimendis operam navarunt, in eamque rem typographicae artis, qua praestabant, industriam contulerunt, eos de catholica Religione benemeruisse existimamus, ac dignos propterea fuisse quos et Sacrorum Antistites, et vel ipsi Romani Pontifices suis laudibus prosequerentur. Hos inter, praeclarum tu quidem, dilecte fili, locum obtines, qui egregiis Ecclesiasticorum librorum editionibus, ac praesertim magna cura editis Libris Cantus Gregoriani, Typographi Pontificii et Sacrorum Rituum Congregationis titulo insignitis, nunquam destitisti catholicam rem, quantum tua arte

potes, luctuosis hisce, quibus versamur, temporibus iuvare. Gratissimum vero Nobis accidit, quod nuper audivimus, te Gradualis, quod vocant, Romani editionem sane pulchram, et magnificam, quam editionis instar Mediceae, et iuxta normas a Sacrorum Rituum Congregatione tibi praescriptas adornaveras, ad exitum perduxisse. Qua re facere non possumus, quin collocatam a te in ea operam, atque industriam vehementer probemus; ex qua multum et decoris, et utilitatis sacris Ecclesiae ritibus orietur. Atque adeo hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem, tuis sumptibus ac laboribus exaratam, Reverendissimis Locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices sacrae cura est, magno opere commendamus; eo vel magis quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in caeteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una cunctis in locis ac Dioecesibus eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia. Interea dum te, dilecte fili, etiam atque etiam in Domino hortamur, ut pergas tenere istam viam, quam instituisti, et laudum tuarum vestigiis insistere, aliud hoc tuae operositatis argumentum expectamus, ut quae adhuc edenda tibi supersunt de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a fel. me. Paulo Papa V. Praedecessore Nostro perficietur editio, tandem in lucem proferas. Quae ut alacrius praestare velis, iura omnia et privilegia, quae ob Ecclesiasticorum librorum a te peractas editiones ab hac Sancta Sede per Sacrorum Rituum Congregationem concessa Tibi fuerunt, hisce nostris Litteris confirmamus, iterumque, si opus fuerit, elargimur; ac simul benevolentiae Nostrae cer-

tissimum pignus, Apostolicam Benedictionem tibi ac tuis omnibus ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Maii MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri anno vicesimo septimo.

FABIVS CARD. ASQVINIVS.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Paterna sollicitudine studioque vehementer adducti tum spiritualem tum civilem utilitatem Senogalliensis civitatis Patriae Nobis dilectissimae procurandi, ac promovendi, ac benigne prospicere cupientes pauperibus utriusque sexus diuturno morbo laborantibus vulgo *Cronici*, tum puellis vel in orbitate versantibus, vel parentum paupertate aut incuria omni educationis praesidio destitutis, ex Nostro peculiari patrimonio Nostrisque omnino sumptibus per Nostras Apostolicas Litteras sub plumbo datas XII Kal. Maii Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Septimo - Pontificatus Nostri Anno XI. quarum initium « *Gravissimas inter* »: (1) in eadem natali Nostra civitate Pium Institutum seu domum vulgo *di Ricovero* fundavimus, in quam prae-

(1) Vid. Acta vol. II, pag. 576.

dicti utriusque sexus pauperes et derelictae puellae excipi, ac congruis vitae subsidiis adiuvari possent. Similiter per alias Nostras Apostolicas Litteras sub plumbo datas Kalendis Septembris Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Tertio - Pont. Nostri Anno VIII, quarum initium « *Senogalliae Urbis* » (1) Gymnasium in eadem civitate Nostra impensa excitavimus et constituimus, maxime in votis habentes ut christiana ac litteraria adolescentium tum Senogalliae tum illius dioecesis institutio opportunis adiumentis comparatis in dies magis prospere floresceret.

Quo vero Nos finem assequi plene possemus quem Nobis in huiusmodi institutionibus et liberalitatis Nostrae operibus proposueramus, per Nostras Apostolicas litteras die 20 Aprilis editas et supra memoratas, rite et accurate ea constituenda curavimus, quae administrationem praedicti Pii Instituti seu domus vulgo *di Ricovero* et commissionem eidem praepositam respicerent, quaeque ad illius regimen ordinandum, ad praefiniendam aetatem puellarum admittendarum, ad tempus earum commorationis in praedicta domo, ad eos designandos qui nominandi et admittendi forent, referrentur, Nobis expresse reservantes alia in posterum decernere ac praescribere quae ad maiorem eiusdem Pii Instituti prosperitatem tum civilem tum moralem pertinere posse iudicassemus.

Eadem praeterea sollicitudine permoti erga Senogalliense Gymnasium per Apostolicas Nostras litteras sub plumbo datas die 1. Septembris pariter su-

(1) Vid. Act. vol. I. pag. 523.

pra memoratas accurate statuimus de docendi ratione et de studiorum methodo quam in eodem Gymnasio vigere oporteat in Scholis in eo habendis, de administratione quae eidem praeesse debet et coetum docentium nominare, tum in casu quo Religiosi viri e Societate Iesu procurationem et regimen quod Nos eis commisimus habere pergant, tum in casu quo ipsi discesserint, ea insuper conditione et lege addita quam huius generis institutorum natura omnino postulat, ut nempe idem Gymnasium in perpetuum immediatae Sedis Apostolicae auctoritati subiiciatur.

Novus autem et inopinatus rerum ordo effecerat ut Nobis timendum esset ne praedictum utrumque Institutum, Pia scilicet domus vulgo *di Ricovero*, et Gymnasium seu Patrimonium studiorum a fine illo quem in Nostra liberalitate respeximus avocaretur, atque administrationibus e laicis ecclesiasticisque viris coalescentibus quas institueramus, aliae diversi generis et e laicis unice conflatae sufficerentur. Quapropter Nos usi facultate et potestate quae etiam privatis donatoribus iure civili patebant et patent, nec non alio quocumque meliori modo per alias Apostolicas litteras sub plumbo datas Kalendis Decembris Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo secundo - Pontificat. Nostri An. XVII quarum initium « *Maiori Senogalliensis* » (1) supradictas Nostras Apostolicas litteras et omnia in illis statuta revocavimus, ac expresse Nos velle declaravimus, ut omnes cuiusque generis redditus et bona immobilia tum memorato Pio Instituto, tum Gymnasio a Nobis assignata, ad privatum Nostrum Patri-

(1) Vid. Act. Vol. III. pag. 533.

monium omni ex parte redirent et ad idem plene pertinerent.

Verumtamen cum ad Nos perlatum fuerit nihil hucusque quoad praedictum Gymnasium fuisse innovatum, et illius administrationem, ac nominationem Magistrorum pro singulis disciplinis quas expresse et nominatim in eodem Gymnasio tradi voluimus, usque ad hanc diem iuxta fundationis Nostrae litteras et praescripta fideliter servatam fuisse et executioni mandatam cura Senogalliensis pro tempore Episcopi, aliorumque spectabilium virorum illius curae ex Nostra praescriptione consortium, idcirco ex Nostra benignitate et indulgentia toleravimus, ut praedicta institutio, nihil obstante revocatione Nostra, iuxta suae fundationis normam consisteret et vigeret.

Iamvero cum illud contingere possit ut praesens rerum status perturbetur; Nosque propterea cupientes ut ex Nostro in hac re silentio nulla quomodolibet in quodvis futurum tempus causa praeberi possit interpretationibus, iudiciis et applicationibus a Nostra voluntate circa utramque praedictam fundationem vel discrepantibus vel eidem adversantibus, idcirco hisce Nostris litteris constituenda et decernenda iudicavimus stabilem in modum haec quae infra sequuntur.

Videlicet: Pium Institutum seu domus vulgo *di Ricovero* pro pauperibus assidua aegritudine laborantibus vulgo *Cronici* et pro egentibus puellis educationis subsidio destitutis a Nobis fundatum et peculiari ac privata Nostra pecunia ac sumptibus dotatum, nec non a Nobis iam precario modo erectum debebit semper esse et haberi uti fundatio, quae

administrationem Nostram privatam et familiarem pertinet, atque in omnibus omnino administrari et regi ab iis et ad eum modum, de quibus in respectivis Nostris Apostolicis litteris singillatim et expresse praescripsimus atque statuimus, exceptis tamen iis mutationibus ordinationibus et normis, quas pro Nostro iudicio magis expedire ad pii operis bonum putaverimus.

Ipsum item Gymnasium iuxta praescriptam in Apostolicis Nostris litteris de fundatione eius datis rationem, veluti Patrimonium studiorum civitatis Senogalliensis manebit ac vigebit, pariterque in omnibus administrari ac regi debebit per ministerium eorum et ad eum modum, de quibus in praedictis Nostris litteris cautum est.

Quod si quacumque ratione aut causa quocumque auctore exorta, vel etiam alieno facto aut vi maiori eveniat, ut regimen, administratio, et officium personarum vel auctoritatum ecclesiastici ordinis in praedicta domo vulgo *di Ricovero* reputetur aut censeatur cum novis ac divisis rerum publicarum ordinationibus cohaerere et conciliari non posse, aut ut sub quolibet praetextu ac nomine aliae auctoritates aut personae introduci vel adiungi velint diversae ab iis quas constituimus, aut ut ipsius piae institutionis finis vel regulae seu ex parte seu omnino immutentur, aut ut manus admoveatur ad eius bona et redditus vel intervertendos vel minuendos; in omni et quolibet casu qui contra institutionis rationem contraque praesentes has litteras umquam contingat, Nos praedictam institutionem sublatam et abolitam esse iam nunc intendimus, volumus ac

decernimus, veluti si nunquam ipsa locum habuisset: quia statutarum legum et conditionum debita ac perfecta observantia remota, nunquam ad praedicti pii operis institutionem faciendam animum adiecissemus. Praeterea eo in casu et casibus commemoratis volumus et statuimus, ut omnes redditus et omnia bona in dotem piis operis assignata, nullo excepto, maneant in re privata et familiari Nostra, et quatenus opus sit ad privatum et familiare Nostrum patrimonium revocentur ac redeant, eaque ipsa simul cedant et pertineant ipso facto et ipso iure absque ullius iudicii aut sententiae ope ad Aloisium Mastai Comitem, Nostrum ex Fratre Nepotem, et eo deficiente ad haeredes et successores eius., cuius quorumque honestati et rectitúdini onus imponimus sublevandi pauperes utriusque sexus continuis morbis affectos et puellas derelictas ea ratione et modo, quem pro sua conscientia magis congruum et tempori aptum iudicaverint.

Simili modo praeterea si contigerit ut pia fundatio Gymnasii seu Patrimonii studiorum quolibet futuro tempore ab indole suae institutionis avocetur, aut ut illius administratio qualibet praetensa causa et ratione, etiam quod cum novis ordinationibus publicis conciliari non possit sive ullo facto alieno, a consilio seu Commissione ex ecclesiasticis laicisque viris composita et a Nobis constituta abduci et removeri velit, aut ut ad aliquam ex Cathedris per Nostras Apostolicas litteras praescriptis vel supprimendam vel *immutandam* deveniatur, aut ut aliquis e coetu docentium a praedicta Commissione vel a Nobis nominatus absque ulla eius culpa ac merito

ab officio removeatur: his et quibuscumque aliis casibus contra praedictam institutionem et praesentes has Nostras litteras intervenientibus superiorem renovationem iam nunc confirmare intendimus, sicut reipsa per praesentes has litteras confirmamus et quatenus opus sit renovamus: itemque volumus et decernimus ut pecuniae aliaque omnia bona ac redditus a Nobis in dotem praedicti Gymnasii seu Patrimonii studiorum attributi ipso facto et ipso iure absque ullius iudicii vel sententiae ope in privato Nostro patrimonio remaneant atque ad ipsum revocentur et redeant, veluti si praedicta institutio nunquam a Nobis facta fuisset, quia nunquam omnino, statutarum legum et conditionum perfecta observantia sublata, Nos de illa perficienda consilium iniissemus. Ipsae autem memoratae pecuniae bona omnia ac redditus omni ex parte cedere et pertinere debebunt ad supra vocatum Aloisium Mastai Comitem, Nostrum ex Fratre Nepotem et eo deficiente ad haeredes et successores eius, cuius quorumque honestati ac rectitudini etiam in hoc casu obligationem adiicimus subveniendi ac prospiciendi christianae et litterariae studiosae iuventutis utilitati ea ratione ac forma, quam pro sua conscientia ad hunc finem assequendum opportunam magis iuxta temporum adiuncta censuerint.

Quo autem huius Nostrae dispositionis et voluntatis nulla unquam ignoratio allegari possit volumus et mandamus, ut ea illi cuius interest et cui de iure oportet Nostrarum harum litterarum transmissione plene ac integre innotescat.

Haec volumus statuimus atque mandamus, decer-

nentes has Nostras litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut alio quolibet substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in ius aut controversiam vocari, seu adversus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, et ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus praedictis Nostris litteris Apostolicis sub plumbo datis, de quibus specialis mentio supra facta est, nec non de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Nostrae Apostolicae regulis, aliisque quibusque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes illis in suo robore alias permansuris ad praemissorum effectum dumtaxat latissime plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque etiam expressa specifica et individua mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium Litterarum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum ordinationis abrogationis revocationis statuti decreti ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimotertio Kalendis Iuniis. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo septimo.

A. Card. VANNICELLI Pro-Datarius

F. Card. ASQUINIUS

VISA DE CURIA

J. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

Reg. in Secretaria Brevium.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOBILI VIRO VICECOMITI DE MOROGVES PRAESIDI TOTIQVE CONSILIO SOCIETATIS CATHOLICAE AVRELIANENSIS.

AVRELIAM

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI NOBILIS VIR,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gaudemus, Dilecti Filii, coivisse et vos in societatem pugnaturos cum impietate moliente cuiusvis ordinis subversionem; et laeti videmus fausta suscipiendi certaminis auspicia vos quaerere in ope ac benedictione huius Sanctae Sedis, cui sola promissa fuit perpetua de potestatibus tenebrarum victoria. Verum etsi lucta vobis ineunda sit reapse cum impietate, tamen levius fortasse discrimen ab ea vobis imminet, quam ab amico foedere hominum ancipiti illa doctrina imbutorum, quae dum ab extremis errorum consectariis abhorret, prima eorum semina mordicus retinet ac fovet, quaeque dum veritatem nec totam amplecti vult, nec totam audet reiicere,

sic ea quae Ecclesia tradit ac docet interpretari nititur, ut non plane discrepent a propria sententia. Non desunt enim et hodie qui mero voluntatis nisu veritatibus recenter definitis adhaeserint, vitaturi scilicet schismatis notam ipsamque suam decepturi conscientiam; at minime deposuerint altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, nec in captivitatem redegerint intellectum in obsequium Christi. Si latenter huiusmodi opiniones menti vestrae subreperent eiusque potirentur, speranda certe vobis non esset illa firmitas et virtus, quae a perfecta dumtaxat adhaesione spiritui et doctrinis huius Petri Cathedrae in vos derivari potest; atque idcirco propositum praelium non solum utiliter gerere nequiretis, sed graviora fortasse detrimenta induceretis in causam, quam tuendam suscepistis. Cavete itaque a latente hoc hoste, perniciosasque eius suppetias reiicite; ac immobili Petrae a Christo constitutae insistentes, obsequentesque illustris Pastoris vestri nutui alacriter incurrite in divinae atque humanae auctoritatis osores. Deus vobis vires ac victoriam concedet; quam toto corde vestris curis ominamur, dum superni favoris auspicem et paternae nostrae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Iunii 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoseptimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PECVLIARIS ECCLESIASTICA IURISDICTIO IN TERRITORIIS AD QVATVOR MILITARES ORDINES SANCTI IACOBI, ALCANTARAE, CALATRAVAE ET MONTESIAE IN HISPANIIS PERTINENTIBVS ABOLETVR; EADEMQVE TERRITORIA PROXIMIS DIOECESIBVS AGGREGANTVR.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quo gravius invalescunt et urgent mala, eo promptiora postulare remedia compertum est; idque reapse nova vulnera recenter in Hispaniis Ecclesiae iuribus inflicta, novaeque inde fidelibus excitatae anxietates et perturbationes a supremi muneris Nostri ministerio nunc instanter exigunt. In Conventione sane, quam de religiosis Hispaniarum rebus

habuimus cum Nationis illius Gubernio die 5 septembris anni 1851 (1) animum inter cetera convertimus ad incommoda in ecclesiastici regiminis detrimentum derivata « ex dispersione territorii ad quatuor Militias Sancti Iacobi, Alcantarae, Calatravae et Montesiae pertinentis » quibus, constituta tunc ratione, consulendum decrevimus occasione novae circumscriptionis dioecesium, quae in ea Conventionc facienda statuebatur. Verum cum in eorum Militarium Ordinum territoriis ob nuper latas leges cesset interim ecclesiasticum regimen, Nos tantae necessitati statim et sine ulla dilatione prospicere cogimur, ne illud plane deficiat.

Ii certe Militares Ordines, licet origine, vetustate, forma distincti, cum universi spectarent tutelam et incolumitatem fidei, propagationem christiani nominis, defensionem throni, liberationem Hispaniarum ab infidelium iugo, splendidioribus regni decoribus merito fuerunt adcensiti. Siquidem illustribus harum Militiarum, in Regulares postea Ordines conversarum, bellatoribus acceptam non semel referre debuit Hispania religionis pacem, tranquillitatem prosperitatemque suam, validissimum Regum suorum columen, et destructionem exosae funestaeque dominationis infidelium.

Romani idcirco Pontifices provectui religionis et catholicae nationis incremento studentes illos Ordines peculiari favore prosequuti fuerunt, multisque privilegiis ornarunt: Reges vero Hispani compluribus ipsos latisque ditarunt territoriis, quae, Re-

(1) Vid. Acta Pii IX vol. I pag. 311.

gibus iisdem poscentibus, Sancta haec Sedes exemit ab Ordinariorum iurisdictione, eam committens Supremis singulorum Ordinum Magistris, qui propterea ex utriusque potestatis concessione ecclesiasticam simul et civilem iurisdictionem ibi exercebant.

Serius autem, utilitate publica id postulante, Sancta eadem Sedes temporariam in Castellae Legionisque Reges transtulit administrationem Supremi Magisterii eorum Ordinum, donec Hadrianus VI, instante Carolo V Imperatore, quod ad tempus datum fuerat, perpetuo nexu iunxit solio Castellae et Legionis per Bullam « *Dum intra Nostrae mentis arcana* » diei 5 maii 1521, unde factum est, ut ad extrema usque tempora Reges Hispaniarum ecclesiasticam in ea territoria administrationem exercuerint per peculiare tribunal ex equitibus conflatum singulorum Ordinum et ab Ordinibus Militaribus nuncupatum.

Anno tamen 1851 dum actum est, uti diximus, de religiosis rebus componendis, considerata conditione iurisdictionis ecclesiasticae in territoriis hic illic per totum Hispaniarum Regnum ad praedictos Ordines spectantibus, expedire visum fuit, ut, cum perducenda foret ad actum proposita dioecesium nova circumscriptio, eadem territoria proximis dioecesibus aggregarentur. Verum ne per hoc memoria deleretur « Instituti tantopere de Ecclesia et re publica meriti » nationique servaretur nobilis huiusce suae gloriae monumentum, placuit, ut « de» finitus quidam assignaretur locorum numerus in-

» tra certum radium seu circulum consistentium » *que formen coto redondo*, ubi Magnus praedictarum Militiarum Magister ecclesiasticam iurisdictionem exercere pergat ad omnimodam eorum normam, quae in Pontificiis constitutionibus praescribuntur. »

Dum autem opportunitas rei perficiendae expectabatur Hispaniarum Gubernium, pro suo lubitu, suppressit praedictos quatuor Ordines, et necessario propterea cum ipsis peculiare illud tribunal, quod in eorum territoriis administrationem ecclesiasticam exercebat; atque ita dum e medio plane sustulit memoriam alterius e praeclarissimis Hispaniarum institutionibus, tot territoria omni prorsus ecclesiastico regimine privavit, Nosque coegit ad consulendum illico tot fidelibus eo destitutis. Cum autem per huiusmodi Militarium Ordinum suppressionem quaelibet novi territorii iisdem Ordinibus addicendi constitutio interim exclusa fuerit; non aliud Nobis de animarum salute sollicitis relictum est, nisi ut, iuxta pacta conventa, peculiari qualibet ecclesiastica iurisdictione suppressa, territoria praedicta iungamus proximis dioecesibus, ipsaque earumdem Episcoporum iurisdictioni subiiciamus.

Itaque cum mali gravitas huiusmodi remedium differri non sinat, Nos, exquisito antea VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium et nonnullorum etiam Dilectorum Filiorum Romanae Curiae Antistitum consilio, motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Conventionem exequuturi, hisce Litteris decernimus suppressionem et abolitionem ecclesiasticae iurisdictionis territo-

riorum ad praedictos Ordines Militares spectantium una cum omnibus indultis, privilegiis et facultatibus, etiam in Apostolicis Litteris contentis et speciali mentione designandis, eaque de facto e medio tollimus, extinguimus, cassamus ac delemus, et suppressa penitus et abolita ab omnibus habenda esse mandamus.

Eadem vero Apostolica auctoritate omnia et singula praedictorum Militarium Ordinum territoria et loca ad eadem quoquo modo spectantia iuxta articulum 9. commemoratae Conventionis proximis dioecesibus iungimus, aggregamus et incorporamus: videlicet territoria aut loca ad ipsa spectantia quae alicuius dioecesis limitibus undique includuntur eidem dioecesi aggregamus et incorporamus. Quae vero uni vel pluribus dioecesibus finitima sunt, priore in casu proximae dioecesi aggregamus, et incorporamus, sive de territoriis agatur, sive de seiunctis locis ad illa spectantibus: altero in casu illi dioecesi aggregamus et incorporamus, cuius ecclesiam cathedralem propiorem habent. Singulas propterea civitates, oppida, pagos, qui in praedictis territoriis existunt, eorumque incolas et quasvis ecclesias, sive collegiatas, sive parochiales et succursales, oratoria, pia quaelibet et cuiusvis nominis Instituta, beneficia ecclesiastica, aut capellanias, si quae sint, nec non monasteria sacrarum virginum ordinariae, sive a iure vel ab Apostolica Sede specialiter delegatae iurisdictionis, regimini et administrationi committimus et subiicimus Episcoporum pro tempore sedentium in iis dioecesibus, quibus eadem territoria, aut loca seiuncta

ad illa spectantia vigore praesentium Litterarum Apostolicarum aggregantur et incorporantur: ita ut iidem sacrorum Antistites in iisdem territoriis omnes et singulas facultates tam ordinarias quam extraordinarias atque etiam, uti supra, delegatas exercere valeant, quemadmodum eas exercent in propriis dioecesibus.

Ne autem huius aggregationis occasione ullum disperdatur aut pereat monumentum ad ecclesiasticum regimen necessarium et opportunum, volumus et mandamus, ut singula instrumenta, sive testamenta ad pias causas, sive demum quaecumque scripta respicientia personas, res, iura, rationesque ecclesiasticas in incorporatis territoriis existentia, sedulo exquisita et collecta ad Cancellariam transferatur singulorum Antistitum, quibus eadem territoria subiecta sunt, servanda ad perpetuam memoriam et posterorum utilitatem.

Ceterum diserte declaramus, aggregationem et incorporationem territoriorum quatuor Ordinum militarium proximis dioecesibus hisce Nostris Litteris decretam minime obfuturam sive novae dioecesium circumscriptioni, sive etiam peculiaris territorii constitutioni in Conventione propositis, si utrumque vel alterutrum ex adiunctorum mutatione quandocumque fuerit ad rem adducendum. Ad ista vero in casu perficienda, sicuti et ad constituendum, iuxta eadem pacta conventa, Titularem Episcopum in partibus infidelium, cui illius territorii ecclesiastica iurisdictio committatur, iura omnia sua huic Sanctae Sedi expresse reservamus.

Porro ut cuncta a Nobis, ut supra, disposita rite, feliciter, ac celeriter ad optatum exitum perducantur Dilectum Filium Nostrum Ioannem Ignatium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Moreno Archiepiscopum Vallisoletanum, de cuius prudentia, doctrina, atque integritate plurimam in Domino fiduciam habemus, praesentium Nostrarum Litterarum executorem nominamus, constituimus et deputamus: eique omnes et singulas ad huiusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut omnia superius ordinata, quo citius fieri possit, peragere, atque statuere delegata sibi Apostolica auctoritate libere ac licite possit et valeat; eidemque facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis executionem unam, vel plures personas in dignitate ecclesiastica constitutas subdelegare, et tam ipse, quam personae ab eo sic subdelegandae super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsitan oritura agnoscere, ac definitive pronunciare libere item ac licite possint ac valeant. Volumus insuper, ut praesentium Litterarum Executor omnium et singulorum actorum in ipsarum Litterarum executione conficiendorum exempla in authentica forma exarata ad S. Congregationem rebus Consistorialibus praepositam in eiusdem Congregationis archiviis asservanda intra quatuor menses ab harum Litterarum receptione, si fieri possit, transmittere teneatur.

Haec volumus, statuimus, praecipimus, atque mandamus, decernentes, has praesentes Litteras, et

omnia in eis contenta, ac decreta quaecumque nullo unquam tempore de obreptionis, subreptionis, aut nullitatis vitio, ex quacumque causa, etiam privilegiatissima, vel ex consuetudine, licet immemorabili, vel ex quovis alio capite, etiam in corpore iuris clauso, a nemine cuiuslibet conditionis et dignitatis, etiam Regiae et Imperialis notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, limitari, vel in controversiam vocari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore ; non obstantibus Apostolicis, generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim *de iure quaesito non tollendo*, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus insuper, ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum extinctionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem

Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri e Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo tertio pridie Idus Iulii Pontificatus Nostri anno vicesimo octavo.

F. CARD. ASQUINIUS.

C. GORI SUBDATARIVS

VISA DE CURIA
J. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ Plumbi

I. CUGNONIUS.

Reg. in Secretaria Brevium.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ABOLENTVR PRIVILEGIATAE OMNES IURISDICTIONES ECCLESIASTICAE IN HISPANIIS; IISQVE HACTENVS SUBIECTA TERRITORIA, LOCA, MONASTERIA PROXIMIS DIOECESIBVS IVNGVNTVR.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Quae diversa civilis societatis indoles diversaeque leges concedenda suaserant privilegia in fidelium utilitatem et Ecclesiae decus; ea fecit mutata serius temporum et morum ratio non solum inopportuna sed plerumque noxia. Hinc obiecta per haec libero et expedito iurisdictionis ecclesiasticae exercitio impedimenta, crebrae inter Ordinariam iurisdictionem et exemptam offensiones aliaque huiusmodi incommoda, et manans ex hisce perturbatio disciplinae scandalumque et neglectio fidelium, necessariam prorsus ostenderant componendis in Hispania religiosis rebus abolitionem cuiusvis privilegiatae iurisdictionis: opportunam autem decretae rei

perficiendae occasionem suppeditaturam esse putatum fuit novam, quae proponebatur, dioecesium circumscriptionem. Verum inopinata suppressio quatuor Militarium Ordinum Sancti Iacobi, Alcantarae, Calatravae, et Montesiae ab Hispanico Gubernio nuper peracta Nos compulit ad consulendum illico catholicis territoriorum ad eos Ordines spectantium incolis per huiusmodi suppressionem omni ecclesiastica administratione privatis; idque fecimus per Apostolicas Litteras « *Quo gravius* » hac ipsa die datas, (1) quibus quae conventa fuerant cum Hispaniarum Gubernio die 5 septembris anni 1851 exequutioni mandavimus. Illa tamen Conventione constitui praeterea placuit, eidem omnium privilegiatarum iurisdictionum incommodo per idem remedium et eodem tempore occurrendum esse: visum enim fuit absonum alicubi supprimere, alibi fovere quod aeque inopportunum ubique et periculosum evaserat. Cautum idcirco fuit disertis verbis (art. 11). « Omnes etiam iurisdictiones privilegiatae, cuiuscumque speciei sint et quomodocumque nuncupentur, penitus cessabunt, ea non exclusa, quae ad Sancti Ioannis Hierosolymitani Ordinem spectat. Subdita autem nunc iisdem iurisdictionibus territoria propriis, seu finitimis dioecesibus adiungentur in nova harum circumscriptione, prout articulo septimo statutum est, perficienda; salvis tamen, ac in suo robore mansuris quae competunt.

» 1.° Pro Cappellano Maiori Catholicae Maiestatis Suae.

(1) Vid. Lit. Apost. proxime antecedentes.

» 2.° Vicario Generali Castrensi.

» 3.° Quatuor Militiis Sancti Iacobi, Calatra-
» vae, Alcantarae et Montesiae ad sensum eorum,
» quae nono huius Conventionis articulo praedispo-
» sita sunt » *(Id est quoad novum territorium iis*
» *constituendum)*.

» 4.° Praelatis Regularibus.

» 5.° Nuntio Apostolico pro tempore circa Ec-
» clesiam et Xenodochium Italorum in hác ipsa
» urbe (*Matriti*) erectum.

» Vigebunt item speciales facultates, quae Com-
» missario Generali Cruciatae in rebus officium suum
» respicientibus iuxta delegationis Litteras aliasque
» Apostolicas concessiones respondent. »

Nos itaque spiritui et proposito Conventionis inhaerentes, in qua malum quotidie invalescens a tota Natione simul et eodem tempore amoliendum visum est, cum coacti fuerimus omnem a remedio dilationem submovere quoad quatuor Militares Ordines, opportunum omnino censemus esse, idem simul adhibere remedium ceteris quoque partibus Hispaniarum eodem incommodo laborantibus.

Quocirca, exquisito antea VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium et nonnullorum etiam Dilectorum Filiorum Romanae Curiae Antistitum consilio, motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Litteris decernimus et exequutioni mandamus pactam iam et conventam suppressionem et abolitionem universarum iurisdictionum privilegiatarum, cuiuscumque speciei sint et quomodocumque appellentur, iis non exclusis, quae vel ad Sancti Ioannis Hierosolymitani Or-

dinem spectant, vel ad quodcumque cuiuslibet nominis et instituti Monasterium Monialium, licet extraordinariis, et specialissimis privilegiis ab Apostolica Sede donatum, vel ad inferiores Praelatos saeculares huic Sanctae Sedi immediate subiectos, sive ex iis sint, qui cum propria ecclesia clericisque eius et administris, quibus praesunt, exempti sunt ab Episcopi iurisdictione, sive ex iis qui exemptam exercent iurisdictionem in Clerum et populum civitatis aut loci alicuius dioecesis ambitu conclusi, sive demum ex iis, qui in proprio et seiuncto territorio Ordinaria iurisdictione potiuntur et *Praelati Nullius* proprie nuncupantur, cum omnibus indultis, privilegiis et facultatibus, etiam in Apostolicis Litteris contentis et speciali mentione designandis; eaque de facto e medio tollimus, extinguimus, cassamus ac delemus, et suppressa penitus et abolita ab omnibus habenda esse decernimus: excepta et in suo robore manente dumtaxat privilegiata eorum iurisdictione, qui nominatim designati fuerunt in 11.° Conventionis articulo mox relato.

Quapropter eadem Nostra Apostolica auctoritate omnia et singula praedicta privilegiata territoria, iuxta articulum 11 commemoratae Conventionis, aut loca ad ipsa spectantia quae alicuius dioecesis limitibus undique includuntur eidem dioecesi aggregamus et incorporamus. Quae vero uni vel pluribus dioecesibus finitima sunt, priore in casu proximae dioecesi aggregamus et incorporamus, sive de territoriis agatur, sive de seiunctis locis ad illa spectantibus; altero in casu illi dioecesi aggrega-

mus et incorporamus, cuius ecclesiam cathedralem propiorem habent. Singulas propterea civitates oppida, pagos qui in praedictis territoriis existunt eorumque incolas et quasvis ecclesias, sive Collegiatas, sive Parochiales aut Succursales, Oratoria, pia quaelibet et cuiusvis nominis Instituta, beneficia ecclesiastica, aut capellanias, si quae sint, nec non monasteria sacrarum Virginum ordinariae sive a iure vel ab Apostolica Sede specialiter delegatae iurisdictioni, regimini et administrationi committimus et subiicimus Episcoporum pro tempore sedentium in iis dioecesibus, quibus eadem territoria aut loca seiuncta ad illa spectantia vigore praesentium Litterarum Apostolicarum aggregantur et incorporantur: ita ut iidem sacrorum Antistites in iisdem territoriis omnes et singulas facultates tam ordinarias, quam extraordinarias atque etiam, uti supra, delegatas exercere valeant, quaemadmodum eas exercent in propriis dioecesibus.

Ne autem huius aggregationis occasione ullum disperdatur aut pereat monumentum ad ecclesiasticum regimen necessarium aut opportunum, volumus et mandamus, ut singula instrumenta, sive libri, sive testamenta ad pias causas, sive demum quaecumque scripta respicientia personas, res, iura, rationesque ecclesiasticas in incorporatis territoriis existentia, sedulo exquisita et collecta ad Cancellariam transferantur singulorum Antistitum, quibus eadem territoria subiecta sunt, servanda ad perpetuam memoriam et posterorum utilitatem.

Ceterum diserte declaramus, quae hisce Nostris Litteris statuta, ac decreta sunt, minime obfutura

novae dioecesium circumscriptioni quandocumque fuerit ad rem adducenda.

Porro ut cuncta a Nobis, ut supra disposita rite, feliciter, ac celeriter ad optatum exitum perducantur Dilectum Filium Nostrum Ioannem Ignatium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Moreno Archiepiscopum Vallisoletanum, de cuius prudentia doctrina, atque integritate plurimam in Domino fiduciam habemus, praesentium Nostrarum Litterarum executorem nominamus, constituimus et deputamus; eique omnes et singulas ad huiusmodi effectum necessarias, et opportunas concedimus facultates, ut omnia superius ordinata, quo citius fieri possit, peragere, atque statuere delegata sibi Apostolica auctoritate libere, ac licite possit et valeat; eidemque facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis executionem unam, vel plures personas in dignitate ecclesiastica constitutas subdelegare, et tam ipse, quam persona vel personae ab eo sic subdelegandae super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsitan oritura agnoscere, ac definitive pronuntiare libere item ac licite possint ac valeant. Volumus insuper ut praesentium Litterarum Executor omnium et singulorum actorum in ipsarum Litterarum executione conficiendorum exempla in authentica forma exarata ad S. Congregationem rebus Consistorialibus praepositam in eiusdem Congregationis archivo asservanda intra quatuor menses ab harum Litterarum receptione, si fieri possit, transmittere teneatur.

Haec volumus, statuimus, praecepimus, atque

mandamus, decernentes, has praesentes Litteras, et omnia eis contenta, ac decreta quaecumque nullo unquam tempore de obreptionis, subreptionis, aut nullitatis vitio, ex quacumque causa, etiam privilegiatissima, vel ex consuetudine, licet immemorabili, vel ex quovis alio capite, etiam in corpore iuris clauso, a nemine cuiuslibet conditionis et dignitatis, etiam Regiae et Imperialis notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, limitari, vel in controversiam vocari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, non obstantibus Apostolicis, generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis praesertim *de iure quaesito non tollendo*, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus insuper, ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum extinctionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignatio-

nem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo tertio pridie Idus Iulii Pontificatus Nostri anno vicesimo octavo.

F. CARD. ASQVINIVS

C. GORI SUBDATARIUS

VISA DE CURIA
I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

Reg. in Secretaria Brevium.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
PRAESIDI ET CONSILIO MVNICIPII TAVBATI
PROVINCIAE SANCTI PAVLI IN BRASILIA.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Scite profecto, Dilecti Filii animadvertitis nunquam hactenus Ecclesiam insectationi fuisse obnoxiam, quae simul ferveret in orbis universi partibus, eodemque spiritu informata converteret in eius exitium arma potentiae, publicarum legum, fraudis, sophismatis, calumniae, irrisionis. Id sane demonstrat, unam tantum esse mentem quae omnia regat et moderetur; eamque aliam esse nequire quam perpetui Dei adversarii diaboli. Ipsa revera prima huius telae stamina iamdiu posuit in antris sectatorum suorum, quos vocant *Franc-Maçons*, eaque ibi paulatim explicavit contexuit; uti testantur eorumdem conventiculorum acta typis vulgata, quibus propositum conspicitur quidquid nunc fieri videmus. Re secreto et caute disposita, humani generis hostis alios e satel-

litibus suis adhibuit irretiendis Principibus, alios corrumpendae scientiae vitiandisque iuventutis animis in gymnasiis, alios decipiendo populo per commentitias historiae narrationes, fabulas, ephemerides, nefarias cantiunculas, ridiculas et impias imagines, alios publicis negociis impediendis ac subvertendis per officia iis credita; donec, ubique terrarum propagato perturbationis fermento, summa ipsa potestate potiri valuit, et regnorum vires vel avocare ab Ecclesiae tutela, vel etiam in eius exitium convertere. Verum si inferorum opera nunquam diuturniore et callidiore studio structa fuit aut formidolosiore prodita apparatu; nunquam etiam splendidius confirmatum fuit divinum oraculum: *portae inferi non praevalebunt*. Et sane Christi Vicarii vox nunquam altius et efficacius universae familiae catholicae intonuit, quam postquam civili ditione sua spoliatus fuit, et in hostium suorum potestate constitutus, ne liberam exerere valeret sacri regiminis actionem. Episcopi, postquam sacra iura a laica potestate usurpata viderunt, spretasque Ecclesiae leges ab iis qui ei subesse debent, arctius inter se coiverunt, firmius restiterunt iniqua imperantibus, proculcatamque auctoritatem verbo, scripto, factis egregie vindicarunt. Populi potentium placitis, minis, violentia, poenis oppressi erexerunt animos, propriam religiosam libertatem propugnarunt, fidem suam diserte professi fuerunt, omniaque ipsi se posthabere demonstrarunt. Atque ita dum omnes adhibebantur artes ad seiungendos populos a Pastoribus et istos ab hac Petri cathedra delendamque sic Ecclesiam; factum est, ut unitas eius et vigor multo splendi-

dius se prodiderit quam per praeterita saecula. Imo contigit etiam, ut non pauci ex heterodoxis illecti nobilitate spectaculi et iniustam indignati vim legum, quas sibi quoque futuras esse infensas perspiciebant, iura catholicorum et huiusce Sanctae Sedis defendere coeperint, ac in sanctissimae religionis nostrae doctrinam animos inclinaverint. Gratulamur idcirco vobis, Dilecti Filii, qui perplexis istis in rerum adiunctis constantiam aliorum catholicorum aemulamini, nec sine peculiari laude, cum regiones incolatis infestae *Massonicae* arboris ramis miserandum in modum occupatas. Perstate in proposito vestro, tenete indubiam Ecclesiae victoriam fuisse promissam, adeoque venenatam arborem ei nocentem esse succidendam. Accipite igitur armaturam fidei, distringite gladium spiritus, quod est verbum Dei, cavete ab insidiis diaboli, ac viriliter pugnate contra spiritualia nequitiae: simul autem vigilate in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis per orationem omni tempore in spiritu. Nos omnia auxilia coelestia vobis adprecamur, supernorumque munerum auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis, Dilecti Filii peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Iulii 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS PRAESIDI TOTIQVE CONSILIO CENTRALI SOCIETATIS INITAE PRO TVTELA REI CATHOLICAE (MASSILIAE).

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Si gaudemus, Dilecti Filii, augeri quotidie magis inter ipsas difficultates incrementa frugum iustitiae vestrae in iis omnibus, quae ad tuenda promovendaque sanctissimae religionis nostrae negocia suscepistis; gratulamur praesertim vobis de studio a societate vestra converso ad id opus, quod prae ceteris necessarium et accommodatum videtur revocandis ad Deum animis, pietati rursum excitandae, novisque calamitatibus avertendis a populo. Cum enim nefariorum hominum conventicula optatas sibi comparatura vires ad omnem ordinem subvertendum insidientur in primis vulgo eiusque filiis; nihil sane vel opportunius vel utilius esse potest istorum et religiosae civilisque societatis saluti recta piaque puerorum plebis institutione. Periucunde idcirco di-

dicimus, vos auxiliis, gratia, opera suffragari commendatissimo Dilecti Filii Canonici Timon-David operi, quod septem et viginti iam ab hinc annis institutum fingendae, ad religionem et artes operariorum proli, tot millia Massiliae praebuit proborum et industrium opificum, quorum deinde plurimi matrimonio iuncti prolem se dignam patriae genuerunt. Miramur equidem, piissimum Sacerdotem perpaucis adiutum sociis hactenus tanto operi sufficere potuisse, quod plurimis implicatum curis et indefessa sedulitate urgendum vix a multis provehi potuisse videretur. Cum tamen ipse nec perpetuo victurus sit, nec eodem semper usurus valetudinis vigore, sperandum est omnino ut tirones paret sibi sociisque sufficiendos; et quos viderit e suis alumnis ad altiora vocatos necessariis excolat disciplinis, et ad clericalia institutique sui munia obeunda exerceat. Confidimus autem, Venerabilem Episcopum vestrum omni favore et ope prosequuturum fore tam necessarium coeptum; quo neglecto, utilissimum opus cum auctore suo foret interiturum. Nos certe Deum rogamus, ut opus idem magis magisque provehat et amplificet in solidam patriae vestrae utilitatem. Interim vero favoris eius auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus Vobis, Dilecti Filii, spectabili sacerdoti, eiusque sodalibus ac omnibus, qui operi ipsius suffragantur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 17 Iulii 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

ALLOCVTIO

HABITA DIE XXV. IULII MDCCCLXXIII.
AD S. R. E. CARDINALES
IN AEDIBVS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Quod praenunciavimus, Venerabiles Fratres, dum Vos alloquebamur, exeunte praeterito anno, scilicet Nobis iterum fortasse dicendum esse de vexationibus Ecclesiae quotidie invalescentibus; id, consummato in praesentiarum iniquitatis opere tunc designato, munus Nostrum postulat a Nobis, quorum auribus insonare videtur vox illa *dicentis: Clama.*

Vix ac didicimus proponendam esse Legislativo Coetui legem, quae in hac etiam alma Urbe, sicuti in reliqua Italia, suppressura foret Religiosas Familias et obiectura publicae licitationi ecclesiastica bona, Nos, impium exsecrantes facinus, quodcumque nefariae huiusce legis schema proscripsimus, cassam declaravimus quamlibet direptorum bonorum acquisitionem, censurasque commemoravimus ipso facto incurrendas ab auctoribus et fautoribus huiusmodi legum. Verum hodie lex ista, licet non ab Ecclesia tantum confixa, veluti divino suoque iuri repugnans, sed ab ipsa legali scientia publice reprobata, utpote adversa naturali et humano cuivis

iuri, adeoque irrita suapte natura et nulla; recepta tamen fuit communi suffragio cum Legislativi Coetus, tum Senatus, ac demum Regia auctoritate sancita.

Abstinendum censemus, Venerabiles Fratres, ab iis iterandis, quae toties ad deterrendos ab ausu scelesto publicarum rerum moderatores fuse iam exposuimus de legis impietate, malitia, fine, gravissimis detrimentis; sed omnino compellimur ab officio vindicandi Ecclesiae iura, a studio praemonendi incautos, ab ipsa caritate erga sontes, elata voce nunciare iis omnibus, qui praedictam iniquissimam legem proponere, probare, sancire non extimuerunt, nec non mandantibus, fautoribus, consultoribus, adhaerentibus, executoribus, bonorumque ecclesiasticorum emptoribus, non solum irritum esse, cassum et nullum quidquid hac in re egerint aut sint facturi, sed universos maiori excommunicatione aliisque censuris et poenis ecclesiasticis iuxta sacros Canones, Apostolicas Constitutiones et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim, decreta inflictis obstringi, severissimam incurrere divinam ultionem et in aperto versari damnationis aeternae periculo.

Interea, Venerabiles Fratres, dum necessaria supremo ministerio Nostro auxilia magis in dies subducuntur, dum iniuriae iniuriis quotidie cumulantur in res et personas sacras, dum nostrates et exteri insectatores Ecclesiae studia conferre et vires coniungere videntur ad comprimendum quodlibet omnino ecclesiasticae iurisdictionis exercitium et nominatim fortasse ad praevertendam liberam illius electionem, qui in hac Petri cathedra Christi Vica-

rius sedere debeat; quid Nobis reliquum est, nisi ut impensius confugiamus ad Eum, qui dives est in misericordia ac servos suos non deserit in tempore tribulationis?

Et sane iam haud obscure virtus ostenditur Providentiae divinae in perfecta cum hac Sancta Sede coniunctione Episcoporum omnium, in nobilissima eorum firmitate adversus iniquas leges et usurpationem sacrorum iurium, in impensissimo studio totius catholicae familiae erga hoc unitatis centrum, in vivificante illo spiritu, quo fides et caritas in christiano populo roboratae et auctae passim erumpunt in opera laetissimis digna temporibus Ecclesiae.

Nitamur igitur optata maturare clementiae tempora: omnes simul, qua late patet orbis, piam vim Deo nostro inferre conemur. Universi sacrorum Antistites ad id excitent parochos, universi parochi propriam plebem; omnesque ad aras provoluti ac cernui clamemus: *veni Domine, veni, noli tardare, parce populo tuo, relaxa facinora plebi tuae, vide desolationem nostram; non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: excita potentiam tuam et veni, ostende faciem tuam et salvi erimus.*

Licet autem indignitatis nostrae conscii simus, non vereamur accedere fidenter ad thronum gratiae: hanc quaeramus per caelestes omnes, hanc nominatim per sanctos Apostolos, hanc per purissimum Deiparae Sponsum, hanc per Immaculatam praesertim Virginem quaeramus, cuius preces apud Filium imperii cuiusdam rationem habent. Sed antea mun-

dare studiose conemur conscientiam nostram ab operibus mortuis; quia *oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.* Quod ut accuratius etiam et plenius perficiatur, fidelibus omnibus, qui rite confessi et sacra communione refecti piam precibus huiusmodi pro Ecclesiae necessitatibus operam dederint, Indulgentiam plenariam semel lucrandam, et in fidelium quoque defunctorum suffragium convertendam pro eo die, quem in singulis dioecesibus Ordinarius designaverit, Apostolica auctoritate Nostra concedimus.

Itaque, Venerabiles Fratres, quamquam innumerae et sane gravissimae ingruant persecutionum et tribulationum tempestates, non propterea concidamus animo, in eo confisi, qui sperantes in se confundi non patitur; Dei enim promissio est, quae praeterire non potest: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANSELMO EPISCOPO CORISOPITENSI
CORISOPITVM (QVIMPER)

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Sicuti, Venerabilis Frater, laeti conspicimus ubique coalescere catholicas consociationes, quae et vigoris fidei indicia sunt, et aptissima eidem fovendae propugnandaeque instrumenta; sic periucunde excepimus litteras sodalium qui in ista tua Episcopali urbe primum habuerunt, te moderante, suae societatis conventum. Auspicatum autem duximus huiusmodi exordium, cum viderimus, catholicos coetus ab iis fuisse inchoatos per significationem plenae demissaeque observantiae erga Sanctam hanc Sedem et infallibile magisterium eius: nam si ipsi revera a doctrina et documentis eius nullo modo deflectant firmiterque ipsius soliditate nitantur, divina ducti et sustentati virtute eiusdem efficacem profecto et utilissimam operam impendent religiosae rei. Ab hoc certe obsequio ipsi non abducentur a scriptis et opera

insectatorum Ecclesiae et huius Petri Cathedrae, quos imo oppugnare aggrediuntur; sed lubricam errandi viam parare iis possent opiniones, quas dicunt liberales, a multis receptae catholicis, probis ceteroquin ac piis, quorum idcirco religio et auctoritas animos ad se facillime trahere potest et in perniciosissimas inclinare sententias. Moneto itaque, Venerabilis Frater, catholicae societatis sodales, Nos, dum saepe liberalium opinionum sectatores redarguimus, non de Ecclesiae osoribus egisse, quos supervacaneum fuisset indicare; sed de modo designatis, qui latens liberalium principiorum virus cum lacte haustum retinentes ac defendentes, utpote potente non foedatum malitia, et religiosis rebus, uti censent, innoxium, illud facile mentibus ingerunt, atque ita semina propagant earum perturbationum, quibus iamdiu quatitur orbis. Insidias hasce si vitare curent sodales, et praecipuas vires suas in insidiosum hunc hostem convertere nitantur, optime certe merebunt de religione et patria. Id vero omnino assequentur, si, qui decreverunt, non alio se doctrinae vento impelli sinant, quam ab eo qui spirat ab hac Cathedra veritatis. Nos faustum eorum proposito successum ominamur; atque interim superni favoris auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, totique catholicae Societati et universae Dioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 28 Iulii 1873. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. Dives in misericordia Deus calamitosissimis hisce temporibus effecit, ut dum impiorum hominum nequitia angustiis et amaritudine cor Nostrum saturatum est, plurimi e contra exurgerent ex universo catholico orbe fideles, qui moerori et afflictioni Nostrae tot amoris signis et praesertim multiplicibus Christianae pietatis operibus levamen afferre contendunt. Porro inter cetera accensendae sunt crebrae illae et frequentissimae peregrinationes ad insigniores Ecclesias seu Sanctuaria eo consilio susceptae, ut fusis precibus a Deo, totius consolationis fonte, Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae Caelitumque meritis et suffragiis, exoptatam Ecclesiae pacem et triumphum atque Sanctae Apostolicae Sedis libertatem impetrent. Verum enim vero cum

nonnullae sacrae peregrinationes, quae ad celebriora Italiae Sanctuaria erant suscipiendae, postremis etiam hisce diebus, bonorum omnium luctu interdictae fuerint, nonnulli fideles e civitate Nostra Bononiensi in eam mentem venerunt, ut catholicos universos ad spiritualem peregrinationem proximo mense Septembri peragendam invitarent, quam in tres decades dividendam proposuerunt; in prima decade opportunis et piis ad hunc finem perfusis precibus Christifideles ad Terrae Sanctae loca a Christo Domino Redemptore Nostro sanctificata spiritualiter et devote peregrinari cogitarent, in altera decade ad praecipua Italiae Sanctuaria, in tertia denique ad praecipua Sanctuaria externarum nationum. Cum vero suprascripti fideles a Nobis enixe postulaverint, ut nonnullas pro pio hoc exercitio Indulgentias benignitate Nostra Apostolica tribuere dignaremur; Nos sanctum et industrium eorum consilium summopere commendantes exhibitis postulationibus, ut infra, obsecundare libenti animo statuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti quolibet die proximi mensis Septembris praedictum pium exercitium ad spiritualem peregrinationem, ut supra, explendam peregerint; tercentum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui integra decade pium idem exercitium ad memoratam spiritualem peregrinationem peragendam

absolverint, et uno eiusdem decadis die pro lubitu eligendo vere poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua ex hisce tribus decadibus id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas omnes, et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX Augusti MDCCCLXXIII Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asquinius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

CONSTITVTIO

SVPER VICARIIS CAPITVLARIBVS NEC NON ELECTIS
ET NOMINATIS AD SEDES EPISCOPALES VACANTES.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum SS. Canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia praebeatur, atque inde Ecclesiasticae disciplinae unitas rumpatur, cum magno Ecclesiastici regiminis detrimento.

Sane iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam, Sede Episcopali vacante, Dioecesis administratio ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae devolvitur; quod olim per se ipsum Dioecesim toto tempore, quo Sedes

vacabat, administrare poterat, vel uni, aut pluribus Dioecesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi, eisque delegatam iurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi, et constringendi.

At vero Concilii Tridentini Patres animadvertentes gravissima, quae passim oriebantur, incommoda ex administratione viduatae Ecclesiae coetui personarum diversi fere ingenii concredita, ad ea vitanda sapienter decreverunt : ut *Capitulum, sede vacante, Officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur, et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque , ut praefertur , negligens fuerit , tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta, Vicarium possit constituere.* (1)

Huiusmodi vero decretum varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam iurisdictionis partem sibi reservare ; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare ; nec defuerunt qui arbitrati sunt, licere Capitulo Vicarium pro arbitrio removere, et alium substituere.

Recensitae Scriptorum sententiae a nonnullis

(1) Sess. 24 Cap. 16 de Reform.

Capitulis libenter exceptae sunt: quo factum est, ut in hac re tam magni momenti disciplinae uniformitas deficeret, et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem Sacrae Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis manifeste appareat, quae fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo decreto superius relato; attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus Apostolicae auctoritatis robur adiiciendum censemus. Quocirca Motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua Sede Episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere multoque minus removere, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu Capitulo, iuxta Bonifacii VIII Praedecessoris Nostri Constitutionem, (1) vel Capitulo deficiente, ei exhibuerit, qui, ad normam SS. Canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem Dioecesim administrat, vel eiusdem Administratorem, seu Vicarium deputat.

Quamobrem pro nullis habendae sunt limita-

(1) Extravag. *Iniunctae* de Electione inter comm.

tiones, seu quoad iurisdictionem, seu quoad tempus adiectae a Capitulo electioni Vicarii Capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi rite collatum toto tempore, quo Sedis Episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam iurisdictionem Episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis Litteras, ut diximus, exhibeat.

Hac autem occasione declaramus etiam, et decernimus ea, quae a Gregorio X Decessore Nostro in Concilio Lugdunensi 2° de electis a Capitulis constituta sunt (1) comprehendere etiam nominatos, et praesentatos a Supremis publicarum rerum Moderatoribus, sive Imperatores sint, sive Reges, sive Duces, vel Praesides, et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio iure gaudent nominandi, et praesentandi ad Sedes Episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes; abolentes idcirco, cassantes, et penitus annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel praetenso et asserto privilegio, quaesito colore, et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam Regnis seu regionibus praesertim longinquis invectum, quo Capitulum Ecclesiae Cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis concedere, et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam illius curam regimen et administrationem, eamque nominatus et praesen-

(1) Cap. *Avaritiae* de Electione in 6.

tatus sub nomine Provisoris, Vicarii Generalis, aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex iuris dispositione toto tempore vacationis Ecclesiae eam administrare, ac regere debet. Confirmantes autem alia etiam Decessorum Nostrorum, et praesertim sa. mem. Pii VII Decreta et dispositiones, declaramus et decernimus, ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis Ecclesiae Administratorem, seu Vicarium, novum quidem Vicarium, vel Administratorem eligat, nunquam vero electum in Episcopum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum ad dictam Ecclesiam vacantem, cuius electionem ac deputationem, si eam Capitulum, vel alius, uti supra, peragere praesumpserit cassamus, annullamus, et omnino irritam declaramus.

Confidimus autem Dignitates, et Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium, ac illos qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant, plene exequuturos quae hisce Nostris Litteris declarata et decreta sunt; ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint, ac concedere et transferre in nominatum ad eamdem Ecclesiam eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint, praeter nullitatem iam decretam praedictae concessionis et translationis, prae-

fatos Canonicos ac Dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum Ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum Ecclesiasticorum per eos respective obtentorum similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati, et praesentati ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen, et administrationem suscipere audent ex concessione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peractam, nec non ii, qui in praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis fuerint.

Praeterea nominatos, et praesentatos iure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administrationem vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damna-

biliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque valoris, momenti, et efficaciae esse, et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

Haec volumus, statuimus, ac mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cuiusque conditionis, et dignitatis etiam Imperialis, et Regiae, sub quovis titulo, quaesito colore, ac praetenso et asserto privilegio, quod si forte sit, cassamus, et annullamus, infringi, impugnari, vel in controversiam revocari posse, sed semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus semper sortiri et obtinere debere. Non obstantibus Apostolicis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim *de iure quaesito non tollendo*, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut facta harum Litterarum publicatione et affixione transumptorum ad valvas Basilicarum Urbis, omnes ubique Fideles, ad quos spectat, qui quomodocumque noverint eas, prout dictum est, Romae fuisse promulgatas, ad earum exequutionem perinde obstringantur, ac si personaliter singulis notificatae fuissent.

Volumus pariter, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habea-

tur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum declarationis, decisionis, annullationis, irritationis, statuti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo tertio, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo octavo.

F. Card. Asqvinivs

G. Gori Svbdatarivs

Visa de Curia
I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

Reg. in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo septuagesimo tertio die vero V mensis Octobris indictione I. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Pii Divina Providentia Papae IX anno XXVIII supradictae Litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum maiorum Urbis per me Vincentium Benaglia Apostolicum Cursorem.

Philippus Ossani Magister Cursorum

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quae in rem catholicam apprime esse videantur, ea mature interposita Apostolica Nostra auctoritate decernimus. Relatum est Nobis in Provincia Hibernensi Strictioris Observantiae S. Francisci a tempore persecutionis consuetudinem vigere, ex qua Guardiani titulares Conventuum, qui suppressi fuerant, eliguntur cum iure concurrendi ad electiones Capitulares, perinde ac si Guardiani actuales existant. Huiusmodi praxim Urbanus VIII Praedecessor Noster recolendae memoriae, Apostolicis suis Litteris in forma Brevis die XXVII mensis Decembris anni reparatae salutis MDCXLII datis probavit. At enim cum nunc, mutata temporum conditione, causae cessaverint, quae dictum Praedecessorem Nostrum ad id faciendum adduxerunt, cumque ad disciplinam laudatae Provinciae Hibernensis haud parum conferre visum fuerit, si ius commune quod ad Guardianorum

electionem in ea instauretur, statim Nos ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium propagandae Fidei praepositam integrum negotium detulimus. Itaque omnibus rei momentis sedulo attenteque perpensis, auditoque dilecti filii Ministri Generalis Ordinis S. Francisci voto, de memoratorum Venerabilium Fratrum consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, hisce Litteris consuetudinem superius expressam penitus abolemus; atque idcirco Apostolicis Urbani VIII Litteris, quae supra scriptae sunt derogamus; easque nullas atque irritas declaramus, edicimus, atque nullum amplius hac in re vim habere volumus, constituimus decernimus. Non obstante Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedec. Nostri fel. recordationis super divisione materiarum, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III Octobris MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Ex parte Imperialis Gubernii Russiaci expositum Nobis est, Mohiloviensem Archiepiscopum iugiter Petropoli commoratum esse, manente tamen in sua Sede eiusdem Archiepiscopi Consistorio et Capitulo. Plura inde et gravia ex maxima distantia, quae Archiepiscopum a suo Capitulo et Consistorio separat, oriuntur incommoda, ipsaque dioecesis procuratio detrimentum capit. Ad haec exponitur, Petropoli triginta circiter catholicorum millia numerari, dum Mohiloviae nonnisi bis mille et quingenti adsunt catholici. Relatum praeterea est imperiale Gubernium Ecclesiam Petropoli in catholicorum usum aedificasse, quae splendide ornata, necessaria supellectili instructa et in honorem Deiparae Virginis ad caelum

evectae ab Archiepiscopo rite dedicata septingentas circiter personas potest continere, idemque imperiale Gubernium in eiusdem Ecclesiae et in aedium pro Archiepiscopo eiusque Capitulo et Consistorio extructionem decies centena millia ducena quinquagena millia francorum nummûm constituisse, item ad tuitionem aedificii et ad sustentationem personarum, quae illius curam gerent, triginta sex mille francos nummos assignasse, habitaque carioris exhibitionis Petropoli, censum Capituli annuis vicenis quinis millibus francorum nummûm auxisse. Expositum insuper est, deficiente Mohiloviae Archiepiscopali Seminario, ad haec enim usque tempora istius dioecesis clerici in Minscensi Seminario instituebantur, imperiale Gubernium penes Archiepiscopale Palatium aedes pro Seminario extruendas curare, et interim satis amplam in promptu haberi domum clericis Mohiloviensis dioecesis precario excipiendis. Hinc imperiale Gubernium, audito Venerabili Fratre Antonio Fijalkowski Mohiloviensium Archiepiscopo, petit ut memoratum Capitulum et Consistorium Mohilovia Petropolim transferatur. Nos ex Apostolici ministerii Nostri debito illorum fidelium bonum et commodum summopere optantes, peculiaribus rerum adiunctis et causis supradictis maturo examine perpensis, huiusmodi votis annuendum censuimus. Quare omnes et singulos, quibus hae litterae Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis quovis modo vel quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Venerabili Fratri Antonio

Archiepiscopo Mohiloviensi facultatem Apostolica Auctoritate Nostra tenore praesentium impertimur, cuius vi praedictum Capitulum et Consistorium transferri Petropolim licite possit, quin tamen neque Cathedra, neque Archiepiscopalis titulus in novam Ecclesiam Petropoli pro Catholicis, ut supra dictum est, exstructam, et in qua ecclesiasticae caeremoniae sacrique ritus ab Archiepiscopo, eiusque Capitulo celebrabuntur, transferatur: Cathedram enim et Archiepiscopalem titulum Mohiloviensi Ecclesiae servari volumus, ita ut Archiepiscopus Mohiloviensem titulum retinere debeat, et supradictum Capitulum habeatur semper et nominetur Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Mohiloviensis. Proinde praecipimus, ut Metropolitani templi Mohiloviensis cultus ea, quae illius dignitatem decet, ratione servetur, et ad praefati templi splendorem idem Archiepiscopus curabit, ut alter e Suffraganeis suam inibi sedem habeat. Mansio autem, quam ex dicta translatione Archiepiscopus et Capitulum Petropoli habebit, ex Apostolicae dispensationis Nostrae vi est et erit omnino intelligenda, nihilque, et nullatenus ex hac translatione innovari seu immutari quod ad ea, quae Sancta haec Sedes Apostolica de Catholico Romano Conlegio Petropolis constituit ac decrevit, hisce Litteris Nostris declaramus et volumus. Quod vero ad dioecesanum Seminarium Mohiloviense, ex dispensatione ut supra Petropoli instituendum, mandamus ut omnia et singula, quae a Sacrosancta Synodo Tridentina praecipiuntur, accurate diligenterque serventur. Non obstantibus quamvis speciali et individua mentione ac

derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV Novembris MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Etsi multa luctuosa et acerba pati ex ipsis diuturni Nostri Pontificatus exordiis Nobis contigerit variis de causis, quas in litteris encyclicis crebro ad Vos datis explicavimus; adeo tamen postremis hisce annis crevit aerumnarum moles, ut ea paene obrueremur, nisi Nos divina benignitas sustentaret. Imo vero modo res eo devenit, ut mors ipsa vitae tot fluctibus exagitatae praestare videatur, et elatis in caelum oculis exclamare cogamur interdum: *melius est nos mori, quam videre mala sanctorum* (1). Scilicet ex quo alma haec Urbs Nostra, permittente Deo, armorum vi capta, hominumque regimini subacta fuit contemptorum iuris, religionis hostium, qui-

(1) Machab. 3. 59.

bus humana omnia et divina promiscua sunt, nulla ferme dies transiit, quin aliis atque aliis iniuriis atque vexationibus cordi Nostro iam saucio novum aliquod vulnus infligeretur. Personant adhuc ad aures Nostras questus et gemitus virorum et virginum e religiosis familiis, quae a suis sedibus exturbatae et egentes, hostili more profligantur ac disiiciuntur, quemadmodum in iis locis fieri solet ubicumque ea factio dominatur, quae ad socialem ordinem pervertendum intendit; quippe velut, Athanasio teste, magnus inquiebat Antonius, omnes quidem christianos diabolus odit, sed probos monachos, Christique virgines tolerare nullo modo potest. Illud etiam nuper vidimus, quod nunquam futurum suspicabamur, sublatam et abolitam Universitatem Nostram Gregorianam ideo institutam, ut ad eam (iuxta veteris auctoris effatum de Romana Anglo-saxonum schola scribentis) iuniores clerici e longinquis etiam regionibus in doctrina et fide catholica erudiendi venirent, ne quid in suis ecclesiis sinistrum, aut catholicae unitati contrarium doceretur, et sic in fide stabili roborati ad propria remearent. Ita dum per nefarias artes paulatim omnia Nobis subducuntur praesidia et instrumenta, quibus Ecclesiam universam regere ac moderari valeamus, luculenter patet, quantopere a veritate abhorreat quod affirmatum fuit, nihil esse imminutum, urbe Nobis adempta, de libertate Romani Pontificis in exercitio spiritualis ministerii et in iis agendis quae ad catholicum pertinent orbem; simulque manifestius quotidie evincitur, quam vere ac merito declaratum toties a Nobis et inculcatum fuerit, sacrilegam ditionis Nostrae usur-

pationem eo praesertim spectasse, ut Pontificii Primatus vis et efficacia frangeretur, ipsaque tandem catholica religio, si fieri posset, plane deleretur.

Verum non hoc Nobis potissime constitutum est ut de iis malis ad Vos scriberemus, quibus Urbs haec Nostra et universa simul divexatur Italia: imo angores hosce Nostros moesto fortasse premeremus silentio, si divina daretur clementia, lenire Nos posse dolores acerrimos, quibus tot Venerabiles Fratres sacrorum Antistites eorumque Clerus et populus in aliis regionibus cruciantur.

Vos enimvero non latet, Venerabiles Fratres, quosdam ex Helveticae Foederationis Pagis, non tam ab heterodoxis compulsos, quorum imo nonnulli facinus reprobarunt, quam ab actuosis sectarum asseclis hodie passim rerum potitis, omnem pervertisse ordinem, ipsaque suffodisse constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta non modo contra quamlibet iustitiae rationisque normam, sed obstante etiam data publice fide; quum ex solemnibus pactis, suffragio et auctoritate quoque legum Foederationis munitis, sartam tectam catholicis manere oporteret religiosam libertatem. Deploravimus equidem in Allocutione Nostra habita die 23 Decembris anni praeteriti illatam religiosae rei vim ab illorum Pagorum Guberniis « sive decernendo de dogmatibus catholicae fidei, sive favendo apostatis, sive exercitium intercipiendo episcopalis potestatis. » At vero iustissimae quaerelae Nostrae, exhibitae etiam, mandantibus Nobis, foederali Consilio a Nostro Negotiorum Gestore, neglectae plane fuerunt, nec aequior ratio habita fuit expostulationum a catholicis cuiusvis ordinis, et

ab Helvetico Episcopatu iterum atque iterum editarum; quin imo irrogatae primae iniuriae novis et gravioribus cumulatae sunt.

Nam post violentam eiectionem Venerabilis Fratris Gasparis Episcopi Hebronensis et Vicarii Apostolici Gebennensis, quae tam decora et gloriosa patienti, quam foeda et indecora mandantibus atque exequentibus extitit, Gebennense Gubernium diebus 12 Martii et 27 Augusti huius anni duas promulgavit leges plane consentaneas edicto proposito mense Octobri superioris anni, quod in memorata Allocutione fuerat a Nobis improbatum. Nimirum idem Gubernium sibi ius arrogavit refingendi in eo Pago constitutionem Ecclesiae catholicae, eamque exigendi ad democraticam formam, subiiciens Episcopum cum quoad exercitium propriae iurisdictionis et administrationis, tum quoad potestatis suae delegationem auctoritati civili; vetans ne in Pago illo domicilium haberet; definiens paroeciarum numerum et limites; proponens formam et conditiones electionis parochorum et vicariorum, casusque et modum revocationis eorum aut suspensionis ab officio; tribuens laicis hominibus ius illos nominandi, laicis item credens temporalem cultus administrationem, eosque, inspectorum instar, rei ecclesiasticae generatim praeficiens. Cautum praeterea his legibus, ut sine Gubernii venia, et hac quidem revocabili, parochi et vicarii functiones nullas exercerent, nullas dignitates acciperent illis ampliores quam per populi electionem essent adepti, iidemque a potestate civili ad iusiurandum adigerentur in ea verba quibus veri nominis apostasia continetur. Ne-

mo non videt huiusmodi leges non solum irritas et nullius roboris esse ex omnimodo potestatis defectu in legislatoribus laicis et ut plurimum heterodoxis; sed etiam in iis quae praecipiunt sic adversari catholicae fidei dogmatibus, et ecclesiasticae disciplinae per oecumenicam Synodum Tridentinam et Pontificias constitutiones sancitae, ut eas omnino a Nobis improbari damnarique oporteat.

Nos itaque ex officii Nostri debito, auctoritate Nostra Apostolica eas solemniter reprobamus et condemnamus; declarantes simul, illicitum esse ac plane sacrilegum iuramentum ab ipsis indictum; eosque propterea omnes, qui in Gebennensi tractu aut alibi iuxta earumdem legum decreta aut non absimili modo, suffragante populo et confirmante civili potestate electi, audeant obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrere in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam huic Sanctae Sedi, aliasque poenas canonicas; adeoque eos omnes fugiendos esse a fidelibus, iuxta divinum monitum, tamquam alienos et fures qui non veniunt nisi ut furentur, mactent et perdant (1).

Tristia quidem et funesta haec sunt, quae hactenus commemoravimus, sed funestiora etiam contigerunt in quinque ex septem Pagis, quibus constat Basileensis Dioecesis, nempe Soloduri, Bernae, Basileae-campestris, Argoviae, Turegi. Ibi quoque de paroeciis, deque parochorum atque vicariorum electione et revocatione leges latae sunt Ecclesiae regimen, divinamque constitutionem evertentes, eccle-

(1) Ioan. 10, 5. 10.

siasticum ministerium saeculari dominationi subiicientes et omnino schismaticae; quas proinde, eamque nominatim, quae lata est a Gubernio Solodurensi die 23 Decembris anno 1872, reprobamus et damnamus, et tamquam reprobatas et damnatas perpetuo habendas decernimus. Quum porro Ven. Frater Eugenius Episcopus Basileensis iusta indignatione et Apostolica constantia reiecisset articulos quosdam in conciliabulo seu *conferentia,* ut aiunt, *dioecesana,* ad quam convenerant Delegati quinque Pagorum supra dictorum, constitutos, sibique propositos, et omnino necessariam haberet reiiciendi causam, quod episcopalem auctoritatem laederent, regimen hierarchicum subverterent, et haeresi faverent aperte; ob eam rem ab Episcopatu deiectus, a suis aedibus abstractus, et in exilium violenter actus fuit. Tum nullum fraudis aut vexationis genus omissum, ut in quinque Pagis praedictis clerus et populus in schisma induceretur: interdictum clero a quolibet commercio cum Pastore exulante, iussumque datum cathedrali Capitulo Basileensi, ut ad electionem Vicarii Capitularis vel Administratoris conveniret, perinde ac si Sedes episcopalis reapse vacaret; quod facinus indignum strenue Capitulum edita protestatione ab se reiecit. Interim decreto et sententia Magistratuum civilium Bernensium novem et sexaginta parochis territorii Iurensis primo indictum est ne ministerii sui functiones obirent, dein vero abdicatum officium, hac una de causa quod palam testati essent, sese legitimum Episcopum et Pastorem Ven. Fratrem Eugenium unice agnoscere, seu nolle se turpiter ab unitate catholica desciscere. Quo factum est, ut totum

illud territorium quod catholicam fidem constanter retinuerat, et Bernensi Pago iampridem iunctum fuerat ea lege pactoque ut religionis suae liberum atque inviolatum exercitium haberet, paroecialibus concionibus, solemnibus baptismatis, nuptiarum et funerum privaretur, conquerente frustra et reclamante fidelium multitudine iam per summam iniuriam in hoc discrimen adducta, ut vel schismaticos haereticosque pastores politica auctoritate intrusos recipere, vel quocumque sacerdotum auxilio et ministerio destitui cogatur.

Nos utique Deo benedicimus qui eadem gratia, qua martyres olim erigebat et confirmabat, sustentat modo ac roborat eam partem electam catholici gregis, quae viriliter sequitur Episcopum suum opponentem murum pro domo Israel ut stet in praelio in die Domini (1), et nescia formidinis vestigiis ingreditur ipsius Capitis martyrum Iesu Christi, dum agni mansuetudinem ferociae luporum obiiciens fidem suam alacriter constanterque propugnat.

Nobilem hanc Helvetiorum fidelium constantiam aemulatur haud minori commendatione clerus populusque fidelis in Germania, qui et ipse sequitur exempla illustria Praesulum suorum. Hi enimvero spectaculum facti sunt mundo et angelis et hominibus, qui eosdem indutos catholicae lorica veritatis et galea salutis praelia Domini straenue praeliari undique circumspiciunt, eorumque animi fortitudinem invictamque constantiam eo magis admirantur et eximiis laudibus extollunt, quo magis in

(1) Ezech. 13, 5.

dies invalescit acerrima persecutio adversus eos commota in Germanico Imperio ac potissimum in Borussia.

Praeter multas et graves iniurias catholicae Ecclesiae superiori anno irrogatas, Gubernium Borussicum durissimis et iniquissimis perlatis legibus a pristino more prorsus alienis universam Clericorum institutionem et educationem laicae potestati ita subiecit, ut ad hanc pertineat inquirere ac decernere, quomodo clerici erudiendi ac fingendi sint ad sacerdotalem vitam et pastoralem; atque ulterius progrediens eidem potestati ius tribuit cognoscendi et iudicandi de collatione cuiusvis officii et beneficii ecclesiastici, atque etiam sacros Pastores officio et beneficio privandi. Praeterea quo celerius et plenius ecclesiasticum regimen et hierarchicae subiectionis ordo ab ipso Christo Domino constitutus subverteretur, plura ab iisdem legibus iniecta sunt impedimenta Episcopis quominus per censuras poenasque canonicas sive animarum saluti, sive sanitati doctrinae in scholis catholicis, sive obsequio sibi a clericis debito opportune prospiciant: non aliter enim per eas leges fas est Episcopis haec agere, quam iuxta placitum civilis auctoritatis et ad normam ab ipsa propositam. Demum nequid deesset quo catholica Ecclesia penitus opprimeretur, regium tribunal pro ecclesiasticis negotiis institutum fuit, quo vocari possint Episcopi sacrique Pastores cum a privatis hominibus qui iis subsunt, tum a publicis magistratibus, ut reorum instar iudicium sustineant, et in exercitio spiritualis muneris coerceantur.

Sic Ecclesia Christi sanctissima, cui solemni-

bus etiam iteratisque supremorum Principum sponsionibus, publicisque pactis conventis asserta fuerat necessaria et plena religionis libertas, nunc luget in iis locis omni suo spoliata iure, et infestis obnoxia viribus quae extremum illi minantur excidium; novae enim leges eo pertinent, ne amplius possit existere. Nil mirum igitur quod religiosa tranquillitas pristina graviter eo in Imperio perturbata fuerit ab huiusmodi legibus aliisque Borussici Gubernii consiliis et actibus Ecclesiae infensissimis. At perturbationis huius culpam perperam omnino coniicere quis vellet in Germanici Imperii Catholicos. Nam si istis vitio vertendum est, quod legibus illis non acquiescant, quibus salva conscientia acquiescere nequeunt, pari de causa parique modo taxandi essent Iesu Christi Apostoli et Martyres qui atrocissima quaeque supplicia et mortem ipsam subire maluerunt, quam proprium prodere officium sanctissimaeque suae religionis iura violare, impiis obsequendo persequutorum Principum mandatis. Sane, Venerabiles Fratres, si praeter leges civilis imperii aliae nullae extarent, et hae quidem sublimioris ordinis, quas agnoscere oportet, violare nefas; si propterea civiles eaedem leges supremam constituerent conscientiae normam, sicut impie iuxta et absurde quidam contendunt, reprehensione potius quam honore et laude digni forent primaevi martyres et qui deinceps eos sequuti sunt dum pro Christi fide et Ecclesiae libertate sanguinem fuderunt; imo vero ne licuisset quidem obstantibus legibus invitisque principibus christianam tradere et propagare religionem, Ecclesiamque fundare. Fides tamen docet, et huma-

na ratio demonstrat, duplicem existere rerum ordinem, simulque binas distinguendas esse potestates in terris, alteram naturalem quae humanae societatis tranquillitati et saecularibus negotiis prospiciat, alteram vero, cuius origo supra naturam est, quae praeest civitati Dei, nimirum Ecclesiae Christi ad pacem animarum et salutem aeternam divinitus instituta. Haec autem duplicis potestatis officia sapientissime ordinata sunt, ut reddantur quae sunt Dei Deo, et propter Deum quae sunt Caesaris Caesari; qui *ideo magnus est, quia caelo minor est; illius enim est ipse, cuius caelum est et omnis creatura* (1). A quo certe divino mandato nunquam deflexit Ecclesia, quae semper et ubique fidelium suorum animis ingerere contendit obsequium, quod inviolabiliter servare debent erga supremos Principes, eorumque iura quoad saecularia; docuitque cum Apostolo, esse Principes non timori boni operis sed mali, iubens fideles subditos esse non solum propter iram, quia Princeps gladium portat vindex in iram ei qui malum agit, sed etiam propter conscientiam, quia in officio suo Dei minister est (2). Hunc autem Principum metum ipsa cohibuit ad opera mala, eumdem plane excludens a divinae legis observantia, memor eius quod fideles docuit beatus Petrus: *nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine* (3).

(1) Tertull. apolog. cap. 30.
(2) Rom. 13, 3. seqq.
(3) I Petr. 4, 14. 15.

Quae cum ita sint, facile intelligetis, Venerabiles Fratres, quanto animi dolore Nos affici oportuerit legentes in epistola nuper ad Nos data ab ipso Germanico Imperatore criminationem non minus atrocem quam insperatam adversus partem, ut ipse ait, catholicorum sibi subditorum, praesertim vero adversus catholicum Germaniae Clerum et Episcopos. Cuius criminationis ea causa est quod hi nec vincula et tribulationes verentes nec facientes animam suam pretiosiorem quam se (1), parere recusent commemoratis legibus, eadem constantia, qua priusquam illae iuberentur, protestati fuerant denunciantes earum vitia, expostulationibus explicata gravibus, luculentis, solidissimis, quas toto plaudente orbe catholico et non paucis etiam ex heterodoxis, Principi, Administris eius, atque ipsis supremis Regni Comitiis exhibuerant. Ob eam rem nunc ipsi perduellionis crimine insimulantur, quasi in unum consentiant et conspirent cum iis qui omnes humanae societatis ordines perturbare nituntur, posthabitis innumeris, praeclarisque argumentis, quae inconcussam eorum fidem et observantiam in Principem, studiumque incensum erga patriam evidenter testantur. Imo Nos ipsi rogamur, ut catholicos illos et sacros Pastores adhortemur ad earum legum observantiam, quod eo valet ut Nostram Ipsi operam gregi Christi opprimendo et dispergendo conferamus. Verum Deo freti confidimus, serenissimum Imperatorem, rebus melius compertis ac perpensis, reiecturum suspicionem tam inanem atque incredibilem erga subditos fidelissimos

(1) Act. 20, 24.

conceptam, neque passurum diutius, ut eorum honor tam foeda discerpatur obtrectatione, et immerita adversus illos perduret insectatio. Ceterum Imperialem hanc epistolam ultro praeteriissemus hoc loco, nisi, Nobis plane inscii et more certe insueto, vulgata fuisset ab officiali Berolini ephemeride una cum alia manu Nostra exarata, qua serenissimi Imperatoris iustitiam pro Ecclesia catholica in Borussia appellavimus.

Haec quae hucusque recensuimus, ante omnium oculos posita sunt: quare dum coenobitae et Deo devotae virgines communi omnium civium libertate privantur et immani asperitate eiiciuntur, dum publicae scholae, in quibus catholica iuventus instituitur, a salutari Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis eximuntur, dum sodalitia ad pietatem fovendam instituta ipsaque Clericorum Seminaria dissolvuntur, dum libertas intercipitur evangelicae praedicationis, dum elementa religiosae institutionis in nonnullis regni partibus materna lingua tradi prohibentur, dum a suis abstrahuntur paroeciis Curiones quos iisdem Episcopi praefecerunt, dum Praesules ipsi redditibus privantur, coercentur multis, carceris comminatione terrentur, dum catholici omnigenis vexationibus exagitantur; fierine potest, ut in animum inducamus quod Nobis subiicitur, neque religionem Iesu Christi neque veritatem in causam vocari?

Neque hic finis iniuriarum quae catholicae Ecclesiae inferuntur. Nam accedit etiam patrocinium a Borussico, aliisque Guberniis Germanici Imperii aperte susceptum pro novis illis haereticis, qui se *Veteres-*

catholicos dicunt per eiusmodi nominis abusionem, quae ridicula plane foret, nisi tot errores monstrosi istius sectae adversus praecipua catholicae fidei principia, tot sacrilegia in re divina conficienda et in sacramentorum administratione, tot gravissima scandala, tanta demum animarum Christi sanguine redemptarum pernicies vim lacrimarum potius ab oculis exprimerent.

Et sane quid moliantur ac spectent miserrimi isti perditionis filii luculenter patet tum ex aliis eorum scriptis tum maxime ex impio illo et impudentissimo quod nuper ab eo vulgatum fuit, quem ipsi modo pseudo episcopum sibi constituerunt. Quandoquidem insidiantur ac pervertunt veram iurisdictionis potestatem in Romano Pontifice et Episcopis beati Petri et Apostolorum successoribus, eamque ad plebem seu, ut aiunt, ad communitatem transferunt; reiiciunt praefracte et oppugnant magisterium infallibile cum Romani Pontificis, tum totius Ecclesiae docentis; et adversus Spiritum Sanctum a Christo promissum Ecclesiae ut in ea maneret in aeternum, ausu incredibili affirmant, Romanum Pontificem, nec non universos Episcopos, sacerdotes et populos unitate fidei et communionis cum eo coniunctos in haeresim incidisse, quum definitiones oecumenici Concilii Vaticani sanxerunt et professi sunt. Eapropter denegant etiam indefectibilitatem Ecclesiae, blasphemantes ipsam in toto periisse mundo, proindeque visibile eius Caput et Episcopos defecisse: ex quo sibi ferunt necessitatem impositam legitimi episcopatus instaurandi in suo pseudo-episcopo, qui non

per ostium sed aliunde ascendens, uti fur et latro, in suum ipse caput Christi damnationem convertit.

Nihilosecius infelices isti, qui catholicae religionis fundamenta suffodiunt, qui notas eius omnes et proprietates evertunt, qui tam foedos et multiplices commenti sunt errores, seu potius deprommptos e veteri haereticorum penu et simul collectos in medium protulerunt, minime erubescunt se catholicos dicere, et *veteres-catholicos*, dum doctrina, novitate et numero suo utramque a vetustatis et catholicitatis notam quam maxime abiudicant. Potiori certe iure adversus istos, quam olim per Augustinum contra Donatianos, exurgit Ecclesia in omnes diffusa gentes, quam Christus Filius Dei vivi aedificavit super petram; adversus quam portae inferi non praevalebunt; et quacum Ipse, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, se esse dixit omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. « Clamat » Ecclesia ad sponsum suum aeternum: quod ne» scio qui recedentes a me murmurant contra me? » Quid est quod perditi me periisse contendunt? » Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum: quam» diu ero in hoc saeculo? Annuntia mihi propter » illos, qui dicunt: fuit et iam non est; propter » illos, qui dicunt: impletae sunt scripturae, cre» diderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit » Ecclesia de omnibus gentibus. Et annuntiavit, nec » vacua fuit vox ista, Quod annuntiavit? *Ecce ego* » *vobiscum sum usque in consummationem saeculi*. » Mota vocibus vestris et falsis opinionibus vestris » quaerit a Deo, ut exiguitatem dierum suorum an» nuntiet sibi; et invenit Dominum dixisse: *Ecce*

» *ego vobiscum sum usque in consummationem sae-*
» *culi.* Hic vos dicitis : De nobis dixit ; nos sumus
» ut erimus usque in consummationem saeculi. In-
» terrogetur ipse Christus : *Et praedicabitur,* inquit,
» *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium*
» *omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Ergo usque
» in finem saeculi Ecclesia in omnibus gentibus.
» Pereant haeretici, pereant quod sunt, et invenian-
» tur ut sint quod non sunt (1) ».

Sed homines isti per iniquitatis et perditionis viam audacius progressi, ut iusto Dei iudicio haereticorum sectis usuvenit, hierarchiam quoque sibi fingere voluerunt, sicuti innuimus, ac notorium quemdam a catholica fide apostatam Iosephum Hubertum Reinkens pseudo-episcopum sibi elegerunt et constituerunt ; atque ut nihil impudentiae deesset, pro consecratione eius ad illos confugerunt Ultraiectenses Iansenianos, quos ipsi, antequam ab Ecclesia desciscerent, haereticos et schismaticos ducebant una cum ceteris catholicis. Iosephus tamen ille Hubertus audet se dicere episcopum, et, quod fidem excedit, tanquam episcopus catholicus, edito decreto, agnoscitur et nominatur a serenissimo Germaniae Imperatore, ac iusti episcopi loco habendus et observandus subditis universis proponitur. Atqui vel ipsa catholicae doctrinae rudimenta declarant, nullum posse legitimum Episcopum haberi, qui fidei et caritatis communione non iungatur Petrae, super quam una aedificata est Ecclesia Christi ; qui supremo non adhaereat Pastori, cui omnes Christi oves pascendae com-

(1) August. in Psalm. 101 enarrat. 2. num. 8. 9.

missae sunt; qui non devinciatur confirmatori fraternitatis, quae in mundo est. Et sane « ad Petrum » locutus est Dominus; ad unum ideo, ut unitatem » fundaret ex uno (1) »; Petro « magnum et mi- » rabile consortium potentiae suae tribuit divina » dignatio, et si quid cum eo commune ceteris voluit » esse principibus, nunquam, nisi per ipsum, dedit » quod aliis non negavit (2) » Hinc est, quod ab hac Apostolica Sede, ubi beatus Petrus « vivit et » praesidet et praestat quaerentibus fidei verita- » tem (3), in omnes venerandae communionis iura » dimanant (4) »; et hanc eamdem sedem « ecclesiis » toto orbe diffusis velut caput suorum certum est » esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit » christianae religionis extorris, cum in eadem non » coeperit esse compage » (5).

Hinc sanctus martyr Cyprianus de schismatico disserens pseudo-episcopo Novatiano ipsam ei negavit *christiani* appellationem, utpote seiuncto et abscisso ab Ecclesia Christi. « Quisquis ille est, inquit, et » qualiscumque est, christianus non est qui in Christi » Ecclesia non est. Iactet se licet, et philosophiam » vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet; » qui nec fraternam caritatem, nec ecclesiasticam

(1) Pacianus ad Sympron. ep. 3. n. 11. Cyprian. de unit. Eccl. Optat. contra Parmen. lib. 7. n. 3. Siricius ep. 5. ad Episcopos. Afr. Innoc. I. epp. ad Victric. ad conc. Carthag. et Milev.

(2) Leo M. serm. 3. in sua assumpt. Optat. lib. 2. n. 2.

(3) Petr. Crys. ep. ad Eutich.

(4) Concil. Aquil. inter. epp. Ambros. ep. 11 num. 4. Hieron. ep. 14 et 16 ad Damas.

(5) Bonif. I. ep. 14. ad Episcopos Thessal.

» unitatem retinuit, etiam quod prius fuit amisit.
» Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mun-
» dum in multa membra divisa, item episcopatus
» unus episcoporum multorum concordi numerositate
» diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam
» et ubique coniunctam catholicae Ecclesiae unita-
» tem, humanam conatur ecclesiam facere. Qui ergo
» nec unitatem spiritus, nec coniunctionem pacis
» observat, et se ab Ecclesiae vinculo et a sacer-
» dotum collegio separat, episcopi nec potestatem
» potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec
» unitatem voluit tenere, nec pacem (1) ».

Nos igitur qui in suprema hac Petri cathedra ad custodiam fidei catholicae et ad servandam ac tuendam universalis Ecclesiae unitatem, licet immerentes, constituti sumus, Decessorum Nostrorum sacrarumque legum morem atque exemplum sequuti, tradita Nobis a caelo potestate, non solum electionem memorati Iosephi Huberti Reinkens, contra sacrorum canonum sanctionem factam, illicitam, inanem et omnino nullam, eiusque consecrationem sacrilegam declaramus, reiicimus ac detestamur; sed et ipsum Iosephum Hubertum, et qui eum eligere attentarunt, et qui sacrilegae consecrationi operam commodarunt, et quicumque iisdem adhaeserint, eorumque partes sequuti opem, favorem, auxilium, aut consensum praebuerint, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et in eorum numero habendos esse, a quorum consuetudine congressuque sic omni-

(1) Cyprian. contra Novatian. ep. 52. ad Antonian.

bus Christifidelibus interdixit Apostolus, ut nec ave illis dicere diserte praeceperit (1), declaramus, edicimus et mandamus.

Ex his quae deplorando magis quam enarrando attigimus, Venerabiles Fratres, satis vobis perspectum est, quam tristis et periculo plena sit in iis quas significavimus Europae regionibus Catholicorum conditio. Neque vero commodius res agitur, aut pacatiora sunt tempora in America, cuius regiones nonnullae ita Catholicis infestae sunt, ut earum Gubernia factis negare videantur catholicam quam profitentur fidem. Ibi enim aliquot abhinc annis bellum asperrimum contra Ecclesiam, eiusque institutiones et iura huius Apostolicae Sedis coepit commoveri. Haec si prosequeremur, Nobis non deesset oratio; cum autem propter rerum gravitatem obiter perstringi non possint, de illis alias fusius agemus.

Mirabitur fortasse quispiam ex Vobis, Venerabiles Fratres, tam late patere bellum quod aetate nostra Ecclesiae catholicae infertur. Verum quisquis probe noverit indolem, studia, propositum sectarum, sive masonicae dicantur, sive alio quovis nomine veniant, eaque conferat cum indole, ratione, amplitudine huius concertationis, qua ferme ubique terrarum Ecclesia impetitur, ambigere non poterit, quin praesens calamitas fraudibus et machinationibus earumdem sectarum potissimum accepta referenda sit. Ex his namque coalescit synagoga Satanae quae contra Ecclesiam Christi suas instruit copias, infert signa, et manum conserit. Hasce iampridem ab ipsis

(1) II Ioan. v. 10.

exordiis Praedecessores Nostri, vigiles in Israel, regibus et gentibus denunciarunt, has deinde iterum iterumque damnationibus suis perculerunt; neque Nos ipsi huic officio defuimus. Utinam supremis Ecclesiae Pastoribus maior habita fuisset fides ab iis, qui pestem tam exitiosam potuissent avertere! At illa per sinuosos anfractus irrepens, opere nunquam intermisso, versutis fraudibus multos decipiens, eo tandem devenit, ut e latebris suis erumperet, seque iam potentem dominamque iactaret. Aucta in immensum adlectorum turba, putant nefarii illi coetus se voti iam compotes factos ac metam praestitutam tantum non attigisse. Id assequuti aliquando, quod tamdiu inhiaverant, ut pluribus in locis rerum summae praeessent, comparata sibi virium et auctoritatis praesidia eo convertunt audacter, ut Ecclesiam Dei durissimo mancipent servitio, fundamenta convellant quibus innititur, divinas conentur depravare notas queis praefulget insignis: quid multa? ipsam crebris concussam ictibus, collapsam, eversam, si fieri possit, ex orbe penitus deleant. Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, omnem adhibete operam muniendis adversus harum sectarum insidias et contagionem fidelibus curae vestrae commissis, illisque qui nomen infauste dederint iisdem sectis, a perditione retrahendis. Eorum vero praesertim ostendite et oppugnate errorem, qui dolum sive passi sive molientes non verentur adhuc asserere socialem tantum utilitatem ac progressum mutuaeque beneficientiae exercitium spectari a tenebricosis hisce conventiculis. Exponite iis saepe, et altius animis defigite Pontificias hac de re constitutiones et edocete, non

unos ab illis percelli masonicos coetus in Europa institutos, sed omnes quotquot in America, aliisque totius orbis plagis habentur.

Ceterum, Venerabiles Fratres, quoniam in haec tempora incidimus, quibus multa quidem patiendi sed et merendi instat occasio curemus praeprimis tamquam Christi milites boni, ne animum despondeamus, imo in ipsa qua iactamur procella certam spem nacti tranquillitatis futurae, et clarioris in Ecclesia serenitatis, nos ipsos et laborantem clerum et populum erigamus divino auxilio confisi et nobilissima illa excitati Chrysostomi commentatione: » Multi fluctus instant, gravesque procellae; sed non » timemus ne submergamur; nam in petra consi- » stimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit; » insurgant fluctus, Iesu navigium demergere non » possunt. Nihil Ecclesia potentius. Ecclesia est ipso » caelo fortior. *Caelum et terra transibunt, verba » autem mea non transibunt.* Quae verba? *Tu es » Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam » meam et portae inferi non praevalebunt adversus » eam.* Si non credis verbo, rebus crede. Quot ty- » ranni Ecclesiam opprimere tentaverunt! Quot sar- » tagines, quot fornaces, ferarum dentes, gladii acu- » ti! nihil perfecerunt. Ubinam sunt hostes illi? » Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Eccle- » sia? Plusquam sol splendescit. Quae illorum erant, » extincta sunt; quae ad illam spectant, sunt im- » mortalia. Si cum pauci erant Christiani, non victi » sunt; quando orbis totus pia religione plenus est, » quomodo illos vincere possis? *Caelum et terra*

» *transibunt, verba autem non transibunt* » (1). Nullo itaque commoti periculo et nihil haesitantes perseveremus in oratione, idque assequi contendamus, ut universi caelestem iram flagitiis hominum provocatam placare nitamur; quo tandem in sua misericordia exurgat Omnipotens, imperet ventis et faciat tranquillitatem.

Interim benedictionem Apostolicam praecipuae nostrae benevolentiae testem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Cleroque et populo universo singulorum curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Novembris anno Domini MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

(1) Hom. ante exil. n. 1. et 2.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
IUDICIUM SUPER IDENTITATE CORPORUM S. AMBROSII
EPISCOPI ET ECCLESIAE DOCTORIS
AC MARTYRUM GERVASII ET PROTASII
AB ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI PROLATUM
CONFIRMATUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§ 1. Qui attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit omnia suaviter Deus Omnipotens Sacrosanctae Ecclesiae Immaculatae Sponsae Unigeniti Filii sanguine acquisitae, et in Apostolicae Confessionis petra solidatae, ita iugiter contra invalescentem saeculi nequitiam ac tenebrarum potestates in Sanctis suis firmamentum constituit ac munimen, ut qui iam viventes in carne eam sua passione illustraverant, doctrina exemplisque excoluerant, in caelesti deinde patria recepti adhuc suis gloriosissimis

decorarent trophaeis ac perpetuo tuerentur patrocinio. Pientissimum hoc divinae bonitatis consilium tum maxime innotuit, cum obortis in Christianum populum universamque Catholicam Ecclesiam vehementissimis tempestatibus, plura Sanctorum Corpora, quae diu latuerant, in lucem denuo prodiere, ut eo adspectu ad sua sectanda vestigia opemque implorandam deiectos erigerent animos, ac proxime secuturum de humani generis hoste praenuntiarent triumphum. Id praeteritis evenisse temporibus, acta inventionis Corporum plurimorum Sanctorum in Christo quiescentium evidenter ostendunt; idipsum aetate hac nostra, qua abundante delicto, refriguit charitas multorum, repertis sacrosanctis Exuviis Ambrosii Mediolanensis Episcopi et Ecclesiae Doctoris, neque non Beatorum Martyrum Gervasii et Protasii, futurum sane confidimus.

§ 2. Et hi quidem invicti Fidei Pugiles sub Nerone in prima Ethnicorum adversus Christianos persecutione, fuso glorioso pro Christo sanguine, martyrii palmam adepti sunt; quorum deinde Corpora cum diu in Basilica SS. Felicis ac Naboris Mediolani delituissent, a Sancto Ambrosio, Dei admonitu, reperta, in Basilicam ab Eo extructam translata fuere, ibique honorifice sepulta. Cum autem anno Christi CCCLXXXXVII ipse Ambrosius mortale hoc exilium cum perpetua aeternitate commutasset, ad sanctorum eorundem Corpora in hypogaeo praefatae Basilicae, prouti de se vivens disposuerat, conditus est. Hoc vero sepulcrum Deus reddidit gloriosum tum frequenti populorum concursu, tum plurimis Sanctorum intercessione patratis miraculis. Ac

licet non semel Urbs Mediolanensis barbarorum incursionibus ac direptionibus obnoxia fuerit, attamen sacra eadem Pignora inviolata semper ipso in loco, ubi primum in ea Basilica fuerant condita, permansere. Quibus omnibus permotus Angilbertus Mediolanensis Ecclesiae Antistes anno reparatae salutis DCCCXXXV Ambrosii ac Sanctorum Fratrum corpora e primo Conditorio sublata in insignem porphyreticam arcam transtulit, quam desuper pretiosissimum ac miri operis altare extruxit. Ex tunc in Ambrosiana quidem Basilica, ceu explorato dormitionis loco, ea Sacra Pignora totius Orbis veneratione coli numquam cessarunt, sed ea palam intueri, illoque adspectu veluti ad certandum bonum certamen fidei roborari hucusque nemini datum fuerat.

§ 3. Providens tamen Deus, qui suis novit medicinam aptare temporibus, auspicatissimum eiusmodi eventum aetati nostrae reservaverat, qua Ambrosii praeclara monita, ac Martyrum exempla ad informandos fidelium animos spiritu intelligentiae ac fortitudinis sunt quam maxime necessaria. Cum itaque anno MDCCCLXIV ad Ambrosianam Basilicam a fundamentis instaurandam manus fuisset apposita, subfosso pavimento, disiectoque vetusto lateritio, quod Confessionis hypogaeum circumambiebat, primum duo sepulcra detecta sunt, mox porphyretica arca quae illis in transversum insistebat. Hisce autem reseratis sepulcris, aliqua Sacrorum Corporum lypsana reperta sunt una cum numismatibus epocham praeseferentibus illorum depositionis, saeculo quarto, atque eorumdem recognitionis ineunte saeculo VI factae a Sancto Laurentio Archiepiscopo Me-

diolanensi. Vix hac de re, non sine animi laetitia, nuncium accepimus, pro ea quae Nobis incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudine, per speciales Sacrae Rituum Congregationis Litteras datas Romae die XVIII mensis Februarii supra enunciati anni ad bo. me. Venerabilem Fratrem Episcopum Famaugustanum, qui licet Mediolanensis Sedes suo tunc Archiepiscopo non careret, Vicarii Capitularis et Ordinarii partibus adhuc fungebatur, significavimus Voluntatem Nostram, ut acta singula in recognitione peragenda Sacrorum Corporum conformarentur instructioni de Mandato Nostro a dilecto Filio Petro Minetti S. Fidei Promotore opportune digestae: ac praeterea ut in repositione et collocatione earumdem Sacrarum Exuviarum declararet illas sub immediata protectione S. Sedis ita custodiendas esse, ut urnam aperire et Reliquias distribuere nullatenus liceat, nisi impetrata a Nobis vel Nostris Successoribus opportuna venia.

§ 4. Verum cum deinceps ad annum usque MDCCCLXXI nihil praeterea de SS. Corporibus actum fuisset, die tandem VIII Augusti, coram Venerabile Fratre Nostro Aloisio Archiepiscopo Mediolanensi, eiusque Curia, ac frequente ex omnibus civium ordinibus concursu, arca illa porphyretica demum detecta fuit, ibique tria Sacra Corpora reperta aquis penitus demersa. Inde vero die XI eiusdem mensis et anni educta a peritis anathomicis in compagem suam restituta fuere, ac singula singulis corporibus ossium fragmenta coaptata. Nedum autem periti viri ossa ex arca educta cum reliquiis eorundem e sepulcris eruta comparantes exinde

certissimum identitatis momentum eruere, verum etiam ex peculiaribus notis, quas veneranda maiorum traditio Ambrosio ac Sanctis Martyribus tribuerat, eius corpus ab aliis tuto secernere valuere. Tum denique, cum acta omnia exquisita solertia expleta essent, et iam nihil addi posse censeretur ad certitudinem assequendam quae in hisce rebus postulatur, accedente eruditissimorum virorum suffragio, praedictus Frater Noster Mediolanensis Archiepiscopus solemniter edixit die XXIII Aprilis vertentis anni « *Tria corpora, Nobis adstantibus, reperta in arca porphyretica die VIII Augusti MDCCCLXXI sub Altari Maximo Basilicae Ambrosianae hujus Urbis, esse vere et proprie SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii; scilicet illud minoris altitudinis S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis Ecclesiae Doctoris, alia vero procerae staturae et florentis aetatis SS. Martyrum Gervasii et Protasii ab ipso Ambrosio in sepulcro condita* ».

§ 5. Quibus omnibus uti supra rite absolutis, idem Frater Noster Archiepiscopus Mediolanensis acta Iudicialis Inquisitionis ab anno MDCCCLXIV iterato ac tertio institutae ad Nos transmittenda curavit; hisce supplices litteras adiecit praeclarissimis Ambrosii sententiis intextas de Primatu Cathedrae Petri, eiusque inerrantiae praerogativa, quibus humillime exorabat, ut sententiae ab se latae robur Apostolicae Nostrae Auctoritatis adiicere dignaremur. Nos itaque eiusmodi preces benigne excipientes, quamvis de veritate editae Sententiae haud ambigi posse censeremus, nihilominus, ut obstruatur os loquentium iniqua, qui Catholicam Ecclesiam,

non solum propter cultum Sacrarum Exuviarum, quae olim viva Christi membra fuere, ac templa S. Spiritus, ab eodem iterum ad vitam suscitanda et glorificanda, verum etiam propter falsas, ceu blaterant, Sanctorum Reliquias fidelium venerationi propositas, impietatis et superstitionis insimulare non verentur, eam diligentiam in casu adhibendam esse voluimus, qua in rebus tanti momenti semper Apostolica Sedes procedere consuevit. Quare nonnullorum Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum, et quorumdam eiusdem S. Congregationis Praesulum Officialium peculiari Coetui a Nobis delecto totius negocii examen commisimus.

§ 6. Quae quidem peculiaris Congregatio mature perpendens iugem et constantem traditionem authenticis uberrimisque documentis consignatam, Imperatorum ac Regum diplomata, acta Episcopalium Visitationum, vetustissima Calendaria ac Martyrologia, numismata in sepulcris reperta, ipsam denique urnae ac circumstantis lateritii operis structuram sane intellexit nullum cieri posse dubium quoad Sacrorum Corporum identitatem. Probationi cumulum imposuit accurata ab anathomiae peritis ossium aliorumque in arca et sepulcris repertorum instituta analysis. Cum itaque ex hisce omnibus, praesertim simul sumptis, peculiaris eadem Congregatio eam exurgere probationem censuisset, qua amplior in hisce negociis desiderari vix posset, die XXIV Iulii vertentis anni ad Nostras Vaticanas Aedes coadunata, omnibus ad Sanctuarii lancem libratis atque perpensis, ita rescripsit « *Sententiam*

Archiepiscopi Mediolanensis esse confirmandam si Ssmo placuerit: et Corpus S. Ambrosii, nec non Corpora SS. Martyrum Protasii et Gervasii, quibus hactenus S. Doctoris exuviae, ex ipsa eius voluntate, coniunctae fuerunt, unita semper in futurum maneant, sub immediata S. Sedis protectione, ita ut nemo audeat adsportare aut distribuere quamlibet eorum particulam, sub poena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici reservatae; supplicandum autem eidem SSmo censuit, ut de hoc confirmationis iudicio expediantur Litterae Apostolicae sub plumbo».

§ 7. Quae cum accurate per dilectum Filium Dominicum Bartolini Secretarium eiusdem S. Congregationis Nobis relata fuissent, ingentes benignissimae divinae bonitati egimus gratias, quae Nos in tantis angustiis ac periculis constitutos solari ac fovere dignata sit inventione Corporum Beatorum Martyrum Gervasii ac Protasii, et praesertim tanti Ecclesiae Doctoris, cuius illa aurea ac plena spei sententia est: *Non turbatur illa navis, in qua prudentia navigat, abest perfidia, Fides spirat. Quemadmodum enim turbari poterit cui praeest is in quo Ecclesiae firmamentum est?* Propterea libentissime praefatae peculiaris Congregationis sententiam in omnibus probavimus ac ratam habuimus, ceu patet ex Decreto eadem die edito.

§ 8. Volentes itaque ea quae per idem Decretum iam constituta sunt solemniori Apostolicae Auctoritatis documento novoque Nostrae confirmationis patrocinio communire, ut devotio erga S. Ambrosium Doctorem et fortissimos Christi Martyres in dies inflammetur, Praedecessorum Nostrorum vesti-

giis inhaerentes ac praesertim fel. rec. Benedicti XIII, qui sententiam super identitate Corporis S. Augustini Episcopi Hipponensis et Ecclesiae Doctoris, quem ipse Ambrosius Christo peperit, latam a Papiensi Episcopo per Apostolicas Litteras datas sub plumbo Decimo Kalendas Octobris anni MDCCXXVIII solemniter approbavit; Nos quoque iudicium Archiepiscopi Mediolanensis quoad identitatem Sacrorum Corporum Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris, ac Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica Auctoritate undequaque approbamus et confirmamus, et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse et fore decernimus. Praeterea mandamus, ut sacra haec Corpora, unita semper maneant, ceu hactenus fuerunt, eaque sub immediata Sedis Apostolicae protectione recipimus; adeo ut absque eiusdem venia nemini liceat, postquam peracta fuerit solemnis illorum repositio, ea denuo reserare, vel quamlibet sacratissimi eius depositi partem unquam auferre, adsportare, aut distrahere, sub poena excommunicationis latae sententiae, cuius absolutionem Nobis ac Nostris Successoribus omnino reservamus.

§ 9. Ut autem auspicatissimum eiusmodi eventum ampliori devotione et gratia Christifideles celebrent, atque eo validiore apud Deum patrocinio pro Ecclesia, pro universa Christiana Republica S. Ambrosius atque inclyti Martyres intercessores existant, quo ferventiore obsequio eos contigerit honorari; omnibus et singulis Christifidelibus, qui vere

poenitentes die eorumdem sacrorum Corporum solemnis repositionis, vel alia per locorum Ordinarios indicenda, confessi et sacro Christi Corpore refecti in Metropolitana sive Ambrosiana Mediolanensi Basilica, vel ubilibet locorum in templis Ambrosii nomine Deo dicatis pro instantibus Ecclesiae necessitatibus eiusque exaltatione, Sanctorum Ambrosii ac Martyrum Gervasii ac Protasii suppetiis imploratis, pia apud Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem, quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possit, benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

§ 10. Quocirca committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum Praelatis, ut praesentes Litteras in suis quilibet Provinciis, Civitatibus et locis solemniter pubblicari curent ea meliori ratione quam expedire censuerint.

Ipsas quoque Litteras et quaecumque in eis contenta nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo personae

in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, confirmationis, decreti, mandati, receptionis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo tertio — VII Idus Decembris. —

Pontificatus Nostri Anno Vicesimo octavo.

A. Card. VANNICELLI Pro-Datar. F. Card. ASQUINIUS

VISA DE CURIA
J. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

Reg. in Secretaria Brevium.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Inter tot, quibus affligimur, mala calamitosis hisce rei Catholicae temporibus magno quidem sunt Nobis solatio innumerae Christifidelium erga Sanctam hanc Sedem et humilitatis Nostrae personam amoris et obsequii significationes, quae ex omnibus terrarum orbis partibus saepe alias ad Nos delatae sunt, et assidue deferuntur. Maxime vero solatur Nos pietas ac religio, qua iidem Christifideles numquam desinunt Deum Opt. Max. exorare, ut miseratus tandem calamitates Nostras optatam Ecclesiae pacem diuque expectatum triumphum concedere dignetur. Quare maximas Divino Numini gratias agere debemus, quia dum tot omnes ac tantis angustiis premimur, non sinit nos animis cadere, contraque inimicorum impetus omnium mentes animos-

que confirmat. Cuius divinae erga Nos benignitatis praeclarum extitit argumentum, cum ipse Deus, bonorum consiliorum auctor, hanc mentem Fidelibus iniecit, ut praesentium malorum remedium in Unigeniti Filii sui Corde quaererent, omnium dulcedinum fonte gratiarumque thesauro. Quo factum est, ut excitatus in religiosissima praesertim Gallorum gente erga SSmum Cor Iesu devotionis ardor quam citissime propagaretur, inque ceteras regiones manaret. Nuper vero dilecti filii cives almae Urbis Nostrae, qui non religionis minus, quam animi fortitudinis et constantiae multa iam et illustria praebuerunt exempla, eo magis laudanda, quo magis impiorum armis obsidemur, id consilii iniverunt uti templum seu sacram aedem SSmo Iesu Cordi tunc temporis erigendi solemne votum emitterent, cum his iactata fluctibus Ecclesiae navis, Deo favente, conquiescet. Huius Nos voti formulam, a Pianae, ut aiunt, Foederationis Praeside XIV Kal. Octobris praesentis anni, multis adstantibus S. R. E. Patribus Cardinalibus et Romanae Curiae Praelatis, nec non Religiosorum Ordinum Moderatoribus, almae Urbis Parochis, delectisque ex omni coetu laicis viris, exhibitam Nobis atque perlectam, votumque ipsum perlibenti animo excepimus et confirmavimus: praeterea actae rei memoriam et emissi voti obligationem Decreto Ven. Fratris Nostri Urbis Vicarii, dato X. Kal. Septembris huius anni, consignandam mandavimus. Ut vero auspicatissimae eiusdem rei solemnius aliquod ac perpetuum extaret documentum, praesentes quoque Apostolicas Litteras dedimus, quibus praefatum civium Romanorum vo-

tum eodem plane modo ratum habemus, approbamus et confirmamus, Dominum Nostrum Iesum Christum per Beatissimam eius Matrem Virginem Mariam sine labe peccati orignalis conceptam rogantes atque obsecrantes, ut hoc pignus amoris suorum Fidelium benigne excipere, nosque omnes in divino suo Corde condere dignetur, in quo, veluti in tutissima arce positi, nullum umquam hostium impetum expaveamus. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Decembris MDCCCLXXIII. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ANDREAE IGNATIO ARCHIEPISCOPO VLTRAIECTENSI EIVSQVE SVFFRAGANEIS ET DILECTIS FILIIS CATHOLICIS VNIVERSIS IN HOLLANDIA COMMORANTIBVS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

In magnis illis, quae cor Nostrum assidue sauciant, Ecclesiae iniuriis et tribulationibus, non levi Nos acerbitate affecerunt sacrilegi ausus, qui in regione ista ab Hermanno Heycamp pseudo-episcopo Daventriensi Iansenianae sectae patrati sunt, et de quibus idem ipse Nos suis litteris die XXIV. elapsi septembris datis certiores facere non erubuit. Ipse enim qui ab Ecclesiae vinculo et a sacerdotum Collegio schismatica et haeretica pravitate separatus Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem (1), ausus est execrando scelere in locum defuncti pseudo-epi-

(1) S. Cypr. Epist. 52 ad Antonian.

scopi Harlemensis Lamberti de Iong Casparem Ioannem Rinkel ex damnatae suae sectae sociis die XI. augusti hoc anno Roterodami consecrare, itemqne eodem die episcopalem consecrationem Iosepho Huberto Reinkens, a catholica fide apostatae, impertire, quem neo-haeretici Germaniae, qui se veteres catholicos dicunt, in suum pseudo-episcopum sibi temere elegerant et constituerant.

In his vero sacrilegis ordinationibus sanctorum canonum praecepta ab se sancte servata fuisse, suis litteris Nobis demonstrare praesumpsit, tamquam sanctorum canonum iure niti possit quod contra Romanorum Pontificum et Conciliorum oecumenicorum, maxime Tridentini, sanctiones, contra Apostolicae Sedis iura, contra unitatem Ecclesiae Christi impie actum est. Praeterea incredibili audacia non dubitat corrupta Ecclesiae membra, quae ab ipsa turpiter in Germania desciverunt ipsamque hostiliter oppugnant, veluti catholicos fideles persecutionem pro iustitia patientes habere, dum e contrario spectatissimos Episcopos Dei causam in ea regione strenue tuentes veluti crudeles Christi gregis vexatores indigne vituperat. Nec demum refugit tamquam profanas novitates traducere ea dogmata, quae de praerogativis Apostolicae Sedis ab oecumenico Vaticano Concilio definita omnium catholicorum pietas debito fidei obsequio prosequitur.

Vos iam noscitis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, ex encyclicis Litteris nuper a Nobis datis iudicium quod de nefaria electione et sacrilega consecratione Iosephi Huberti Reinkens edidimus, et solemnem poenam canonicae animadversionis, quam

Nos, tamquam custodes et vindices fidei et unitatis Ecclesiae Dei, in illum ferre debuimus; cuius profecto animadversionis vim si non intelligit, miser; multo vero miserior, si intelligit et contemnit.

Nunc vero, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, cum aliud illud detestabile facinus in electione et consecratione pseudo-episcopi Harlemensis admissum, quod magno cum dolore ex memoratis Hermanni litteris pariter cognovimus, a Nobis aeque postulet, ut rei gravitati pari sollicitudine et schismaticae pravitatis fallacias et contagem a populo Dei repellamus, officium Nostrum incunctanter implendum censuimus, quo Christi gregem Nobis concreditum ab omni fraudis periculo eripere, eiusque salutem, ac fidei et Ecclesiae unitatem sacrarumque legum iura tueri tenemur. Quapropter exempla Decessorum Nostrorum sequuti, primum tam electionem Casparis Ioannis Rinkel in Harlemensem pseudo-episcopum illicitam, irritam et omnino nullam, quam subsequentem eius consecrationem a praedicto pseudo-episcopo Daventriensi peractam iamdiu ecclesiasticarum censurarum vinculis obstricto et omni exercitio Episcopali iurisdictionis ac ordinis destituto, illegitimam ac sacrilegam esse Apostolica Nostra auctoritate decernimus ac declaramus; easque reprobamus, reiicimus ac detestamur. Deinde tum memoratum pseudo-episcopum Daventriensem Hermannum consecratorem, tum ipsum Rinkel contra ius fasque electum et consecratum, necnon eos omnes, qui eiusdem electioni aut consecrationi operam, consilium, consensum praestiterunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione

segregatos et prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis vitandos esse districte praecipimus et mandamus.

Sciat insuper praedictus Rinkel sibi, nisi novis se poenis obligatum velit, ab iis omnibus plane esse abstinendum, quae episcopalis ordinis aut iurisdictionis propria sunt. Quamobrem nunquam ipsi fas erit, sacrum chrisma conficere, sacramenta Confirmationis et Ordinis administrare, quemquam animarum curae praeficere, et alia quaecumque agere, quae vel episcopalis sunt ordinis, quem nullo modo licite exercere potest, vel ad episcopalem pertinent iurisdictionem, qua omnino caret.

De hisce rebus apud vos agere, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, muneris Nostri duximus, Nos admonente paterna Nostra charitate, quae ad sedulo vigilandum pro salute crediti Nobis gregis Nos movet ac urget. Cuius charitatis Apostolici Nostri ministerii propriae testis est Nobis Deus, quam libenter erga illos ipsos a Nobis memoratos schismaticos et haereticos partes expleremus, si eosdem, disruptis schismatis vinculis, et sui facti poenitentes, in fidem et gratiam huius Romanae Ecclesiae recipere possemus. Nihil enim Nobis optabilius esse posset, praesertim in hoc vitae spatio quo Principis Pastorum adventum propius respicimus, quam istorum animas erutas e potestate tenebrarum lucrifacere Redemptori Nostro, qui et pro ipsis mortuus est, et hanc a divina bonitate gratiam obtinere, ut salvus sit eorum spiritus in die Domini Nostri Iesu Christi. Hoc ut ipsis feliciter et salutariter contingat, desinant latus Domini gloriae crudeliter confodere, dividentes Eccle-

siam, pro qua illud est in cruce divisum (1); malint esse obedientes Ecclesiae filii in suam salutem et gloriam, quam illi rebelles et contumaces in perditionem; utantur clementia quam ipsi Deus patiens et misericors offert, qui non vult mortem impii sed ut convertatur et vivat. Hoc et vos enixe et fervide a Domino, vestras preces Nostris assiduis votis addentes, exposcite, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, quibus a Patre misericordiarum adprecamur, ut auspex sit fortitudinis in catholica fide strenue tuenda ac intemerate retinenda, sit auspex virtutis et gratiae in ea uberibus iustitiae et sanctitatis fructibus magis magisque comprobanda, sit auspex praesidii et protectionis, ut possitis in hac perversitate saeculi stare adversus insidias diaboli, Apostolica Benedictio, quam vobis omnibus in nomine Domini Nostri Iesu Christi peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII. Decembris anno 1873. Pontificatus Nostri vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

(1) S. Bernardus ep. 126.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Quod Catholici nominis bonum postulare videbatur, ut ab Dioecesi Montereyensi atque Angelorum Californiae tractus abscinderetur, quo spiritualibus fidelium necessitatibus satius opportuniusque consultum foret, id iam inde ab anno MDCCCLII cum Domino praestitimus; atque illius tractus regimen Archiepiscopo Mexicano quousque aliter per hanc Sanctam Sedem provideretur commisimus. At enim cum nunc idem Catholici nominis bonum efflagitet, ut ille tractus in Vicariatum Apostolicum erigatur, proprio Praesuli concedendum, Nos ad huiusmodi negotium animum intendimus; omnibusque rei momentis sedulo perpensis ad memoratam novi istius Vicariatus erectionem deveniendum existimavimus.

Quamobrem motu proprio, certa scientia et matura deliberatione quem Californiae tractum Anno MDCCCLII ab Dioecesi Montereyensi atque Angelorum seiunximus et Mexicano Antistiti administrandum demandavimus, nunc in verum ac proprie dictum Vicariatum Apostolicum, proprio committendum Praesuli, Apostolica Nostra Auctoritate tenore praesentium erigimus et constituimus, illique Confinioris Californiae vulgo « *Bassa California* » eadem Auctoritate nomen fecimus. Decernimus porro praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque speciali licet atque individua mentione dignis Constitutionibus, et Ordinationibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Ianuarii MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asquinius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Arcano divinae providentiae consilio Pastoris aeterni vices hic in terris, nullis quidem nostris meritis, obeuntes, ea praestare, quantum est situm in Nobis, maturamus, quae Dominico gregi, bene, prospere ac feliciter evenient. Cum itaque Venerabilis Frater Archiepiscopus Torontinus in Superiori Canada, aliique omnes Ecclesiasticae huius Provinciae Praesules Nobis exposuerint, in eadem Ecclesiastica Provincia vastissimam esse regionem, cuius intra terminos commorari multi coeperunt, inter quos ut Catholica religio magis floreat, Episcopali auctoritate et sollicitudine immediata opus est, Nos rem communicavimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis Fidei propagandae praepositis,

omnibusque, quae a dictis Praesulibus relata sunt, sedulo attenteque perpensis, postquam perspeximus e re Catholica summopere fore, si in memorata regione Vicariatus Apostolicus constitueretur, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, haec, quae infra sunt decrevimus. In perlata regione, de qua habita super mentio est, Ecclesiasticae Provinciae Torontinae Vicariatum Apostolicum, hisce Litteris Apostolica Nostra Auctoritate, erigimus et constituimus, qui seiunctus non sit ab Ecclesiastica Provincia Torontina, et VICARIATUS CANADENSIS SEPTENTRIONALIS nominetur. Porro Apostolici istius Vicariatus limites hi sunt. Ex Meridionali parte ab origine fluminis Muskokae, quod Georgianum sinum influit, ad ostium usque eiusdem fluminis, inde per sinum Georgianum, lacum Huronensem et superiorem; ita tamen ut insulae omnes quae ad Septentrionem iacent lineae ab ostio inde Muskokae usque ad lacum *Cabots-Heade*, qui nominatur; inde vero versus Occidentem ad Provinciae fines civili auctoritate statutos intra dictionem novi Vicariatus contineantur, tandem usque ad fines Dioecesis S. Bonifacii, quibus novus iste Vicariatus ad Occidentem terminetur. Ad Orientem vero et Septentrionem usque ad altitudinem terrae, ex qua ceteri amnes flumen « *Ottawa* » lacumque Huronensem et Superiorem influunt. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam cau-

sarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostoliçae regula de iure quaesito non tollendo, nec non Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, aliisque speciali licet atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Februarii MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. CARD. ASQVINIVS.

Loco ✠ Annuli Piscatoris

EPISTOLA ENCYCLICA

DILECTIS FILIIS S. R. E. CARDINALIBVS ET VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS IMPERII AVSTRIACI.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Vix dum a Nobis catholico orbi denunciata fuerat per litteras datas die 24 Novembris, anno superiori, persecutio immanis contra Ecclesiam Dei, in Borussia et Helvetia praesertim, excitata; quum nova moerori Nostro accessit sollicitudo ex allatis nunciis de aliis iniuriis impendentibus eidem Ecclesiae, quae Sponso Divino similis effecta, iam et ipsa conqueri merito potest ea prophetica voce: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (1). Quibus iniuriis eo gravius angimur quod a Gubernio irrogentur Austriacae Nationis, quae iampridem maximis Christianae reipublicae temporibus huic Sedi Apostolicae

(1) Psalm. 68, 27.

coniunctissima pro catholica fide strenue decertavit.

Equidem iam aliquot ab hinc annis quaedam in isto Imperio latae sunt leges et ordinationes sanctissimis Ecclesiae iuribus et sollemnibus pactis conventis plane adversae, quas in Nostra allocutione ad Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales habita die 22 Iunii anno 1868 condemnare et irritas declarare pro officii Nostri munere debuimus. (1) Nunc vero publicis Imperii Comitiis exponendae et approbandae proponuntur novae leges, quae eo manifeste spectant, ut catholica Ecclesia in perniciosissimam servitutem sub arbitrio civilis auctoritatis, contra divinam Iesu Christi Domini Nostri institutionem, omnino redigatur.

Humani enim generis Creator et Redemptor Ecclesiam fundavit tamquam visibile suum in terris regnum, non modo supernaturali charismate infallibilis magisterii ad sacram doctrinam tradendam, et sanctissimi sacerdotii ad divinum cultum animarumque sanctificationem sacrificio et sacramentis promovendam, verum etiam propria et plena regiminis potestate instructum ad ferendas leges, ad iudicia exercenda, ad salubrem coercitionem adhibendam in rebus omnibus quae ad proprium finem regni Dei in terris pertineant.

Quoniam vero supernaturalis haec regiminis ecclesiastici potestas, ex ipsa Iesu Christi institutione, diversa prorsus est atque independens ab imperio politico; idcirco ipsum regnum Dei in terris regnum est societatis perfectae, quod continetur et gubernatur suis legibus, suis iuribus, suis praepositis, qui

(1) Actor. Vol. IV. pag. 407.

pervigilant quasi rationem pro animabus reddituri non civilis societatis rectoribus, sed principi pastorum Iesu Christo, a quo dati sunt pastores et doctores nulli terrenae potestati in obeundo ministerio salutis obnoxii. (1) Quare sicut ad sacros Antistites munus regendi, ita ad omnes fideles, monente Apostolo, officium pertinet eisdem obediendi et subiacendi; et proinde etiam populis catholicis sanctissimum ius est, ne in hoc officio divinitus iniuncto sequendi doctrinam, disciplinam ac leges Ecclesiae a civili gubernio impediantur.

Iamvero ipsi Nobiscum probe intelligitis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, quam gravis violatio huius divinae constitutionis Ecclesiae, quam intolerabilis subversio iurium Apostolicae Sedis, sacrorum Antistitum, populi catholici in earum legum rogatione, de quibus apud Austriaca Comitia nunc agitur, contineatur et palam promulgetur.

Nam secundum easdem leges Ecclesia Iesu Christi in omnibus fere rationibus et actionibus, quae ad regimen fidelium spectant, supremo civilis auctoritatis imperio prorsus obnoxia et subiecta existimatur atque habetur; idque in ea *Motivorum* expositione, quae vim et sensum propositarum legum explicat, aperte veluti principii loco statuitur. Hinc etiam declaratur diserte, Gubernii civilis esse ex suprema sua potestate leges ferre quemadmodum de civilibus, ita etiam de ecclesiasticis rebus, utpote quod Ecclesiae advigilare et dominari debeat non secus ac aliis quibuscumque civium societatibus privatis mereque humanis intra Imperii fines existentibus.

(1) Cf. Hebr. 13, 17. Eph. 4, 11. I Petr. 5. 2.

Itaque civile Gubernium sibi arrogat tum iudicium ac proinde magisterium de constitutione et iuribus Ecclesiae catholicae, tum supremum eiusdem regimen, quod partim per se ipsum suis legibus suaque actione, partim per ecclesiasticos viros sibi mancipatos exerceat. Quo fit, ut potestati sacrae ad regendam Ecclesiam, ad opus ministerii atque ad aedificationem corporis Christi divinitus institutae arbitrium et vis subrogetur terreni imperii. Contra huiusmodi sacrorum usurpationes pro iure et veritate catholica respondet magnus Ambrosius : « Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo : noli te gravare ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed esto Deo subditus. Scriptum est : quae Dei, Deo ; quae Caesaris, Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae » (1).

Quod vero ad ipsas leges attinet, quibus memorata *Motivorum* expositio praefigitur, licet eae speciem aliquam moderationis praeseferre fortasse videantur, si cum novissimis Borussicis legibus comparentur, re tamen vera eiusdem rationis et indolis sunt, eamdemque Catholicae Ecclesiae in Austriaca ditione parant perniciem.

Nolumus singula earumdem legum capita prosequi ; verum silentio praeterire nullo modo possumus gravissimam iniuriam, quae ipsa harum legum propositione infertur Nobis ipsis et huic Apostolicae Sedi, nec minus vobis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, ac toti populo Catholico istius Im-

(1) S. Ambr. ep. 20, n. 19.

perii. Conventio nimirum inter Nos et serenissimum Imperatorem anno 1855 inita (1) ac ab eodem catholico principe solemni sponsione munita totique Imperio instar publicae legis promulgata, nunc Imperii Comitiis declaranda proponitur tanquam omni prorsus ex parte abrogata et irrita, idque nulla cum hac Apostolica Sede tractatione praegressa, imo et iustissimis Nostris expostulationibus plane contemptis. Haec profecto iis temporibus, quibus fides publica adhuc valuit, ne tentari quidem potuissent; nunc vero in hac tristissima rerum conditione et tentantur et perficiuntur. Contra hanc sollemnis pacti conventi violationem coram vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, iterum protestamur, multo vero magis intimo animi Nostri dolore denunciamus ac reprobamus iniuriam illam toti Ecclesiae illatam, dum et huius Concordati abrogationis et ceterarum connexarum legum causa et excusatio audacter refertur ad definitiones revelatae doctrinae ab Oecumenico Vaticano Concilio editas, atque haec ipsa catholica dogmata impie appellantur innovationes et commutationes doctrinae fidei et Constitutionis Ecclesiae catholicae (2). Equidem si qui sunt in Austriaca ditione qui nefariis eiusmodi commentis catholicam fidem abiiciant, eam retinet ac profitetur cum gloriosis Avis suis totaque imperiali domo augustissimus Princeps, eam retinet ac profitetur longe maxima pars populi, cui leges feruntur talibus commentis innixae.

Ita Nobis insciis et invitis rescissa conventione

(1) Actor. Vol. II. pag. 459.
(2) Motivorum Expos. p. 25.

solemni, quam cum serenissimo Imperatore celebravimus, ut animarum saluti simul et civilis reipublicae commodis prospiceretur, nova quaedam forma iuris obtenditur, et nova facultas civili Gubernio vindicatur, ut marte proprio de spiritualibus et ecclesiasticis negotiis quidquid visum fuerit, constituat atque decernat.

Id eo valet, ut iis, quae modo rogantur legibus, inviolabilis ecclesiae libertas in animarum curatione, in regimine fidelium, in religiosa institutione populi et cleri ipsius, in vita ad evangelicam perfectionem exigenda, in administratione et proprietate in ipsa bonorum importunis nexibus implicetur atque praepediatur; perversio inducatur catholicae disciplinae, foveatur ab Ecclesia defectio, sectarumque coalitio et conspiratio contra veram Christi fidem legum praesidio communiatur.

Magna profecto Nobis copia memorandi foret, quid et quantum malorum, si leges huiusmodi perferantur, metuendum sit; at vero prudentiam vestram, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, id neque fallere nec praeterire potest. Scilicet officia fere omnia et beneficia ecclesiastica, imo et exercitium pastoralium munerum ita civili potestati fient obnoxia, ut sacri Antistites, si novis iuribus (quod absit) acquiescerent, regimen dioecesium, pro quo districte rationem Deo sunt reddituri, non amplius iuxta saluberrima Ecclesiae praescripta retinere, sed ad nutum et arbitrium eorum qui reipublicae praefuerint, tractare et moderari cogerentur. Quid porro ex iis rogationibus expectandum erit, quae de agnitione religiosorum ordinum inscribun-

tur? Earum sane noxia vis et mens inimica tam aperta est, ut nemo non intelligat, eas ad corruptionem et perniciem religiosarum familiarum excogitatas esse et comparatas. Temporalium denique bonorum iactura, quae imminet, tanta est, ut a manifesta publicatione et direptione vix differat. Ea bona siquidem post infensas leges probatas, civile Gubernium in potestatem suam erit redacturum, sibique ius et fas esse ducet ea dividere, conferre et vectigalibus impositis sic extenuare, ut misera quae dabitur possessio et usus, non ad Ecclesiae decus, sed ad eius ludibrium et ad velamentum iniustitiae relicta haud immerito existimetur.

Quum hae sint leges, de quibus in publicis Austriaci imperii comitiis disceptatur, et iis, quae demonstravimus, principiis nitantur, perspecta vobis plane sunt, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, praesentia pericula, quae gregibus vigilantiae vestrae concreditis impendunt. Unitas namque et pax Ecclesiae in discrimen vocatur, illudque agitur ut ei libertas adimatur, quam S. Thomas Cantuariensis scienter dixit; « animam esse Ecclesiae, sine qua nec viget nec valet adversus eos qui quaerunt hereditate sanctuarium Dei possidere » (1). Quam sententiam iam antea defensor alter eiusdem libertatis invictus, S. Anselmus verbis hisce explicaverat: « Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae; qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari: liberam vult esse Deus sponsam suam,

(1) S. Thom. Cantuar. ep 75. ad Episc. Angliae.

non ancillam » (1). Quapropter pastoralem sollicitudinem vestram, et zelum quo flagratis pro domo Dei, magis magisque excitamus et incendimus, ut periculum quod instat, contendatis amovere. Magnos sumite animos, quibus dignum virtute vestra certamen obeatis. Certum namque Nobis, nihil vos fore animis neque virtute minores iis Venerabilibus Fratribus, qui alibi inter vexationes acerbissimas pro hac ipsa libertate Ecclesiae opprobriis et tribulationibus spectaculum facti non modo rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, sed etiam in vinculis certamen sustinent passionum (2).

Ceterum non in viribus nostris sed in virtute Dei spes omnis posita est; Dei namque causa agitur, qui oraculo nunquam defecturo nos ita praemonuit et erexit: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum (3). Nos itaque, qui pro munere Nostro Apostolico in hoc bello tam vario et atroci contra Ecclesiam indicto, divina gratia infirmitatem Nostram roborante, duces constituti sumus, ea vobis renunciamus ac spondemus, quae S. Martyr Cantuariensis verbis olim expressit huic aetati et periculo apprime congruentibus: « Causa quam contra nos exercent inimici Ecclesiae, inter ipsos et Deum est, quia nos nihil aliud ab eis quaerimus, nisi quod Ecclesiae suae aeterno testamento pro ea in suscepta carne immortalis reliquit Deus. In fide ergo et charitate Christi exurgatis Nobiscum in auxilium Ecclesiae, et auctoritate et prudentia vobis

(1) S. Anselm. Epist. 9 ad Balduinum regem.
(2) Heb. 10,32 seq.
(3) Io. 16; 33.

collata occurrite hominibus, quibus nullorum successuum copia sufficit, si Ecclesia Dei gaudet libertate. Confidimus in vobis abundantius, praesertim in causa Dei. De Nobis autem pro certo tenete, quia satius ducimus mortem incurrere temporalem, quam miserae servitutis angustias perpetuare. Nam huius controversiae exitus trahetur ad consequentiam temporum futurorum, ut Ecclesia aut perpetuis, quod absit, aerumnis lugeat, aut perenni gaudeat libertate » (1).

Quum autem vobis interea adnitendum sit, ut quae instant pericula, auctoritate, prudentia et studiis vestris praecaveatis, nihil utilius atque opportunius fore intelligitis, quam ut collatis consiliis disquiratis ac deliberetis quaenam rationes viaeque aptiores suppetant, quo certius atque efficacius propositum finem assequamini. Dum Ecclesiae iura impetuntur, vestrum est ut adscendentes ex adverso murum opponatis pro domo Israel; solidius vero propugnaculum erit et defensio validior, quo magis concors et in unum conspirans singulorum opera et conatus erit; et quo diligentius praevisa et constituta fuerit agendi ratio pro varia necessitate rerum quae forte occiderint, adhibenda. Quare vos etiam atque etiam hortamur, ut quamprimum conveniatis in unum, et communicatis consiliis normam constituatis certam omnibusque probatam, qua pro officii vestri ratione propulsetis unanimes mala ingruentia, et Ecclesiae libertatem fortiter tueamini. Haec ideo vos a Nobis moneri par erat, ne officio Nostro in

(1) S. Thom. Cant. ep. 33.

tanta rei gravitate deesse videremur. Nam persuasum Nobis est, vos etiam citra hortationes Nostras haec ultro fuisse effecturos. Alioquin nondum spem omnem abiecimus fore ut eas, quae portenduntur, calamitates, alio tramite Deus avertat. Nos enim movet ad bene sperandum pietas et religio Carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Iosephi Imperatoris et Regis, quem Nos novis litteris hodierna die ad ipsum datis enixe obsecravimus, ne unquam committere velit, ut in amplissima ditione sua inhonestae servituti tradatur Ecclesia, et catholici cives eius imperio subiecti in summas angustias adducantur.

Quoniam vero multi adversus Ecclesiam conituntur et mora quaevis plena semper periculo est, vos minime oportet desides conquiescere. Praesit Deus consiliis vestris, et potenti praesidio suo vos adiuvet, ut quae ad decus Nominis Eius in animarum salutem maxime pertinent constituere et perficere feliciter valeatis. In auspicium autem caelestis huius praesidii et praecipuae benevolentiae Nostrae testimonium Apostolicam Benedictionem vobis universis et singulis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, nec non Clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Martii anno Domini MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudine urgente, iamdudum consueverunt Romani Pontifices Praedecessores Nostri Ecclesiasticos viros in longinquas regiones destinare, qui vices Apostolicae Sedis agentes conservationem unitatis fidei, puritatis morum, constitutionis hierarchiae, Canonum et disciplinae pervigili circumspectione curarent. Hoc autem providum officium Orientalis ritus Ecclesiae denuo experiri coeperunt postquam, sublatis gravioribus impedimentis, quae difficillima tempora invexerunt, Catholicae religionis studium in iisdem revirescere coepit. Atque ita factum est, ut Syriae, Aegypto, Mesopotamiae, Armeniae, aliisque regionibus praesens adesset Apostolicae Sedis Delegatus. Has inter praetermitti sane non poterat Per-

siae regio, cuius ecclesiastica historia plurima exhibet monumenta fidei et virtutis, quam plura Christianorum millia nobilissimis martyriis illustrarunt. Quos quidem apud Deum interventores fore confidimus, ut in ea regione, quam glorioso sanguine pro Christi nomine effuso decorarunt, Christianae Fidei integritas, et Catholica unitas, iam diuturno funesto schismate dilacerata, et haeresibus commaculata, penitus, atque in integrum restituantur. Multos enim novimus sive Catholici, sive Armenii ritus Christianos illic versari, quorum maiores cum a recta fide propter temporum asperitatem recessissent, et ipsi ab hac Apostolica Sede, in qua fundamentum fidei, et centrum unitatis a Christo Domino positum est, alieni facti sunt, non tam, ut confidimus, animi pervicacia, quam ob verae fidei ignorantiam. Hac porro abutentes, qui Christianos se nomine tenus appellant, Evangelium vero Christi evacuant, eos in graviores et deterrimos quosque errores impellere conantur. Quae omnia postulant, ut maiorem semper curam geramus Christianorum in Perside degentium. Equidem Apostolica Sedes iis iuvandis nihil unquam omisit, prout temporum adiuncta postularunt: quare et Persidi suus datus est iampridem Delegatus Apostolicus qui aliquando peculiaris ei fuit et proprius, aliquando Mesopotamiae etiam et Kurdistani, atque Armeniae Minoris curam gessit. Verum succrescentibus illic quotidie magis spiritualibus Christianorum necessitatibus, iam unus idemque vir impar evasit regionibus istis procurandis, quas inter propter longinquitatem, atque itinerum difficultatem, difficilis quoque est rerum communi-

catio. Quapropter in eam sententiam devenimus, ut, sublata unione Apostolicarum Delegationum Persidis videlicet, et Mesopotamiae, quas modo vacare contigit per obitum Venerabilis Fratris Nicolai Castells Archiepiscopi Martianopolitani, suus ac proprius utrique ex nunc, et in posterum praeficeretur Antistes. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis S. R. E. Cardinalium, motu proprio, certa scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine unionem abrogamus earumdem Delegationum sancitam Apostolicis Litteris editis die XXV. Maii Anni MDCCCLX, quarum initium « Quod Orientalium » et tam Mesopotamiae una cum Kurdistano et Armenia Minori, quam Persidi suum ac distinctum Apostolicae Sedis Delegatum adesse iubemus per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices deligendum. Eius porro officium erit Nostro nomine, et auctoritate fidelium curam gerere, graviora ecclesiastica negotia moderari, exequenda curare, quae ab Apostolica hac Sede ad spirituale illorum regimen constituta fuerint; et illius auctoritas a quibusvis Parochis vel Episcopis regionis illius requiri debeat quando ecclesiasticum aliquod negotium potioris momenti occurrat; salva in omnibus auctoritate memoratae Nostrae Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis. Non dubitamus autem quin omnes, et singuli fideles cuiusvis ordinis dignitatis, vel ritus, eorumque in primis Antistites qui sunt, vel erunt, Apostolicum Delegatum in Perside pro tempore existentem debito honore, ac re-

verentia sint prosecuturi, atque in ipso Delegato supremam Delegantis auctoritatem agnoscentes, fidem atque obedientiam suam erga Apostolicam Sedem hac etiam ratione sint comprobaturi. Decernimus quoque has Nostras Litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et spectabit plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque quamvis speciali et individua mentione dignis.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCCCLXXIV., Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Universi Dominici gregis curam in persona Beati Petri, cui aeternus Pastor pascendas tradidit oves et agnos, arcano divinae providentiae consilio gerentes, ne spiritualia subsidia et adiumenta concredito Nobis gregi desint, ubi ovium numerum crevisse noverimus, ibi et Pastores in earumdem praesidium et commodum augere solemus. Iam vero quum ea sit amplitudo territorii Melbournensis Ecclesiae in Australiana Victoriae Colonia, et fidelium, qui eam incolunt, multitudo, ut, ex sententia Episcoporum Australiae ac praesertim Melbournensis, unus Pastor huius Dominici gregis parti curandae nonnisi difficile par sit, visum est Nobis in spirituale illorum fidelium bonum et commoditatem, ut in praefato territorio duas novas dioeceses erigere velimus. Quare omnibus hac super re mature perpensis, de Vene-

rabilium Fratrum Nostrorum Congregationis Propagandae Fidei consilio in territorio Ecclesiae Melbournensis in Australiana Victoriae Colonia duas dioeceses novas Apostolica auctoritate Nostra harum litterarum vi, alteram scilicet in civitate Sandhurstensi, alteram vero in Ballaratensi civitate erigimus et constituimus. Sandhurstensi autem dioecesi sic erectae limites assignamus in parte septentrionali dictae Coloniae lineam occidentalem gradus longitudinis centesimi quadragesimi quarti, in meridionali vero latitudinis trigesimi septimi; ac dioecesi Ballaratensi in plaga occidentali limites praefinimus lineam longitudinalem centesimam quadragesimam quartam a mari usque ad flumen Murray, itemque lineam eamdem quae Coloniam definiens, illam a dioecesi Adelaidensi seu a Colonia Australiae Meridionalis separat, adeo ut flumen ipsum Murray limes septentrionalis sit, mare autem limitem meridionalem constituat. Nobis tamen et Sanctae Apostolicae Sedi servamus facultatem novam ineundi eiusdem Coloniae Victoriae divisionem, si id animarum salus ac rerum adiuncta postulaverint. Executionem denique praesentium Litterarum Nostrarum Venerabili Fratri Iacobo Alipio Goold Melbournensi Archiepiscopo cum facultatibus necessariis et opportunis, ut accuratius limites utriusque dioecesis per varia territorii loca seu districtus designentur, committimus ac demandamus. Haec volumus et iubemus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apo-

stolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, atque irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictae Melbournensis Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Martii MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asquinius

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Incrementa, quae ssma Christi religio, Deo bene iuvante, in ampla Australiae insula postremis hisce annis suscepit, suadent Nobis ut novam inibi Ecclesiam in bonum fidelium constituamus provinciam. Itaque de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi christiano nomini propagando praepositorum consilio aliam in magna Australiae insula ecclesiasticam provinciam Apostolica auctoritate Nostra hisce Litteris erigimus et constituimus, ac proinde Melbournensem Ecclesiam in Colonia Victoriae ad Metropolitanae Sedis dignitatem pari auctoritate Nostra tenore praesentium evehimus, eidemque in Metropolitanam Ecclesiam sic erectae tamquam Suffraganeas harum Litterarum vi Sedes Episcopales Adelaidensem, Tasmaniensem ac Partensem, itemque novissime a Nobis erectas Ballaratensem et Sandhurstensem Episcopales Sedes as-

signamus. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores et Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI. Martii MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

F. Card. Asqvinivs.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPUM LEOPOLIENSEM, HALICIENSEM, ET CAMENECIENSEM RUTHENORUM ALIOSQUE EPISCOPOS EIUSDEM RITUS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIVS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Omnem sollicitudinem vel a primis diuturni Pontificatus Nostri annis adhibuimus atque operam dedimus ad spirituale Orientalium Ecclesiarum bonum procurandum et fovendum, solemniter, inter cetera, declarantes sartas ac tectas religiose servandas et custodiendas peculiares catholicas Liturgias (1), quas pariter Praedecessores Nostri maximo in pretio semper habuerunt. Qua porro in re luculentissima sunt quae Clemens VIII tradidit in sua Constitutione *Magnus Dominus* an. 1595, Paulus V in suo Brevi diei 10 Decembris 1615, ac potissimum, reliquis

(1) Litterae Apostolicae *ad Orientales,* quarum initium *In suprema* diei 6 Ianuar. 1848. Vid. Acta Vol. I. pag. 78

omissis, Benedictus XIV in suis encyclicis Litteris *Demandata* an. 1743, et *Allatae sunt* an. 1755.

Cum autem arctissimus existat nexus quo cum dogmaticis doctrinis disciplina praesertim liturgica coniungitur et consociatur, hinc Apostolica Sedes, infallibilis Fidei Magistra ac sapientissima Veritatis custos, vix ac deprehendit « periculosum et inde» corum aliquem ritum in Orientalem Ecclesiam ir» repsisse, illum damnavit, improbavit eiusque usum » ipsi prohibuit » (1).

Rursus memorata cura illibatas servandi veteteres Liturgias impedimento non fuit quominus inter orientales ritus adsciscerentur etiam nonnulli ex aliis Ecclesiis accepti, quos, uti ad catholicos Armenos Gregorius XVI fel. record. scribebat; « Ma» iores vestri aut, quia rectiores visi fuerant, ada» marunt, aut tamquam notam ab haereticis schi» smaticisque eos discernentem aliquo abhinc tem» pore assumpserunt » (2). Quapropter, ceu tradit idem Summus Pontifex, « ea regula omnino ser» vanda est qua statuitur, inconsulta Sede Aposto» lica, in sacrae Liturgiae ritibus nihil esse inno» vandum etiam nomine instaurandi caeremonias, » quae Liturgiis ab eadem Sede probatis magis con» formes esse videantur, nisi ex gravissimis causis » et accedente Sedis Apostolicae auctoritate » (3).

(1) Benedictus XIV in suis Litteris *Allatae sunt* § 27 die 26 Iulii 1735.

(2) Gregorius XVI in suis Litteris *Studium paternae benevolentiae* die 2 Maii 1836.

(3) Gregorius XVI in suis Litteris *Inter gravissimas* diei 3 Februarii 1832.

Hisce porro iuris principiis, quae pro universis orientalis ritus Ecclesiis sapienti consilio fuerunt sancita, regitur quoque, uti pluries data occasione declaratum est praesertim in superius memorato Brevi Pauli V, liturgica disciplina Ruthenorum, quos non destiterunt Romani Pontifices singulari benevolentiae affectu ac peculiaribus favoribus prosequi; et vix ac aliquod periculum imminere et eorum fidem in discrimen adduci perspectum est, Apostolica Sedes ad tantum malum avertendum vocem suam absque ulla mora attollere non praetermisit. Solemnia adhuc sunt verba, quibus usus est Decessor Noster Gregorius XVI fel. mem. (1) cum scilicet Ruthenorum natio, ut cuique exploratum est, in asperrima versaretur rerum conditione, qua ipsos ad usque tricies centena millia ex Catholicae Ecclesiae gremio miserrime avulsos et hodie lamentamur.

Nec pariter Ruthenorum nationi defuit eiusdem Apostolicae Sedis auxilium, cum graves et diuturnae controversiae in ecclesiastica Provincia Leopoliensi ob disciplinae et ritus varietatem, atque ob mutuas relationes, quae inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus ibi intercedebant, non absque christianae charitatis detrimento agitabantur, quae per conventionem seu concordiam ab Episcopis utriusque ritus propositam, et die 6 Octobris 1863 sancitam decreto S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis orientalis ritus, feliciter fuerunt compositae ac diremptae.

Verum miserrima rerum adiuncta in quibus ea-

(1) Allocutio habita in Consistorio diei 22 Nov. 1838.

dem ecclesiastica Provincia, et potissimum finitima Chelmensis Dioecesis in praesentiarum versatur, omnem Nostram vigilantiam et sollicitudinem iure ac merito rursus expostulant. Nuperrime siquidem ad Nos relatum est inter istos Catholicos Graeco-Rutheni ritus vel acrem controversiam de re liturgica temerario ausu excitatam esse, ac quosdam existere, licet in clericali ordine constitutos, qui rebus novis studentes sacras caeremonias alias immemorabili usu laudabiliter receptas, alias quoque Zamoscenae Synodi, quam Apostolica Sedes probavit (1), sanctione solemniter confirmatas, proprio lubitu immutare pertentant.

Sed quod magis Nos angit, et intima aegritudine cor Nostrum afficit, est quod recenter accepimus de miserrimo rerum statu quo affligitur Chelmensis Dioecesis. Siquidem, recedente eiusdem Episcopo paucis abhinc annis per Nos Ipsos instituto, et spirituali vinculo cum eadem Dioecesi adhuc illigato, quidam pseudo-administrator, quem Nos episcopali munere indignum iam pridem iudicavimus, minime dubitavit ecclesiasticam iurisdictionem usurpare, cuncta in memorata Ecclesia pessumdare, ac potissimum rem liturgicam canonice sancitam proprio marte confundere ac perturbare.

Moerentes adhuc prae oculis habemus circulares die 20 Octobris anni 1873 editas, quibus infelix ille pseudo-administrator divini cultus exercitium sacramque liturgiam innovare audet, ea plane mente, ut in catholica Chelmensi Dioecesi schisma-

(1) Benedictus XIII in suo Brevi *Apostolatus Officium* diei 19 Iulii 1724.

ticorum liturgia inducatur; et ad rudes ac simplices decipiendos, eosque facilius ad schisma impellendos ipse non erubescit in medium proferre nonnullas Apostolicae Sedis Constitutiones, earumque sanctionibus in suum sensum detortis fraudulenter abuti.

Porro quae in praecitatis litteris de re liturgica disponuntur nulla prorsus ac irrita existere nemo est qui non videat, eademque Nos nulla et prorsus irrita Apostolica Nostra Auctoritate declaramus. Imprimis enim memoratus pseudo-administrator quavis ecclesiastica iurisdictione penitus destituitur, quam scilicet nec legitimus Episcopus in suo discessu, nec postea Apostolica Sedes eidem umquam demandarunt, ac proinde ipsum *per ostium non intrasse in ovile ovium, sed adscendisse aliunde* (1), ac veluti intrusum habendum cuique perspectum et exploratum est.

Ad haec Sacri Ecclesiae Canones antiquos orientales ritus legittime inductos religiose utique servandos praecipiunt, cum « Praedecessores Nostri « Romani Pontifices satius consultiusque duxerint » ritus huiusmodi, qua in parte nec Fidei catho» licae adversantur, nec periculum generant anima» rum, aut ecclesiasticae derogant honestati, ap» probare seu permittere » (2): at simul ipsi solemniter indicunt, nemini prorsus, hac Sancta Sede inconsulta, fas esse in re liturgica vel leviores innovationes peragere, quemadmodum satis abunde

(1) Io. Cap. X. v. 1.

(2) Benedictus XIV in sua Constitutione *Etsi pastoralis* edita die 26 Maii 1742.

commonstrant Apostolicae Constitutiones, quas initio retulimus.

Nec ullius momenti est quod ad fucum faciendum adiicitur, nimirum liturgicas huiusmodi innovationes proponi, ut orientalis ritus expurgetur et ad nativam integritatem restituatur. Quandoquidem Ruthenorum liturgia nulla alia esse potest nisi quae vel a sanctis Ecclesiae Patribus fuit instituta, vel Synodorum canonibus sancita, vel legitimo usu inducta, Apostolica Sede sive expresse sive tacite semper adprobante: et siquae variationes temporis lapsu in eadem Liturgia occurrerunt, eae profecto non inconsultis Romanis Pontificibus et potissimum ea mente invectae sunt, ut huiusmodi ritus a quavis haeretica et schismatica labe eximeretur, atque ita catholica dogmata ad incolumitatem fidei tuendam, et bonum animarum promovendum rectius et clarius exprimerentur. Quocirca sub dolosa specie ritus expurgandi, eosque in integrum restituendi nihil aliud intenditur nisi parare insidias fidei Ruthenorum Chelmensium, quos ab Ecclesiae Catholicae gremio distrahere, et haeresi ac schismati devovere perditissimi homines adnituntur.

Sed acerbissimas inter, quibus undique premimur, angustias Nos reficit ac recreat praeclarissimum et plane heroicum fortis et constantis animi spectaculum nuperrime Deo, Angelis, et hominibus oblatum a Chelmensis Dioeceseos Ruthenis, qui iniqua pseudo-administratoris mandata reiicientes, mala quaeque perpeti atque ipsam vitam in extremum discrimen maluerunt adduci, quam avitae fidei iacturam facere et catholicos dimittere ritus, quos ipsi

ab eorum maioribus receperunt et incorruptos ac illibatos se perpetuo servaturos conclamarunt.

Nos autem Deum omnibus precibus orare non intermittimus, ut dives in misericordia lumen gratiae suae in corda eorum, qui omne contra fas Chelmensem Dioecesim divexant, clementer effundat, ac simul miseris illis fidelibus omni prorsus auxilio et spirituali regimine destitutis potentem suam opem afferat, et optatae tranquillitatis solatium accelcret.

Post haec Vos, Venerabiles Fratres, qui tanto studio ac singulari zelo demandatam Ruthenorum curam suscepistis, etiam in Domino hortamur, ut liturgicam disciplinam ab Apostolica Sede probatam, vel eadem sciente et non contradicente invectam religiose tueamini, quavis innovatione penitus interdicta, et accuratam Sacrorum Canonum hac in re editorum, ac potissimum Zamoscenae Synodi custodiam Parochis atque Sacerdotibus vel per severissimas, si opus fuerit, poenarum sanctiones praecipiendam curetis. Agitur enim de re gravissima, videlicet de salute animarum, cum illegitimae innovationes catholicam Fidem et sanctam Ruthenorum unionem in summum discrimen adducant. Quamobrem nulli curae, nulli labori parcendum est, nihilque intentatum relinqui debet, quo universae in re liturgica perturbationes istic a pravis hominibus excitatae vel ab eorum primordiis penitus comprimantur: quibus muneribus fortiter et suaviter obeundis Vos, Venerabiles Fratres, Dei opitulante gratia, minime defuturos confidimus.

Quod ut feliciter contingat Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, et gregibus cu-

iusque Vestrum curae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die decimatertia Maii MDCCCLXXIV. Pontificatus Nostri anno vicesimoctavo.

PIVS PP. IX.

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONCILII.

Actuosi iniquarum sectarum asseclae, qui ubique fere rerum potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorundam Helveticorum exemplum, ius eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpent. Nec, quod deterius est, defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter praesumpserit. Detestabile sane facinus, quod Ecclesiasticam Hierarchiam evertit funditusque pessumdat : siquidem *docendus est populus*, inquit Caelestinus Papa, *non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus* (1). Temerarius proinde ausus *contra statuta Sanctorum Patrum*, *crimen tam ambitionis, quam inobedientiae*, ex quo,

(1) Can. *Docendus* 2 dist. 63.

subdit Gregorius VII, *plurimas perturbationes in Ecclesia (imo ruinam sanctae religionis) oriri, ex quibus christiana religio conculcatur* (1). Nil propterea mirum quod SS. Canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis poenis devoverint. Praelaudatus namque Gregorius XII (2) Paschalis II (3) Alexander II (4) et Concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum (5) solemniter decreverunt, investituram Ecclesiae per manus laicorum susceptam irritam esse, et Clericos Ecclesias taliter recipientes ab introitu Ecclesiae interdici, excommunicatione mulctari, et, si in scelere perstiterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere. Quin imo scelus huiusmodi eam praeterea redolet nequissimam iurisdictionis, bonorum ac iurium Ecclesiae usurpationem, quam Concilium Tridentinum (6) anathemati tamdiu subiecit, quamdiu usurpatio cessaret; ac Constitutio *Apostolicae Sedis* IV. Id. Octobris 1869 (7) obnoxiam declaravit excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae. Cum tamen tot saluberrimae SS. Canononum sanctiones haud fregerint audaciam ac nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiae regionibus illud ipsum patraretur nefas, quod in pro-

(1) Can. *Si quis deinceps* 12 et Can. *Quoniam* 13 Caus. 16. q. 7.

(2) Can. *Si quis deinceps* 12 Can. *Quoniam* 13 Can. *Si quis Episcopus* 14 Caus. 16 q. 7.

(3) Can. *Si quis Clericus* 16 Can. *Constitutiones* 17 Can. *Nullus* 18 Can. *Sicut* 19 Caus. 16 q. 7.

(4) Can, *Per laicos* 20 Caus. 16 q. 7.

(5) Cap. *Praeterea* 4 de iurepatr.

(6) Sess. 22 cap. 11 de Reform.

(7) Part. I. § 11. (Vid. Acta Vol. V. pag. 60).

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONCILII.

Actuosi iniquarum sectarum asseclae, qui ubique fere rerum potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorundam Helveticorum exemplum, ius eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpent. Nec, quod deterius est, defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter praesumpserit. Detestabile sane facinus, quod Ecclesiasticam Hierarchiam evertit funditusque pessumdat : siquidem *docendus est populus*, inquit Caelestinus Papa, *non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus* (1). Temerarius proinde ausus *contra statuta Sanctorum Patrum*, *crimen tam ambitionis, quam inobedientiae*, ex quo,

(1) Can. *Docendus* 2 dist. 63.

subdit Gregorius VII, *plurimas perturbationes in Ecclesia (imo ruinam sanctae religionis) oriri, ex quibus christiana religio conculcatur* (1). Nil propterea mirum quod SS. Canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis poenis devoverint. Praelaudatus namque Gregorius XII (2) Paschalis II (3) Alexander II (4) et Concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum (5) solemniter decreverunt, investituram Ecclesiae per manus laicorum susceptam irritam esse, et Clericos Ecclesias taliter recipientes ab introitu Ecclesiae interdici, excommunicatione mulctari, et, si in scelere perstiterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere. Quin imo scelus huiusmodi eam praeterea redolet nequissimam iurisdictionis, bonorum ac iurium Ecclesiae usurpationem, quam Concilium Tridentinum (6) anathemati tamdiu subiecit, quamdiu usurpatio cessaret, ac Constitutio *Apostolicae Sedis* IV. Id. Octobris 1869 (7) obnoxiam declaravit excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae. Cum tamen tot saluberrimae SS. Canononum sanctiones haud fregerint audaciam ac nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiae regionibus illud ipsum patraretur nefas, quod in pro-

(1) Can. *Si quis deinceps* 12 et Can. *Quoniam* 13 Caus. 16. q. 7.
(2) Can. *Si quis deinceps* 12 Can. *Quoniam* 13 Can. *Si quis Episcopus* 14 Caus. 16 q. 7.
(3) Can. *Si quis Clericus* 16 Can. *Constitutiones* 17 Can. *Nullus* 18 Can. *Sicut* 19 Caus. 16 q. 7.
(4) Can, *Per laicos* 20 Caus. 16 q. 7.
(5) Cap. *Praeterea* 4 de iurepatr.
(6) Sess. 22 cap. 11 de Reform.
(7) Part. I. § 11. (Vid. Acta Vol. V. pag. 60).

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONCILII.

Actuosi iniquarum sectarum asseclae, qui ubique fere rerum potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorundam Helveticorum exemplum, ius eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpent. Nec, quod deterius est, defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter praesumpserit. Detestabile sane facinus, quod Ecclesiasticam Hierarchiam evertit funditusque pessumdat : siquidem *docendus est populus*, inquit Caelestinus Papa, *non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus* (1). Temerarius proinde ausus *contra statuta Sanctorum Patrum*, *crimen tam ambitionis, quam inobedientiae*, ex quo,

(1) Can. *Docendus* 2 dist. 63.

subdit Gregorius VII, *plurimas perturbationes in Ecclesia (imo ruinam sanctae religionis) oriri, ex quibus christiana religio conculcatur* (1). Nil propterea mirum quod SS. Canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis poenis devoverint. Praelaudatus namque Gregorius XII (2) Paschalis II (3) Alexander II (4) et Concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum (5) solemniter decreverunt, investituram Ecclesiae per manus laicorum susceptam irritam esse, et Clericos Ecclesias taliter recipientes ab introitu Ecclesiae interdici, excommunicatione mulctari, et, si in scelere perstiterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere. Quin imo scelus huiusmodi eam praeterea redolet nequissimam iurisdictionis, bonorum ac iurium Ecclesiae usurpationem, quam Concilium Tridentinum (6) anathemati tamdiu subiecit, quamdiu usurpatio cessaret, ac Constitutio *Apostolicae Sedis* IV. Id. Octobris 1869 (7) obnoxiam declaravit excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae. Cum tamen tot saluberrimae SS. Canononum sanctiones haud fregerint audaciam ac nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiae regionibus illud ipsum patraretur nefas, quod in pro-

(1) Can. *Si quis deinceps* 12 et Can. *Quoniam* 13 Caus. 16. q. 7.

(2) Can. *Si quis deinceps* 12 Can. *Quoniam* 13 Can. *Si quis Episcopus* 14 Caus. 16 q. 7.

(3) Can. *Si quis Clericus* 16 Can. *Constitutiones* 17 Can. *Nullus* 18 Can. *Sicut* 19 Caus. 16 q. 7.

(4) Can, *Per laicos* 20 Caus. 16 q. 7.

(5) Cap. *Praeterea* 4 de iurepatr.

(6) Sess. 22 cap. 11 de Reform.

(7) Part. I. § 11. (Vid. Acta Vol. V. pag. 60).

xima Helvetia nuper fuerat Apostolica Auctoritate disiectum, SSmus D. N. Pius Papa IX, prae maxima qua flagrat erga omnes oves sollicitudine et charitate, mandavit huic Sac. Congregationi Concilii, eidem malo eadem occurrendum esse medela: ideoque iussit Ecclesiasticis Provinciis Venetae ac Mediolanensi, singulisque Dioecesibus Patriarchali ac Metropolitanae iurisdictioni subiectis applicari atque inculcari, prout praesenti Decreto reapse applicantur atque inculcantur ea omnia, quae pro Helvetica Foederatione, quoad popularem Parochorum electionem, sapientissime constituta sunt in nuperrimis Literis Encyclicis diei 21 Novembris 1873; adeo ut quicumque in praememoratis Dioecesibus, suffragante populo, ad Parochi sive Vicarii officium electi audeant sive Ecclesiae, sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, *ipso facto incurrant in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas canonicas, iidemque omnes fugiendi sint a fidelibus iuxta divinum monitum, tamquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent et perdant.* Ita porro eadem Sac. Congregatio Concilii statuit ac decrevit, et ab omnibus servari mandavit, sublatis exemptionibus ac privilegiis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Concilii die 23 Maii 1874.

P. Card. Caterini Praef.

P. Archiepiscopus Sardianus Secr.

Loco ✠ Signi.

DECRETUM CONSISTORIALE

BISUNTINA
SEPARATIONIS ECCLESIARUM SUFFRAGANEARUM
STRASBURGENSIS ATQUE METENSIS
UT S. SEDI APOSTOLICAE IMMEDIATE SUBSINT.

Rem in ecclesiastica Provincia Bisuntina pro modernis temporum et locorum subortis circumstantiis opportunam scilicet atque praestantem confecturus, Pius huius nominis IX divina providentia Pontifex Maximus dignatus est annuere postulationibus enixisque votis a Gallico Gubernio devotissime ad Sanctam Sedem Apostolicam oblatis, implorandi gratia, ut Argentinensis seu Strasburgensis alteraque Metensis Ecclesiae episcopales, quae in Alsatia-Lorena sitae sunt, modo subtrahantur et liberentur a metropolitica, cui subsunt, iurisdictione Archiepiscopi Bisuntini; subindeque, paterna ex eiusdem Summi Pontificis benignitate salutarique in Domino providentia nedum honorificentius, sed etiam consultius praeseferant immediatam erga Sanctam Sedem Apostolicam in ecclesiasticis et spiritualibus subiectionem.

Quocirca cunctis quae animadvertenda erant maturo consilio sapientique deliberatione perpensis, tandem Sanctitas Sua ex certa scientia motuque

veluti proprio, et Apostolicae suae auctoritatis plenitudine, omnia haec quae sequuntur, ad maiorem etiam illorum Christifidelium utilitatem et consolationem, in decretis mandavit atque sancivit.

I.

Ante omnia videlicet ad hoc negotium ea qua par est regularitate omnimodaque validitate opportune utiliterque in Domino perficiendum, Summus idem Pontifex minime dubitavit praesumere, atque adeo de apostolicae suae potestatis plenitudine, quatenus opus sit, omnino supplere consensum quorumcumque interesse habentium vel quomodocumque habere praesumentium.

II.

Dehinc Episcopalem Ecclesiam Argentinensem seu Strasburgensem, nec non alteram Metensem decrevit exemptas omnino fore a metropolitico iure Archiepiscopatus Bisuntini, cui hodiedum subsunt, adeoque plane subductas ab alia quavis eiusmet Metropolitani Antistitis ordinaria superioritate atque praerogativa quomodocumque iurisdictionali.

III.

Propterea binae ipsaemet Ecclesiae, illarumque insimul Civitates et universum utriusque praefati Episcopatus territorium dioecesanum, insimulque ceterae quae inibi comperiuntur Civitates, Oppida,

Paroeciae, nec non ecclesiastica quaevis Beneficia, piaque Instituta, pariterque omnes ac singuli utriusque sexus incolae, sive laici, sive clerici, sive presbyteri et monastici, cuiuscumque sint gradus, ordinis et conditionis, isthaec utique omnia et singula cum suis inhaerentibus et de more concomitantibus accessoriis declarentur et sint a Metropolitica Bisuntini Antistitis iurisdictione itidem exempta penitusque subtracta.

IV.

At enim Sanctitas Sua praestantioris etiam honoris gratia, dignata est in decretis mandare atque statuere, ut ipsaemet Ecclesiae protinus extiturae sint Sanctae Sedi Apostolicae immediate subiectae; ideoque sint mox habiturae atque fruiturae omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, gratiis, favoribus, privilegiis, et quibuslibet indultis, sicuti ceterae in illis partibus Ecclesiae, quae gaudent immediata erga Sanctam Sedem Apostolicam subiectione.

V.

Quibus uti desuper constitutis, neque contrariis quibuscumque speciali quamvis mentione dignis, ullatenus obstantibus, vel eis ad hoc dumtaxat opus illata peculiari derogatione Apostolica; idem Summus Pontifex voluit expressis verbis declarare atque cavere, nequis unquam ea singula, quae hisce in decretis ordinata et constituta sunt, audeat sive ob-

reptionis, sive subreptionis, sive demum alterius cuiusque speciei vitio notare, minimeque impugnare.

VI.

Haec itaque omnia et singula ut quam plenum robur et solemnem assequantur effectum, Beatitudo Sua voluit iussitque hoc summarium Sacrae Congregationis Consistorialis Decretum perinde haberi et fore quidem valiturum, ac si Litterae Apostolicae sive in forma Brevis, sive sub plumbo expeditae fuissent.

VII.

Ideo ad huiusmodi Decreti exequutionem maluit deputare hodiernum Episcopum Metensem R. P. D. Paulum Georgium Mariam Dupont des Loges, at qua tantummodo pertinet ad Argentinensem seu Strasburgensem Ecclesiam; hodiernum autem Episcopum Argentinensem seu Strasburgensem R. P. D. Andream Raess, qua dumtaxat pertinet ad Metensem Episcopatum; collata quidem utrique Delegato facultate subdelegandi ad hoc perficiendum opus aliam probam idoneamque personam, quae vero ecclesiastica dignitate sit insignita.

VIII.

Insuper utrique sic deputato Delegato eorumque subdelegatis, si forsan adscisci oporteat, Sanctitas Sua dignata est impertire quascumque vel necessarias vel opportunas facultates, ut quisque pro parte sua efficaciter valeat, omni appellatione remota, ea quoque deliberare, ordinare ac etiam definitive decernere, quae ad huiusmodi negotium feli-

citer perficiendum, iusta, salutaria, et opportuna dignoscantur.

IX.

Enimvero eisdem Delegatis eorumque Subdelegatis expressam iniungi voluit obligationem mittendi ad Sanctam Sedem Apostolicam tres intra menses ab expleta huiusmet Decreti exequutione authentica forma exaratum exemplar quorumcumque Decretorum, quae ad hoc negotium exequendum edi oportuerit.

X.

Propterea Sanctitas Sua, ut haec omnia ad Omnipotentis Dei gloriam eorumque Christifidelium bonum et consolationem spiritualem protinus exequutioni mandentur, iussit per Sacram Congregationem Consistorialibus negotiis praepositam hoc summarium confestim ferri Decretum, ipsiusque authenticum exemplar ad perpetuam rei memoriam et normam, uti par est, in tabulario huiusmet Sacrae Congregationis diligenter conservari.

Datum Romae hac die decimaquarta mensis Iunii anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo quarto.

Pro R. P. D. Antici Mattei
S. Congreg. Consistorialis Secret.
Flavius Cordelli Substitutus

Loco ✠ Signi.

DECRETVM CONSISTORIALE

METENSIS, NANCEYENSIS ET TULLENSIS, NEC NON S. DEODATI INSUPERQUE ARGENTINENSIS SEU STRASBURGENSIS IN ALSATIA-LORENA DISMEMBRATIONUM ET POSTERARUM INCORPORATIONUM.

Propter modernas in Alsatia-Lorena et rerum et locorum conversiones, exploratum est, necessariam continuoque opportunam ecclesiasticorum quoque negotiorum gestionem multis obnoxiam esse difficultatibus non sine illorum Christifidelium etiam in spiritualibus iactura et detrimento. Enimvero ad eiusmodi incommoda amovenda, nec non ad expeditiorem Dioecesium administrationem procurandam visum est in Domino convenientius praestare, ac etiam oportere; ut qua conserta modo reperiuntur confinia inter Gallicam et Germanicam Ditionem (iuxta Conventionem Francofortiensem iam inde ab anno 1871 initam sub die decima Maii) illa quae vicissim intersita et quodammodo commixta sunt dioecesana territoria, in praesentiarum accomodatius circumscribantur, et qua interest pro bono communi dismembrentur; ut porro dismembrationes eiusmodi

commodius atque utilius finitimis incorporentur Dioecesibus.

Quocirca nuper contigit, ut Gallicae Nationis Gubernium devotas offerri curaverit postulationes SSmo Dño Nostro Pio huius nominis IX Pontifici Maximo, implorandi gratia, ut huiuscemodi negotium auctoritate Apostolica conficiatur, atque ad optatum exitum provide feliciterque perducatur.

Idcirco Beatitudo Sua, his atque aliis, quae accurate animadvertenda erant, magni ponderis causis, earumque momentis matura deliberatione perpensis, quam libenter dignata est praenuntiatas ipsius Gallici Gubernii postulationes enixaque vota benigno prosequi favore. Ideo nimirum ex certa scientia motuque veluti proprio deliberavit voluitque omnia et singula, quae sequuntur, in decretis mandare, Apostolicaque Sua Auctoritate inviolabiliter sancire.

I.

Ante omnia, sicuti par est, tum debitae regularitatis tum indubiae validitatis gratia, ut cumulatum hoc Dioecesium opportune circumscribendarum negotium, ad commodiorem earum quoque in spiritualibus administrationem salutariter peragendam, conficiatur, id utique in comperto sit, quod Sanctitas Sua minime dubitaverit vel rationabiliter praesumere, vel de Suae Apostolicae potestatis plenitudine, quatenus opus fuerit, omnino supplere consensum omnium et singulorum interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium super Dioecesibus, quae modo circumscribendae sunt.

II.

Enimvero, uti praestat, generatim declaratum et statutum esto, quod cuncta loca, seu Paroeciae, ipsarumque territoria, quae singillatim, ut infra, eximenda sunt ab ordinaria suorum Antistitum iurisdictione, ut ab eorum Dioecesibus dismembrentur, aliisque finitimis nunc accommodatius incorporentur; ea porro singula censeantur et revera sint tum exempta, tum a pristinis Dioecesibus dismembrata, tum denique aliis mox designandis Dioecesibus incorporata: una scilicet cum omnibus et singulis respective attinentibus locis, incolis, et quibuslibet Ecclesiis earumque Beneficiis, et piis cuiuscumque generis Institutis; comprehensis etiam cuiusque Ordinis Coenobiis et Monasteriis, adeoque omnibus respective pertinentibus bonis, et accessoriis de iure, deque more concomitantibus.

III.

Ita igitur ab ordinaria iurisdictione atque administratione R. P. D. Pauli Georgii Mariae Dupont des Loges, hodierni Episcopi Metensis, penitus eximantur, atque a sua Dioecesi dismembrentur, alterique Nanceyensi et Tullensi actutum incorporentur haec, quae sequuntur loca seu Paroeciae: videlicet Biey, Anoux etc. *(sequuntur nomina locorum)*.

IV.

Itidem ab ordinaria iurisdictione atque administratione R. P. D. Iosephi Alfredi Foulon, hodierni Episcopi Nanceyensis et Tullensis, eximantur, a

suaque separentur Dioecesi, ac protinus adiudicentur Dioecesi Metensi haec quae sequuntur loca seu Paroeciae: videlicet Albestroff, Altroff etc. *(sequuntur nomina locorum).*

Sed enim ab eadem Nanceyensi Dioecesi praeterea eximatur, et secernatur ea pars non habitata territorii pertinentis ad Paroeciam nuncupatam *Raon lès leau;* protinusque incorporetur Dioecesi Argentinensi seu Strasburgensi, quatenus nempe determinanda erit ab Apostolico Exequutore inferius deputando.

V.

Itidem ab ordinaria iurisdictione atque administratione R. P. D. Ludovici Mariae Iosephi Caverot, hodierni Episcopi Ecclesiae Sancti Deodati, eximantur eiusque a Dioecesi disiungantur, tum autem adiiciantur Dioecesi Argentinensi seu Strasburgensi haee quae sequuntur loca seu Paroeciae; videlicet Saales, Bourgbruche etc. *(sequuntur nomina locorum).*

VI.

Itidem ab ordinaria iurisdictione atque administratione R. P. D. Andreae Raess, hodierni Episcopi Argentinensis seu Strasburgensis, eximantur, eodemque tempore ab illius Dioecesi retrahantur, et Bisuntinae Archidioecesi, ad quam ante annum millesimum octingentesimum secundum pertinebant, rursum addicantur haec, quae sequuntur, loca seu paroeciae: videlicet Belfort, Beauvillars, etc. *(sequuntur nomina locorum).*

VII.

Quibus ita dispositis et constitutis, voluit Sanctitas Sua in Decretis expresse cavere atque mandare, ut quisque Dioecesium, uti desuper auctarum, Antistes libere planeque valeat, immoque debeat ordinariam super iis iurisdictionem episcopalem, et pastoralem curam salutariter exercere; iisdem scilicet observatis et adhibitis legibus, modis, usibus, favoribus, indultis, honoribus, oneribus, et quibuscumque aliis, quae pro primaevis cuiusque ex illis Dioecesibus subditis, locis et rebus quomodolibet et quandocumque fuerint hactenus adhibita, vel deinceps legitime adhibenda, iis verumtamen specialiter reservatis, quae videlicet peculiare seu personale praeseferant indultum.

VIII.

Verum e converso singuli etiam Dioecesani uti supra noviter aggregandi teneantur aeque ac ceteri primaevae originis Dioecesani pari ratione parique modo debitam suo cuique suffecto Antistiti reverentiam et observantiam praestare; atque adeo similiter erga illius quoque Curiam et Cancellariam animo aequo libentique consuetam quamcumque officiorum et munium obire satisfactionem.

IX.

Porro ubi haec praesignatarum Dioecesium dismembratio et incorporatio confecta fuerit, curandum esto, ut omnia tunc instrumenta et quaelibet documenta, speciatim respicientia singularum uti

supra dismembrandarum alibique incorporandarum Paroeciarum personas, bona, res, et quaequae iura, diligenter inquirantur et secernantur a respectivis Cancellariis uniuscuiusque Episcopatus, cui eaedem Paroeciae hactenus extiterunt addictae; indeque profecto deferantur ad eas respectivas Cancellarias uniuscuiusque Episcopatus, cuius favore decreta est uti supra moderna incorporatio atque adiudicatio : praestat enim ut ea quaeque hiuscemodi documenta in unaquaque respective subrogata Cancellaria episcopali congerantur, et ad quamcumque opportunitatem probabiliter superventuram fideliter custodiantur.

X.

Enimvero hisce omnibus ita dispositis, constitutis atque sancitis, idem Summus Pontifex, contrariis quibuscumque speciali quamvis mentione dignis minime obstantibus, vel eis, ad hoc dumtaxat negotium, illata derogatione, maluit declarare atque cavere, nequis unquam audeat sive obreptionis sive subreptionis sive demum alterius cuiuscumque speciei vitio notare, ullatenusque impugnare, quae in hoc Decreto exposita et mandata sunt.

XI.

In huiusmodi autem Decreti Exequutorem dignatus est deputare in primis R. P. D. Petrum Franciscum Meglia Damascenum Archiepiscopum et Apostolicum Nuntium penes Gallicum Gubernium; sed enim super iis tantummodo quae spectant ad singulas dismembrationes consequentesque incorporationes uti supra designatorum locorum et Paroe-

clarum hactenus addictarum Archidioecesi Bisuntinae, nec non binis Dioecesibus S. Deodati et Nanceyensi seu etiam Tullensi. Subinde maluit deputare hodiernum Episcopum Ecclesiae Argentinensis seu Strasburgensis, qua nempe pertinet dumtaxat ad respectivam dismembrationem posteramque incorporationem locorum et paroeciarum hodiedum coniunctarum Dioecesi Metensi, uti supra circumscribendae; modernum autem Episcopum Ecclesiae Metensis R. P. D. Paulum Georgium Mariam Dupont des Loges, qua nempe solummodo interest ad praesignatam dismembrationem et subsequuturam incorporationem locorum et Paroeciarum hactenus addictarum Dioecesi Argentinensi seu Strasburgensi.

XII.

Harum quidem unicuique Delegato censuit veniam facere atque adeo impertire facultatem subdelegandi ad hoc perficiendum negotium, aliam quoque personam, quae utique probitate atque idoneitate sit praedita et in ecclesiastica dignitate iam constituta.

XIII.

Unicuique insuper Delegato, vel eorum cuique Subdelegato Summus idem Pontifex impertitus est omnes et singulas quascumque sive necessarias sive opportunas facultates, ut ipsi Delegati eorumque Subdelegati singulatim, qua sua interest valeant atque satagant ea quaeque inquirere, declarare, ordinare, facere, statuere, ac etiam super qualibet quaestione,

si qua forsan inciderit, definitive absque ulla appellatione decernere, quae comperiantur in Domino expedire, ut hoc tam magni ponderis negotium ad optatum exitum feliciter salubriterque perducatur.

XIV.

Enimvero singulis ipsis deputatis Delegatis, itidemque singulis eorum Subdelegatis, si fuerint adsciti, expressam iniungi voluit obligationem mittendi ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam tres intra menses ab expleta exequutione huiusce summarii Decreti (uti praefertur, perinde valituri ac si esset in Literis Apostolicis sub plumbo redactum) exemplar authentica forma exaratum omnium quorumcumque decretorum, quae ad universum hoc ipsum negotium conficiendum emittenda fuerint.

XV.

Ut haec itaque omnia ad maiorem Dei gloriam et eorum Christifidelium spirituale praesertim bonum et commodum queant expeditius exequutioni mandari, iussit huiusmodi Decretum quamprimum confici atque promulgari; sed enim ad perpetuam rei memoriam et observantiam, originaliter inter acta huiusmet S. Congregationis de more, uti par est, custodiri.

Datum Romae hac die decima mensis Iulii Anno reparatae hominum salutis millesimo octingentesimo septuagesimo quarto.

Pro R. P. D. Antici Mattei.
S. Congreg. Consistorialis Secret.
Flavius Cordelli Substitutus.

Loco ✠ Signi.

DECRETVM

S. CONGREGATIONIS CONCILII.

Occasione Synodi Dioecesanae .... nuperrime habitae ad hanc S. Congregationem nonnullae pervenerunt querimoniae praesertim super pluralitate electionum tam Iudicum, quam Examinatorum Synodalium. Et sane a Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 10. statutum fuit in singulis Synodis Dioecesanis *aliquot personas* aptas ab Episcopo esse designandas, quibus causae ecclesiasticae, ac spirituales, atque ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur, ita ut quaeque Dioecesis *quatuor saltem*, ac etiam plures habeat probatas et qualificatas personas, quibus huiusmodi causae delegari possint; quam Tridentini dispositionem latius explicat ac illustrat Benedictus XIV. in suis Apostolicis Literis, quarum initium *Quamvis*, diei 26. Augusti anni 1741., ac etiam in suo aureo opere *de Synodo Dioecesana lib.* 4. *cap.* 5. Idem dicendum de Examinatoribus Synodalibus: nam Tridentinum Concilium *Sess.* 24. *cap.* 18. decrevit, ut in Dioecesana Synodo *ad minus sex* proponantur Examinatores, qui Synodo satisfaciant et ab ea

probentur. Ex tali autem loquendi modo et plures quam sex designari posse, et ut plures proponantur, se exoptare satis aperte Tridentinum innuit ceu merito observat Benedictus XIV in suo opere *de Syn. Dioec. lib. 4. cap. 7. num.* 3. post Barbosam *in collect. ad cap.* 17. *Sess.* 24. *n.* 85., ubi tamen a S. Congregatione Concilii decisum refertur *non esse ultra viginti* proponendos, *fortasse*, prosequitur Pontifex, *ob periculum, ne nimium aucto eorumdem numero, minus diligens sit personarum, quae proponuntur, delectus.*

Haec Emi Patres huius S. Congregationis matura deliberatione perpendentes in eam per praesens Decretum venerunt sententiam, ut a Rmo Archiepiscopo cohibeatur numerus Iudicum et Examinatorum Synodalium, ita tamen ut, hoc auctorante Sacro Ordine, ii tantummodo habeantur ac tales sint, qui sequuntur, nimirum.

Iudices Synodales Novem.

Examinatores Synodales Viginti.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Concilii hac die 15. Septembris 1874.

P. Card. Caterini Praef.

P. Archiepiscopus Sardianus Secr.

Loco ✠ Signi.

ALLOCVTIO

HABITA DIE XXI. DECEMBRIS MDCCCLXXIV.

AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBVS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Conspicientes Nos quo acerbitatis et gravitatis tribulationes Ecclesiae Dei in dies progrediantur, eo adigi sentimus, ut lacrimis potius, quam verbis super tanta veritatis et iustitiae oppugnatione, super calamitatibus humanae societatis, super coecitate improborum uti debeamus. Impietas enim insano libertatis spiritu instincta et arcto coniuncta foedere late dominatur, quae consociatos habens consiliis suis schismaticos, haereticos et infideles, consociatam malitiae suae potestatem, violentiam et dolos, ac spe et metu obnoxias sibi hominum mentes efficiens eo tendit, ut, Catholica Religione si id posset eversa, vota expleat regni sui constituendi, regni scilicet ethnicae corruptionis, a qua Christus Dominus humanum genus eruit, et transtulit in Dei lumen et regnum. Sub hac inimicorum Dei conspiratione graviter omnino gemit Catholica Ec-

clesia; nec opus est ut luctuosam eius conditionem in Germanico Imperio, in Helvetia, in Americae centralis et meridionalis regionibus Vobis commemoremus, cum tot eius aerumnarum conscii sitis, et doloris etiam Nostri consortes. Verum acturi hodierna die eum Vobis de Patriarchae Antiocheni Syrorum confirmatione, facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin intimo moeroris sensu deploremus acerbam eam persecutionem, qua in Turcico Imperio Catholici Armenii premuntur. Ibi enim legitimo Armeniorum Ciliciae Patriarcha indigne expulso, eos ex ecclesiasticis et laicis publica potestas tamquam catholicos habere praesumit, qui Nostrae Auctoritati rebelles, et debitam obedientiam praedicto Patriarchae detrectantes, ovile Christi deseruerunt, et ab unitate catholica misere defecerunt. Iis publica protectio attributa est; veri autem Christifideles, qui pro avita religione servanda adversa quaeque magna virtute sustinent, Neo-schismaticorum odiis et furori permittuntur, eorum bona et Ecclesiae militari manu, Neo-schismaticis ducibus et actoribus, violenter pluribus in locis occupatae fuere, ipsique in privatorum aedes ad sacra officia et mysteria convenire compulsi sunt. Nec eos defendunt illa ipsa huius saeculi placita, quorum vi dum conscientiae libertas proclamatur, liberum iis esse deberet suas habere ecclesias, suam profiteri fidem, suis adhaerere Pastoribus, nec defendunt solemnes conventiones inter potentes principes initae, quibus, praeter cetera quae in illis acta fuere, catholicorum quoque in Othomanico Imperio degentium libertati, securitati, ac possessioni-

bus plene consultum fuit. Ubi nunc datae fidei et acceptae sanctitas? Ubi eam tuendi et oppressos sublevandi studium in iis, qui vocem attollere et possent et deberent?

Haec mala recensentes, non possumus, Venerabiles Fratres, non intimo dolore cruciari, videntes ex una parte quantum bellum impii et infideles callida impietatis dissimulatione moverint contra Deum et contra divinum opus, quod Ipse fundavit in terris, quod suo spiritu regit, quod eius promissa tuentur; ex altera autem parte non modo nullos tam nefariae coniurationi obiices opponi, sed etiam adiumenta ac incitamenta addi, nec cogitari quod Ecclesiae causa et iuribus oppressis, caetera humana iura et civilis societatis tranquillitas incolumis esse non possit.

At in tantae tempestatis fluctibus omnis fiducia Nostra, Venerabiles Fratres, firmiter in Deo perseveret. Causa enim quam tuemur, Dei causa est, et licet a Divino Magistro pressurae nobis in hoc mundo praenuntiatae fuerint, idem tamen in se sperantes non deserit, seque nobiscum usque ad consummationem saeculi futurum esse promisit. Nonne enim divinae eius gratiae virtus fuit, quae usque ad hanc diem in tanto certamine, tum Venerabiles Fratres Episcopos, tum Sacerdotes et Fideles in Germania, in Helvetia, in Orientis regionibus, in Americae plagis ita sustentavit, ut admirabilia exempla constantiae, zeli, fidei, invictae patientiae et virtutis magna cum gloria religionis ediderint? Deo itaque clementisimo gratias habeamus, qui Ecclesiae suae in tantis tribulationibus suo praesidio

adest et contulit; ad Ipsum deinde clamemus, tum fervidis precibus, tum sancta vitae disciplina, ut Nos et omnem populum suum in praelio confortare pergat, ut errantium mentes sua luce collustret et corda flectat, utque quemadmodum Redemptor Noster non in sua omnipotentia, sed in Nostra humilitate et infirmitate congressus fortem armatum vicit, ita Nos patientiae et iustitiae virtute adversas potestates vincamus. Si ita clamaverimus, dubitare non possumus, quin placatus nobis cito in sua benignitate respondeat, *salus tua ego sum*.

Nunc ut catholicae Orientalium Ecclesiae necessitatibus novi Syrorum Patriarchae Apostolica confirmatione consulamus, Vobis notum facimus, Venerabiles Fratres, quod e vivis erepto Ven. Fratre Ignatio Philippo Harcus, quem ab Episcopis Syris de more electum Nos ante octo annos Patriarcham confirmavimus et instituimus, Episcopi Syriaci ritus, alii per se, alii per procuratorem ad Ecclesiam S. Mariae Liberatricis, quae in Libano est, in Synodum convenientes, cui auctoritate Nostra praefuit Ven. Frater Dionysius Scelhot Syrorum Archiepiscopus Aleppensis, consuetis precibus praemissis, omnes uno animo per secreta suffragia praedictum Ven. Fratrem Dionysium Scelhot in Patriarcham Antiochenum Syrorum elegerunt, ac tum electus, tum electores de hac re ad Nos litteris datis Nos suppliciter obsecrarunt, ut auctoritate Nostra Apostolica hanc electionem confirmare, electumque sacri Pallii honore decorare vellemus. Rebus hisce omnibus a Nostra Congregatione Fidei Propagandae praeposita diligenter et accurato examine perpensis,

Nos eiusdem Congregationis consilium libentissime excipientes, praedictum Ven. Fratrem Dionysium Scelhot Patriarcham Antiochenum Syrorum renunciare, illique Pallium de Corpore B. Petri sumptum tribuere existimavimus, firma confisi spe, ipsum, Deo bene iuvante, Catholicae Syrorum Ecclesiae, tam acerbo tempore, zelo Religionis et salutis animarum, ac pastoralis muneris partibus sancte implendis validio adiumento et praesidio futurum.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei Sanctorumque Apostolorum Petri et Paulli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Syriaci ritus factam de persona Ven. Fratris Dionysii Scelhot Patriarchae, quem absolvimus a vinculo, quo Aleppensi Ecclesiae obstringitur, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum, eumque praeficimus in Patriarcham et Pastorem eiusdem Ecclesiae, prout in Decreto et Schedula Consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS
EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES
ET AD CHRISTIFIDELES UNIVERSOS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gravibus Ecclesiae et huius saeculi calamitatibus ac divini praesidii implorandi necessitate permoti, nunquam Nos Pontificatus Nostri tempore excitare praetermisimus christianum populum, ut Dei Maiestatem placare et caelestem Clementiam sanctis vitae moribus, poenitentiae operibus, et piis supplicationum officiis promereri adniteretur. In hunc finem pluries spirituales indulgentiarum thesauros Apostolica liberalitate Christifidelibus reseravimus, ut inde ad veram poenitentiam incensi et per reconciliationis sacramentum a peccatorum maculis expiati ad thronum gratiae fidentius accederent, ac digni fierent

ut eorum preces benigne a Deo exciperentur. Hoc autem uti alias, sic praesertim occasione Sacrosancti Oecumenici Vaticani Concilii praestandum censuimus, ut gravissimum opus ad Ecclesiae universae utilitatem institutum, totius pariter Ecclesiae precibus apud Deum adiuvaretur, ac suspensa licet ob temporum calamitates eiusdem Concilii celebratione, Indulgentiam tamen in forma Iubilaei consequendam ea occasione promulgatam, in sua vi, firmitate, et vigore manere, uti manet adhuc, ad populi fidelis bonum ediximus et declaravimus. Verum procedente miserorum temporum cursu, adest iam annus septuagesimus quintus supra millesimum octingentesimum, annus nempe qui sacrum illud temporis spatium signat, quod sancta maiorum nostrorum consuetudo, et Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum instituta universalis Iubilaei solemnitati celebrandae consecrarunt. Quanta Iubilaei annus, ubi tranquilla Ecclesiae tempora illum rite celebrari annuerunt, veneratione et religione sit cultus vetera ac recentiora historiae monumenta testantur; habitus enim semper fuit uti annus salutaris expiationis totius christiani populi, uti annus redemptionis et gratiae, remissionis et indulgentiae, quo ad hanc Almam Urbem Nostram et Petri Sedem ex toto orbe concurrebatur, et fidelibus universis ad pietatis officia excitatis cumulatissima quaeque reconciliationis et gratiae praesidia in animarum salutem offerebantur. Quam piam sanctamque solemnitatem hoc ipsum nostrum saeculum vidit, cum nempe Leone XII fel. record. Praedecessore Nostro Iubilaeum anno 1825 indicente, tanto christiani

populi fervore hoc beneficium exceptum fuit, ut idem Pontifex perpetuum in hanc Urbem peregrinorum per totum annum concursum adfuisse, et religionis, pietatis, fidei, caritatis, omniumque virtutum splendorem in ea mirifice eluxisse gratulari potuerit. Utinam ea nunc Nostra et civilium ac sacrarum rerum conditio esset, ut quam Iubilaei maximi solemnitatem anno huius saeculi 1850 occurrentem, propter luctuosam temporum rationem Nos omittere debuimus, nunc saltem feliciter celebrare possemus iuxta veterem illum ritum et morem, quem maiores nostri servare consueverunt! At, Deo sic permittente, non modo non sublatae sed auctae magis in dies sunt magnae illae difficultates, quae tunc temporis Nos ab indicendo Iubilaeo prohibuerunt. Verumtamen reputantes Nos animo tot mala quae Ecclesiam affligunt, tot conatus hostium eius ad Christi fidem ex animis revellendam, ad sanam doctrinam corrumpendam et impietatis virus propagandum conversos, tot scandala quae in Christo credentibus ubique obiiciuntur, corruptelam morum late manantem, ac turpem divinorum humanorumque iurium eversionem tam late diffusam tot fecundam ruinis, quae ad ipsum recti sensus in hominum animis labefactandum spectat; ac considerantes in tanta congerie malorum, maiori etiam Nobis pro Apostolico Nostro munere curae esse debere, ut fides, religio ac pietas muniatur ac vigeat, ut precum spiritus late foveatur et augeatur, ut lapsi ad cordis poenitentiam et morum emendationem excitentur, ut peccata, quae iram Dei meruerunt, sanctis operibus redimantur, quos ad fructus maximi Iubilaei cele-

bratio praecipue dirigitur; pati Nos non debere putavimus, ut hoc salutari beneficio, servata ea forma, quam temporum conditio sinit, christianus populus hac occasione destitueretur, ut inde confortatus spiritu in viis iustitiae in dies alacrior incedat, et expiatus culpis facilius ac uberius divinam propitiationem et veniam assequatur. Excipiat igitur universa Christi militans Ecclesia voces Nostras, quibus ad eius exaltationem, ad christiani populi sanctificationem et ad Dei gloriam universale maximumque Iubilaeum integro anno 1875 proxime insequenti duraturum indicimus annunciamus et promulgamus: cuius Iubilaei causa et intuitu superius memoratam indulgentiam occasione Vaticani Concilii in forma Iubilaei concessam, ad beneplacitum Nostrum et huius Apostolicae Sedis suspendentes ac suspensam declarantes, caelestem illum thesaurum latissime recludimus, quem ex Christi Domini eiusque Virginis Matris omniumque Sanctorum meritis passionibus ac virtutibus comparatum, Auctor salutis humanae dispensationi Nostrae concredidit.

Itaque Dei misericordia et Beatorum Petri et Paulli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi, quam Nobis Dominus, licet immeritis, contulit potestate, omnibus et singulis Christifidelibus, tum in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, tum extra Urbem praedictam in quacumque mundi parte existentibus, et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, quorum primi BB. Petri et Pauli nec non S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae

Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die per quindecim continuos aut interpolatos dies sive naturales sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, alteri autem Ecclesiam ipsam Cathedralem seu maiorem, aliasque tres eiusdem Civitatis aut loci sive in illius suburbiis existentes ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis aliisve de ipsorum mandato, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae litterae pervenerint, designandas, semel pariter in die per quindecim continuos aut interpolatos dies, ut supra, devote visitaverint, ibique pro Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum, omniumque errantium conversione, pro totius populi Christiani pace et unitate ac iuxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam anni Iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam, annuo temporis spatio superius memorato semel consequantur, misericorditer in Domino concedimus et impertimus, annuentes, etiam ut haec indulgentia animabus quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat.

Navigantes vero et iter agentes, ut, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, et visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali vel maiori, aut Parochiali loci eorum domicilii seu stationis huiusmodi, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant. Nec non praedictis locorum Ordinariis, ut cum Moniali-

bus, Oblatis, aliisque puellis aut mulieribus sive in Monasteriorum clausura, sive in aliis religiosis aut piis domibus et communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque et Eremitis, ac aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis personis saecularibus in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quoque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super praescriptis huiusmodi visitationibus tantummodo; cum pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione huiusmodi dispensare, ac illis omnibus, et singulis sive per se ipsos, sive per eorum, earumque regulares Praelatos aut Superiores, vel per prudentes Confessarios alia pietatis, charitatis aut religionis opera in locum visitationum huiusmodi seu respective in locum sacramentalis Communionis praedictae ab ipsis adimplenda praescribere; atque etiam Capitulis et Congregationibus tam saecularium, quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque Ecclesias huiusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere possint ac valeant, earumdem tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque novitiis, ut sibi ad hunc effectum Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum monasteria sunt constituta, approbatum; caeteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam laicis quam

ecclesiasticis saecularibus, et cuiusvis ordinis, congregationis, et instituti etiam specialiter nominandi regularibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam cuiusvis etiam diversi ordinis, et instituti regularem ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum civitatibus, dioecesibus, et territoriis confessiones huiusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum anni spatium illas, et illos, qui scilicet praesens Iubilaeum consequi sincere et serio statuerint, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi ad confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis, et censuris a iure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque, ac Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et qui alias in concessione quamtumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii semper exceptis, nec non poenalibus, quae

praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum, et ad superiorum assecutionem ob censurarum violationem dumtaxat contracta dispensare possint et valeant, eadem auctoritate, et Apostolicae benignitatis amplitudine concedimus et indulgemus.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare Constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro incipien. *Sacramentum poenitentiae* sub datum kalendis Iunii anni Incarnationis Dominicae 1741 Pontificatus sui anno primo. Neque demum easdem praesentes iis qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus anni praedicti satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint ullo modo suffragari posse, aut debere.

Caeterum si qui post inchoatum huius Iubilaei

consequendi animo praescriptorum operum implementum morte praeventi praefinitum visitationum numerum complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac sacra Communione refectos praedictae Indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si praedictas Ecclesias diebus praescriptis reipsa visitassent. Si qui autem post obtentas vigore praesentium absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud ac sincerum ad id alias requisitum propositum eiusdem Iubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint; nihilominus huiusmodi absolutiones, commutationes, et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Praesentes quoque litteras per omnia validas et efficaces existere suosque plenarios effectus ubicumque per locorum Ordinarios publicatae et exequutioni demandatae fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus in huiusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione et itinere se recipientibus plenissime suffragari volumus, atque decernimus: non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, et generalibus seu specialibus absolutionum,

seu relaxationum, ac dispensationum reservationibus, nec non quorumcumque etiam Mendicantium, et Militarium ordinum, congregationum, et institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicuius ordinis, congregationis, et instituti huiusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, et individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, huiusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes pro hac vice, et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dum vero pro Apostolico munere quo fungimur, et pro ea sollicitudine qua universum Christi gregem complecti debemus, salutarem hanc remissionis et gratiae consequendae opportunitatem proponimus, facere non possumus quin omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosve Ordinarios locorum, Praelatos sive ordinariam localem iurisdictionem in defectu Episcoporum et Praelatorum huiusmodi legitime exercentes, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, per nomen Domini Nostri et omnium Pastorum Principis Iesu Christi enixe rogemus et obsecremus, ut populis fidei suae commissis tantum bonum annun-

cient, summoque studio agant, ut fideles omnes per poenitentiam Deo reconciliati Iubilaei gratiam in animarum suarum lucrum utilitatemque convertant. Itaque vestrae imprimis curae erit, Venerabiles Fratres, ut implorata primum publicis precibus Divina Clementia ad hoc ut omnium mentes et corda sua luce et gratia perfundat, opportunis instructionibus et admonitionibus Christiana plebs ad percipiendum Iubilaei fructum dirigatur, atque accurate intelligat quae sit christiani Iubilaei ad animarum utilitatem ac lucrum vis et natura, in quo spirituali ratione ea bona per Christi Domini virtutem cumulatissime complentur, quae anno quolibet quinquagesimo apud Iudaicum Populum lex vetus nuncia futurorum invexerat; utque simul apte edoceatur de indulgentiarum vi, ac de iis omnibus, quae ad fructuosam peccatorum confessionem et ad Sacramentum Eucharistiae sancte percipiendum peragere debeat. Quoniam vero nedum exemplum, sed ministerii ecclesiastici opera omnino requiritur, ut in populo Dei optati sanctificationis fructus habeantur, vestrorum Sacerdotum zelum, VV. Fratres, ad ministerium salutis hoc potissimum tempore alacriter exercendum inflammare non omittite: atque ad commune bonum, ubi hoc fieri possit, plurimum conferet, si ipsi pietatis et religionis exemplo christiano populo praeeuntes, spiritualium exercitationum ope suae sanctae vocationis spiritum renovent, ut deinde utilius ac salutarius in suis muneribus explendis, et in sacris Missionibus apud populum habendis, statuto a Vobis ordine et ratione versentur. Cum porro tot sint hoc saeculo mala, quae reparentur, et

bona quae promoveantur, assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, omnem curam impendite, ut populus vester ad detestandum immane crimen blasphemiae adducatur, quo nihil est tam sanctum quod hoc tempore non violetur, utque de diebus festis sancte colendis, de ieiunii et abstinentiae legibus ex Ecclesiae Dei praescripto servandis sua officia cognoscat et impleat, atque ita vitare possit poenas, quas harum rerum contemptus evocavit in terras. In tuenda Cleri disciplina, in recta Clericorum institutione curanda vestrum pariter studium ac zelus constanter advigilet, omnique qua potestis ratione auxilium circumventae iuventuti afferte, quae in quanto discrimine sit posita, et quam gravi ruinae obnoxia, a Vobis non ignoratur. Hoc mali genus ita acerbum fuit Divini Ipsius Redemptoris cordi, ut in eius auctores ea verba protulerit « *quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria in collo eius et in mare mitteretur.* » (1) Nihil autem magis dignum est sacri Iubilaei tempore, quam ut omnigenae caritatis opera impensius exerceantur: ac propterea vestri etiam zeli erit, Venerabiles Fratres, ut subveniatur pauperi, ut peccata eleemosynis redimantur, quarum tam multa bona in scripturis sacris recensentur: et quo latius caritatis fructus maneat ac stabilior evadat, opportunum admodum erit ut caritatis subsidia ad fovenda vel excitanda pia illa instituta conferantur, quae utilitati animarum et corporum plurimum conducere hoc tempore existimantur. Si ad haec bona

(1) Marcus 9. 41.

assequenda omnium vestrum mentes et studia consenserint, fieri non potest, quin Regnum Christi et iustitia eius magna incrementa suscipiat, et hoc tempore acceptabili his diebus salutis magnam supernorum munerum copiam super filios dilectionis clementia caelestis effundat.

Ad Vos denique Catholicae Ecclesiae Filii universi sermonem Nostrum convertimus, omnesque et singulos paterno affectu cohortamur, ut hac Iubilaei veniae assequendae occasione ita utamini, quemadmodum sincerum salutis vestrae studium a vobis exposcit. Si unquam alias nunc certe pernecessarium est, Filii dilectissimi, conscientiam emundare ab operibus mortuis, sacrificare sacrificia iustitiae, facere fructus dignos poenitentiae, et seminare in lacrimis ut cum exultatione metamus. Satis innuit divina Maiestas quid a nobis postulet, cum iamdiu ob pravitatem nostram sub increpatione eius, sub inspiratione spiritus irae suae laboremus. Iamvero *solent homines quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilii causa destinare legatos. Nos quod est melius legationem ad Deum destinemus;* ab Ipso imploremus auxilia, ad Ipsum nos corde, orationibus, ieiuniis et eleemosynis conferamus. Nam *quanto Deo viciniores fuerimus, tanto adversarii nostri a nobis longius repellentur* (1). Sed vos praecipue audite Apostolicam vocem, pro Christo enim legatione fungimur, vos qui laboratis et onerati estis, et a semita salutis errantes sub iugo pravarum cupiditatum et diabolicae servitutis urgemini. Ne vos divitias bonitatis,

(1) S. Maximus Taurinen. Hom. XCI.

patientiae et longanimitatis Dei contemnatis; et dum tam ampla, tam facilis veniae consequendae copia paratur vobis, nolite contumacia vestra inexcusabiles vos facere apud Divinum Iudicem, et thesaurizare vobis iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. Redite itaque praevaricatores ad cor, reconciliamini Deo; mundus transit et concupiscentia eius; abiicite opera tenebrarum, induimini arma lucis, desinite hostes esse animae vestrae, ut ei tandem pacem in hoc saeculo, et in altero aeterna iustorum praemia concilietis. Haec sunt vota Nostra: haec a Clementissimo Domino postulare non cessabimus; atque omnibus catholicae Ecclesiae filiis, hac precum societate Nobiscum coniunctis, haec ipsa bona a Patre misericordiarum Nos cumulate assecuturos esse confidimus. Ad faustum interea et salutarem huius sancti Operis fructum sit auspex omnium gratiarum omniumque caelestium munerum Apostolica Benedictio, quam vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et Vobis, Dilecti Filii, quotquot in Catholica Ecclesia censemini ex intimo corde depromptam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vicesima-quarta Decembris Anno MDCCCLXXIV.

PIVS PP. IX.

Non abs re profecto erit heic addere Encyclicas Litteras s. m. Leonis XII, quibus ad totum orbem catholicum protendit Iubilaeum magnum an. 1825. Etenim SS. D. N. Pius IX iussit eas iterum edi occasione Iubilaei a se indicti vertente anno, ut omnes Episcopi utilem ab eis normam capiant.

DE IUBILAEI EXTENSIONE
AD UNIVERSUM CATHOLICUM GREGEM
EPISTOLA ENCYCLICA.

LEO PP. XII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Caritate Christi urgente Nos, ut fructus passionis Eius in omnes, quantum divinitus concessa Nobis, licet indignis, potestate possumus, derivandos curemus; insignibus fidei, pietatis, omnisque virtutis exemplis tum incolarum huius urbis, tum advenarum, qui frequentissimi pro conditione temporum huc universalis Iubilaei causa convenerunt, magnam in spem erecti fore, ut ubique studia eadem Fidelium ad utilitatem animarum suarum, ad Dei et eius Ecclesiae gloriam excitentur; votis item vestris obsecundantes, Venerabiles Fratres, et Principum Catholicorum, quibus vera felicitas cordi est gentium sibi subditarum, quemadmodum a fel. rec. Praedecessoribus Nostris Benedicto XIV et Pio VI factum est, Ecclesiae thesauros, uti Romae elapso anno sacro, ita in universis orbis terrae regionibus aperien-

dos in Domino putavimus. Proinde Constitutionem ad universos Christifideles edidimus, qua Iubilaei eiusdem indulgentiam extendimus, et quae pia opera, quoque temporis spatio ad eam consequendam praestari debeant, item permissas arbitrio vestro facultates iniuncta opera commutandi, aut redigendi, eorum commodo qui impediti legitime fuerint, indicamus, eamque, ut per Vos cognosci ab omnibus possit, Vobis mittimus. In re autem huiusmodi quam necessaria opera vestra sit, quantaque Vobis contentione sit laborandum, ut felices consiliis Nostris exitus respondeant, nihil necesse est dicere. Tantum enim boni ex solemni hac anni sacri celebratione percepturi sunt populi, quantum diligentiae studiique ad se, uti par est, praeparandos adhibuerint: ut autem plurimum adhibeant, id ex curis pendet, quas in id pro munere officii vestri pastoralis impenderitis. Agnoscant igitur per Vos quid et quantum illud sit quod eis tribuitur. Ostendite thesauri pretium quem reseramus, et quam facile omnes possint eius divitiarum esse participes, tum ob amplissimas, quas Ministris Poenitentiae concedimus facultates peccata remittendi, tum ob ipsam operum naturam, quae imponuntur peccatis expiandis. Scitis quanta fuerit ea in re disciplinae severitas in Ecclesia ante saeculum quartum decimum. Quicumque pro sola devotione, ait fel. rec. Praedecessor noster Urbanus II in Concilio Claromontano, « non pro honoris, vel pecuniae adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Ierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni poenitentia reputetur. » Neque sane aliter tunc concedi plenariam indulgentiam solitam fuis-

se novimus, quemadmodum verba illa referens doctissimus ac piissimus Dei servus Beatus Iosephus Maria Thomasius Cardinalis animadvertit. « Hanc, » inquit, plenariam indulgentiam, in qua opus in» iunctum gravissimum erat sumptibus, incommodis, » laboriosissimis itineribus, et imminentibus vitae » periculis, ut potius videri possit immutatio poe» nitentiae, quam huius absoluta relaxatio.... hanc, » inquam, plenariam indulgentiam pro terra sancta » alii postea Summi Pontifices semper confirma» runt ». Lenitatem piae matris Ecclesiae imbecillitatem miserantis filiorum suorum, quae nunc onera tanto leviora ac faciliora pro bonis pretium omne excedentibus imponit, Fidelium considerationi proponentes, illud certe assequemini, ut nemo tam mollis et negligens reperiatur, quin bona illa velit tam parvo sibi comparare. Cavendum tamen est diligenter, ne inde occasione accepta, ut verbis utamur Sanctae Synodi Tridentinae, « peccata ipsa le» viora putantes, velut iniurii, et contumeliosi Spi» ritui Sancto, in graviora labantur, thesaurizantes » sibi iram in die irae. » Quare Ecclesiae quidem ea in re ostendatur liberalitas, sed nihil omnino diligentiae, atque industriae negligatur, quo redigant homines in memoriam quaecumque contra Dei legem commiserunt, eaque delentes ex animo, ac detestantes integre ac sincere confiteantur; atque inde magis ad admirandum amandamque Dei benignitatem excitentur, qui se tam facilem ac placabilem praebeat iis, qui nunquam satis plectenda impietate « semel a peccati, et daemonis servitute per » Baptismum liberati, et accepto Spiritus Sancti do-

» no, scienter templum Dei violare, et Spiritum » Sanctum contristare non formidaverint. »

Eam ob causam exemplum sequuti Praedecessorum Nostrorum, solemni indicto Iubilaeo, divinum auxilium ad prosperum tanti operis exitum publice implorari iussimus, sine quo nihil eiusmodi humana potest imbecillitas, et frangi populo panem verbi Domini tum in templis, tum in plateis, quo ministrorum ope salutis animarum zelo flagrantium, et catholicam de Indulgentiis, ac Iubilaeo doctrinam doceretur diligenter, et de omni Christiani instituti admoneretur officio, et ad sinceram poenitentiam gravissima oratione excitaretur.

Sibi igitur unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, hoc potissimum in tempore illud Prophetae dictum putet: « clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum » et ipsi per Vos, quoad poteritis, et monitu vestro sacri oratores, quos elegeritis verbis ac vita ad movendos animos maxime idoneos, inculcent auribus omnium, quod omnibus comminatus est Christus: « nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. » Doceant, idipsum, nos ut poeniteat, petere supplici prece oportere, quod implorabat verbis illis Propheta: « converte nos Domine ad Te, et convertemur: » ostendant, quanta in Deum iniuria sit peccatum: incutiant salutarem animis terrorem, severitate proposita divini iudicii, ac suppliciorum acerbitate quae parata sunt morientibus in peccato suo; excitent vero spem in omnibus ab infinita Dei bonitate impetrandae misericordiae, qui se expectare affirmat,

ut misereatur, cuius sunt voces illae dulcissimae: « convertimini et agite poenitentiam ab omnibus » inquinamentis vestris, et non erit vobis in ruinam » iniquitas. Proiicite a vobis omnes praevaricatio- » nes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite » vobis cor novum et spiritum novum.... Quia » nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: re- » vertimini et vivite. » Ex quo illud facile conse- quetur, ut agnoscatur, quam dignus amore sit pater adeo bonus ac misericors, indeque subeat consideratio, quam indigna tanta bonitate ratio sit eum offendere, dolor denique intimus oriatur, ac detestatio peccatorum, certaque ac deliberata voluntas vitam et mores emendandi.

Ita internae ostensa poenitentiae necessitate, ad eamque comparatis Fidelium animis, de eadem quatenus sacramentum est, diligenter doceantur. Admoneant eos ministri verbi Domini, aeque necessarium esse illud degenerantibus post Baptismum, quam Baptismum ipsum nondum regeneratis, merito proinde dictum « secundam tabulam post naufragium, » qua una in aeternae salutis portum liceat pervenire: ostendant quo sensu doloris et humilitatis, qua fide, qua integritate confiteri peccata sua debeant: neque illud docere praetermittant, confessionem generalem persaepe utilem esse, certis autem in casibus omnino necessariam: abluta vero per absolutionem culpa, aeternaque poena condonata, temporalem plerumque superesse; ita omnino divina exigente iustitia, ut poenis saltem tempore definitis puniantur ii, quorum sceleribus nec ipsa nullis definita temporis finibus supplicia satis digna fuissent. Sic praeparatis

animis, Fideles sancti Iubilaei fructus adipisci poterunt; sed ut opera qua par est pietate fiduciaque suscipiant, per quae hoc tantum boni sint adepturi, vestrum erit efficere, ut intelligant, ac certum et persuasum habeant, relictum esse Ecclesiae a mediatore Dei et hominum Christo Iesu inexhaustum meritorum suorum thesaurum, quibus et merita accedunt Beatissimae Virginis Genitricis eius, Sanctorumque omnium vi copiosae apud Dominum redemptionis eo dignitatis evecta, cuius divitias hominibus dividere in eius esset potestate, quem Christus ipse visibile pro se invisibili in eadem Ecclesia caput constituisset; eius nempe prudenti arbitrio merita illa modo amplius modo arctius applicari vivis ad modum absolutionis, mortuis ad modum suffragii posse, siquidem illi per sacramentum Poenitentiae culpam eluissent, aeternaque poena essent absoluti, hi vero si cum Deo caritate coniuncti migrassent e vita; in ea vero meritorum illorum applicatione indulgentiam esse positam, per quam temporales poenae apud divinam iustitiam peccatis debitae plus minusve relaxantur, pro modo applicationis a dispensatore thesauri illius Romano Pontifice constitutae, et quam Fideles ad eam afferant, praeparationis: denique plenariam esse indulgentiam Iubilaei, et ab aliis etiam plenariis indulgentiis distinctam, quae in modum Iubilaei conceduntur, propterea quod anno solemnis remissionis, qui Iubilaeus dicitur, amplior poenitentiae Ministris ad hoc ipsum constitutis tribuitur facultas a peccatis absolvendi, et vincula atque impedimenta relaxandi, quibus non raro confitentium conscientia implicatur: dum

autem universi Christiani populi in coelum ascendit deprecatio, certior in omnes ampliorque placati poenitentia Domini descendit miseratio.

Atque haec quidem, Venerabiles Fratres, docendi sunt populi; sed ut, quae docti fuerint, efficere cum fructu possint, quam necessaria sit apta et opportuna Sacerdotum opera, apud quos confiteri peccata sua debeant, probe intelligitis. Quamobrem curandum sedulo Vobis est, ut ii, quos ad confessiones audiendas deligetis, ea meminerint ac praestent, quae de Ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor Noster Innocentius III., ut scilicet « sit di» scretus et cautus, ut more periti medici similiter » infundat vinum et oleum vulneribus sauciati, di» ligenter inquirens et peccatoris circumstantias et » peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi » debeat consilium praebere, et eiusmodi remedium » adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum: habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani; videat diligenter Sacerdos, » quando et quibus conferenda, vel neganda, vel » differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui ta» lis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla » dant signa doloris, qui odia et inimicitias depo» nere, aut aliena, si possunt, restituere, aut pro» ximam peccandi occasionem deserere, aut alio » modo peccata derelinquere, et vitam in melius » emendare nolunt; aut qui publicum scandalum » dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum » tollant. Quae quidem nemo non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt mul-

tiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti qui ait: *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus;* aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris, ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae Ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Iesu, qui *non venit vocare iustos sed peccatores*, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam caeteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; *misericordiae* enim Domini *non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus;* vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad

detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter iudicentur. Quocumque autem animo sint qui accedant ad Ministrum Poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis quoad poterit, humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae caelestis dulcedine reficiantur. Aptissimo eius caritatis exemplo inter caeteros esse potest S. Raymundus de Pennafort, quem insignem Sacramenti Poenitentiae Ministrum appellat Ecclesia. « Cognitis peccatis, inquit, » adsit (confessarius) benevolus, paratus erigere et » secum onus portare; habeat dulcedinem in affe- » ctione, pietatem in alterius crimine, discretionem » in varietate, adiuvet confitentem orando, eleemo- » synas et caetera bona pro eo faciendo, semper » eum iuvet leniendo, consolando, spem promitten- » do, et cum opus fuerit, etiam increpando. »

Huiusmodi vero accepti patientia, ac benignitate caritatis peccatores aequiore etiam animo poenae se subiicient, quae sibi satisfactionis nomine irrogabitur. Animadvertant enim necesse est, non eam esse vim ac naturam Iubilaei, ut per eius indul-

gentiam omni solvantur homines obligatione offensae peccatis Dei iustitiae satisfaciendi, quasi vero quae poenitentibus eius rei causa a Sacerdotibus Sacramenti ministris per id tempus iniunguntur, praestare necesse non sit. Nam ad Sacramenti integritatem non pertinet satisfactio illa, neque profecto alia Nobis mens esse potest, dum permissa a Christo potestate de severitate debitae peccatis poenae per indulgentiam remittimus, nisi ut illi dumtaxat tanto fruantur beneficio, qui omnia impleverint, quibus, eodem Ecclesiam suam docente Christo, didicimus velle iustitiae suae Deum per infinita ipsius Filii sui Redemptoris nostri merita satisfieri. Revocanda igitur Vobis sunt in memoriam Poenitentiae Ministris, verba illa S. Concilii Tridentini; « debent » Sacerdotes, quantum prudentia suggerit, pro qua» litate criminum, et poenitentium facultate, saluta» res et convenientes satisfactiones iniungere » ; et quod docet Catechismus eiusdem S. Concilii, in irroganda scilicet satisfactionis poena nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia iustitia, prudentia et pietate dirigenda; qua ut regula peccata metiri videantur, et poenitentes suorum scelerum gravitatem agnoscant, operae pretium esse eis interdum significare quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto, qui poenitentiales vocantur, constitutae sint; universaeque satisfactionis modum culpae ratione temperandum.

Quam in rem illud etiam hoc praesertim tempore misericordiae, et remissionis opportune admonebuntur Sacerdotes, quod ait Doctor Angelicus: « Melius est quod Sacerdos poenitenti indicet quan-

» ta poenitentia esset sibi pro peccatis iniungenda,
» et iniungat nihilominus aliquid, quod poenitens
» tolerabiliter ferat. Quod ipsum antea docuerat
» Chrysostomus: Si nulla ex parte, inquit, parcere
» volens debitam adhibueris sectionem, fiet saepe,
» ut animum ille doloris impatientia despondens,
» atque adeo omnia simul detrectans cum pharma-
» cum, tum vinculum, se ipse praecipitem ferat,
» contrito iugo, et confracto laqueo. Equidem com-
» plures recensere possim, quos constat in extrema
» mala adactos non ob aliud, nisi quod digna ab
» eis poena, et quae peccatis perpetratis par esset,
» exigeretur. »

Huc vero cum pertineat saluberrima haec, quae Nobis divinitus facta est, potestas merita Dei et hominis Christi Domini, et Sanctorum eius dispensandi, ut partibus omnibus impletis Sacramenti Poenitentiae, quidquid poena adhuc sibi luendum supersit peccatorum supplere Fideles possint; date operam, ut intelligant, qua ratione, quo ordine, qua pietate, quae ad id iniuncta fuerint, sint exsequenda. Discant supplicationes hasce, quae ad certas sacras aedes faciendae praescribuntur, instar esse quoddam stationum illarum, quae priscis Ecclesiae temporibus fieri solebant, cum mos fuit fidelium, ut certis diebus includerent se in sacris aedibus, ibique ieiuni orantesque, et annos suos recogitantes in amaritudine animae suae usque ad vesperam perseverarent.

Quod si nunc temporis Ecclesia tanto minus requirit a filiis suis ad hoc etiam, ut plenariam consequi indulgentiam possint, id non ita sane est interpretandum, quasi minorem existimet nunc, quam

antea, debere nos Deo compensationem pro peccatis; sed dum laboriosa opera mitigat misericordia, quantum de asperitate remittit exterioris satisfactionis, tantum conari vult homines, ut intensioris vi contritionis, piique ardore studii exsequendorum, quae imperaverit, operum interiori profectui afferant animorum.

Atque ad hoc illud refertur, quod inter iniuncta opera Sanctissimae Eucharistiae perceptio numeretur, qua, cum ipse in ea fons caelestium omnium charismatum, ac donorum Christus Dominus contineatur, nulla profecto efficacior res est ad ignem excitandum perfectae caritatis: ex quo liquet quantopere in eam curam incumbendum Vobis sit, ut fidelis populus tanti Sacramenti vim et naturam doceatur, et optime affecto ac praeparato animo ad illud accedat.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae velimus potissimum, quod ad sacrum pertinet Iubilaeum, fideles populos praemoneri. Freti studio vestro salutis commissarum Vobis animarum non modo Vos confidimus operam daturos, ut omnes ea studiose peragendo, quae indicavimus, plenariam, quam omnibus de inaestimabili Ecclesiae thesauro offerimus, consequantur indulgentiam; sed ita consequantur, ut ejus fructus etiam in posterum permaneant. Eo enim pro sollicitudine Nostra omnium Ecclesiarum spectant vota Nostra, dum beneficium huiusmodi ad universos orbis Catholicos extendimus, ut omnis, si fieri potest, corruptela a moribus Christiani populi in perpetuum removeatur. In vestro quique grege, quae potissimum vitia dominentur, probe nostis. In

ea igitur radicitus evellenda toto animo incumbere nunquam zeli vestri pastoralis desistat industria. Immane illud flagitium contumeliose in Deum loquendi quis credidisset fieri unquam posse, ut audiretur inter Christianos? Atqui tamen nulla iam pene regio est, in qua non temere iuretur, ac sanctum et terribile nomen Domini usurpetur irreverenter, atque adeo non desint (horrescimus cogitantes, pudetque dicere) qui ei, quem Angeli glorificant, non vereantur maledicere. In huiusmodi impietatem, qua nulla maior Divinae Maiestati afferri potest iniuria, exardescat zelus vester, summaque ope invehatur...

Vestrum potissimum est decorem diligere domus Dei: at illud maximae curae Vobis esse debet, ne illa adeuntium cultu habituque minus decente, aut quavis irreligiositate violetur, quibus sane nihil eam magis dedecorat; neve unquam excidant fidelibus monita illa Christi Domini, *Domus mea domus orationis est*, et, *zelus domus tuae comedit me.*

Meminerint admoniti per Vos populi praeceptum, quod ipse Dominus imposuit verbis illis: *memento ut Sabbata sanctifices*, et horrendam illam in violatores sententiam: *Sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos:* in quo tamen tanta est multorum perversitas, ut vel non dubitent servilia exercere, vel quae immunitas ab huiusmodi operibus ad vacandum Deo praecepta est, ea ipsi ad vacandum Diabolo abutantur; ita se diebus festis ad comissationes, ad ebrietatem, ad libidinem, ad omnia Diaboli opera proiiciunt. Tollatur in perpe-

tuum, quoad per Vos fieri poterit, scandalum huiusmodi, succedatque illi orandi studium, aud endique verbi Domini, neque modo pie assistendo augustissimo Missae sacrificio, sed ipso sumendo Christi Corpore, saluberrima sacrificii ipsius participatio.

Quid vero de Ecclesiae praeceptis, quid nominatim de abstinentiae, ac ieiunii observantia dicemus? Quotus enim iam quisque est qui praeceptum illud praesertim vel, ut par est, curet, vel etiam non omnino contemnat? In hoc etiam intelligitis, quam necesse sit, Vos animum intendere, ut cognoscant Fideles quo praecepta Ecclesiae pertineant, quantaque tantae parentis auctoritatem veneratione prosequi debeant, de qua sponsus ipse eius Christus pronuntiavit: « siquis Ecclesiam non audierit, sit » tibi sicut ethnicus, et publicanus. »

Omnis quidem aetas curas vestras sibi vindicat, sed ea potissimum, ex qua futurus pendet Ecclesiae status et humanae societatis, quamque ideo coniurata in utriusque perniciem omni ope ad suas partes adducere conatur impietas. Educationis eius ac disciplinae vel negligentiam vel perversitatem inde magna ex parte repetendam esse probe cognoscitis, ac nobiscum deploratis, quod iam homines Matrimonii sanctitatis et officiorum cepisse videatur oblivio; adeo crebro contractus, ut vocant, civilis, qui tot in regionibus usurpatur, occasione, sanctissimae Sacramenti illius leges violantur, quod, Paulo Apostolo auctore, *magnum est in Christo et in Ecclesia;* adeo invaluit iniquissima illa inter catholicos, et haereticos coniuges conventio, ut vel tota proles patris, vel mascula patris, femina matris religionem sequa-

tur. Videtis igitur quanta Vobis suscipienda sit sollicitudo, ut fideles catholicam de Sacramento illo teneant doctrinam, et ad parendum adducantur Ecclesiae legibus, funestaque illa Christianae educationis pernicies, quantum eniti hortatu et auctoritate possitis, a Christiano populo amoveatur: generatim vero ut catholicis moribus atque institutis imbuantur adolescentes, et eisdem ipsis instando, et parentibus et praeceptoribus, contendite; praesertim vero ut caveant a seductoribus, ut adeo propagatam miserrima temporum conditione opinionum sententiarumque pravitatem, et unde teterrima malorum omnium seges orta est, libros religioni, moribus, quieti publicae infestos perhorrescant. Quae ut pestis prohibeatur a fideli populo, eum identidem admonendum curate, quam iuste ac salubriter et a Praedecessoribus Nostris, et a Christianis Principibus cautum sit, ne libri huiusmodi retineantur, nullamque ea in re nimiam vigilantiam curamque existimate. Omnis autem aetatis, sexus, conditionis mortalibus consultum fuerit, si salutari pabulo assidue nutriantur verbi Domini, si frequens foveatur usus Sacramentorum, si pii coetus, quibus utrumque sit in primis propositum, vel provehantur quicumque sint, vel novi etiam instituantur.

Sed ad haec efficienda adiutoribus Vobis opus est, quos vocavit Dominus operarios in vineam suam. Quare admonete eos assidue quam non ipsis liceat esse otiosis, quamque necesse sit, ut operam suam conferant ad mores populi moderandos. Inquirite sedulo in eorum vitam, sermones, convictus, consuetudines: « manus enim sordida, ut ait S. Gre-

tuum, quoad per Vos fieri poterit, scandalum huiusmodi, succedatque illi orandi studium, audiendique verbi Domini, neque modo pie assistendo augustissimo Missae sacrificio, sed ipso sumendo Christi Corpore, saluberrima sacrificii ipsius participatio.

Quid vero de Ecclesiae praeceptis, quid nominatim de abstinentiae, ac ieiunii observantia dicemus? Quotus enim iam quisque est qui praeceptum illud praesertim vel, ut par est, curet, vel etiam non omnino contemnat? In hoc etiam intelligitis, quam necesse sit, Vos animum intendere, ut cognoscant Fideles quo praecepta Ecclesiae pertineant, quantaque tantae parentis auctoritatem veneratione prosequi debeant, de qua sponsus ipse eius Christus pronuntiavit: « siquis Ecclesiam non audierit, sit » tibi sicut ethnicus, et publicanus. »

Omnis quidem aetas curas vestras sibi vindicat, sed ea potissimum, ex qua futurus pendet Ecclesiae status et humanae societatis, quamque ideo coniurata in utriusque perniciem omni ope ad suas partes adducere conatur impietas. Educationis eius ac disciplinae vel negligentiam vel perversitatem inde magna ex parte repetendam esse probe cognoscitis, ac nobiscum deploratis, quod iam homines Matrimonii sanctitatis et officiorum cepisse videatur oblivio; adeo crebro contractus, ut vocant, civilis, qui tot in regionibus usurpatur, occasione, sanctissimae Sacramenti illius leges violantur, quod, Paulo Apostolo auctore, *magnum est in Christo et in Ecclesia;* adeo invaluit iniquissima illa inter catholicos, et haereticos coniuges conventio, ut vel tota proles patris, vel mascula patris, femina matris religionem sequa-

tur. Videtis igitur quanta Vobis suscipienda sit sollicitudo, ut fideles catholicam de Sacramento illo teneant doctrinam, et ad parendum adducantur Ecclesiae legibus, funestaque illa Christianae educationis pernicies, quantum eniti hortatu et auctoritate possitis, a Christiano populo amoveatur: generatim vero ut catholicis moribus atque institutis imbuantur adolescentes, et eisdem ipsis instando, et parentibus et praeceptoribus, contendite; praesertim vero ut caveant a seductoribus, ut adeo propagatam miserrima temporum conditione opinionum sententiarumque pravitatem, et unde teterrima malorum omnium seges orta est, libros religioni, moribus, quieti publicae infestos perhorrescant. Quae ut pestis prohibeatur a fideli populo, eum identidem admonendum curate, quam iuste ac salubriter et a Praedecessoribus Nostris, et a Christianis Principibus cautum sit, ne libri huiusmodi retineantur, nullamque ea in re nimiam vigilantiam curamque existimate. Omnis autem aetatis, sexus, conditionis mortalibus consultum fuerit, si salutari pabulo assidue nutriantur verbi Domini, si frequens foveatur usus Sacramentorum, si pii coetus, quibus utrumque sit in primis propositum, vel provehantur quicumque sint, vel novi etiam instituantur.

Sed ad haec efficienda adiutoribus Vobis opus est, quos vocavit Dominus operarios in vineam suam. Quare admonete eos assidue quam non ipsis liceat esse otiosis, quamque necesse sit, ut operam suam conferant ad mores populi moderandos. Inquirite sedulo in eorum vitam, sermones, convictus, consuetudines: « manus enim sordida, ut ait S. Gre-

» gorius M., aliam non lavat, et oculus plenus pul» vere maculam non considerat; ita mundus debet » esse qui vult aliena corrigere. » Ad cultus praeterea eorum exterioris gravitatem ac modestiam diligenter attendite. Ut autem docendis Fidelibus, et ecclesiasticis ministeriis recte riteque obeundis sint idonei, ne sitis experimento contenti, quod dederint antequam Ordinibus initiarentur; sed curate, ut initiati nunquam desinant in rerum sacrarum studiis impigre se exercere. Quo spectat quod Concilium Romanum habitum a Benedicto XIII. anno Iubilaei 1725. de congregationibus decrevit Ecclesiasticorum « semel in unaquaque hebdomada habendis, » in quibus alternatim et rituum et conscientiae » casus proponantur, discutiantur, et practice exer» ceantur; » quodque proinde Vobis maiorem in modum volumus commendatum.

Ceteris vero Ecclesiasticis eos aequum est in omnibus excellere, qui excellunt dignitate. Eorum idcirco a Vobis ratio est habenda diligenter, ut nihil in eis reprehendendum populus animadvertat, quos maxime intuetur; sed ita vobiscum consilio atque opera conspirent in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, ut merito cum Conc. Trid. Ecclesiae Senatus dici possint. Parochorum praesertim curas et industriam acuite, ut ex praescripto eiusdem Sanctae Synodi « plebem per se incessanter » instruant, et Sacramentis reficiant, quotidianas » pro populo ad eum preces et orationes effundant, » et laudabili vitae et conversationis exemplo, vir» tutibus, et morum disciplina omnibus praeluceant,

» viamque salutis praemonstrent, » caeteris denique fungantur officiis, quae ibidem praescripta sunt.

Seminarium custodite ut pupillam oculi, et quicumque in spem Ecclesiae adolescunt, Clericorum institutio summae Vobis curae sit, acriterque vigilate, ne quis, nisi indole, virtute, scientia vere se vocatum praeseferat in sortem Domini, sacris Ordinibus initietur. Neque eo minus religiosarum familiarum observantiae prospicite, facultatibus utentes, quae Vobis a S. Concilio Tridentino vel tanquam Ordinariis, vel tanquam Sedis Apostolicae delegatis tribuuntur. Scholas et collegia adolescentium crebro invisite ad venena prohibenda praesentis aevi corruptelarum, omniaque ad normam dirigenda sanctissimae disciplinae. Instate, ut Moniales quae Deo voverunt religiose praestent, « et quas (uti monet » Concilium Romanum) educandas ac formandas su- » sceperint puellas convictrices, pie illas et catho- » lice instruant, incumbantque, ne ipsarum orna- » tus, et vestes puellis inter sponsas Christi versan- » tibus disconveniant. » Quae de celebratione synodorum, quae de visitatione dioecesium praecipiuntur a Concilio Tridentino partes ducite muneris vestri gravissimas. Ea ut praescriptis ab eo temporibus modoque relig'ose impleantur, Vobis etiam atque etiam commendamus. Inde enim et cognoscetis oves vestras, et quibus earum malis medendum sit, quibus commodis consulendum intelligetis. Omnium ordinum cura Vobis commissa est, sed praecipue pauperum, quibus ad evangelizandum se missum a Patre professus est Christus, in quos adeo praeclara singularis praebuit argumenta voluntatis. Probe au

tem intelligitis quam facile sit, ut, egestate impellente, omnem praesentis Dei beneficentiae fructum amittant. Bonis igitur Ecclesiae ita utimini, ut praeceptum Domini in exemplum impleatis, *quod superest date eleemosynam,* eaque fideliter praestetis, quae de bonorum illorum usu Episcopis praescribit Ecclesia: aditum habeant ad Vos facilem egentium gemitus, divitum opem, eleemosynae praecepto quam saepissime proposito, pro eis implorate; eosque ab omni oppressione atque iniuria pro virili parte defendite. Contra foeneratorum iniquitatem, qui ut ait Cathechis. Rom. miseram plebem compilant et trucidant usuris, inter cetera vehementer invehatur zelus vester, quod malum adeo miseris hisce temporibus invaluit.... (1)

Inter pauperes autem eos praesertim caritati vestrae commendamus, quorum egestati vel orbitas, vel aegritudo veluti cumulus accedit, ut domus utriusque sexus adolescentibus alendis educandisque, invalidis aegrisque recipiendis tum quod ad corpus remque familiarem pertinet, tum quod ad animum, quam diligentissime accurentur.

Ne multa: pastores Vos estis ac magistri populorum. Vestrum idcirco est, Venerabiles Fratres, non modo vigilare, ne quos crediti Vobis greges *spiritualium bestiarum patiantur incursus,* sed eos caelestis doctrinae pabulo nutrire monitis quidem legibusque salutaribus, at exemplo potissimum; quo spectant quae et Vobis dicta sunt a Domino: « vos

(1) Idem graviter agatur contra furti scelus quod tot modis totque damnis societatem conturbat.

» estis lux mundi.... sic luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glo- » rificent Patrem vestrum, qui in coelis est; « quod unum maxime valet tum ad movendos animos, tum ad obstruendum os loquentium iniqua, secundum illud Apostoli : « In omnibus te ipsum » praebe exemplum bonorum operum, in doctri- » na, in integritate, in gravitate, verbum sanum » irreprehensibile, ut iis, qui ex adverso est, ve- » reatur nihil habens malum dicere de vobis. » Ita fiet, ut non modo quid agendum sit videant populi, sed ut agant reipsa, ac tanquam Apostoli, sic et Vos sal terrae sitis ; hoc est, putore adempto peccatorum, qua semel imbuti per Vos fuerint homines, vitae morumque integritas diutissime incorrupta servetur. Haec sunt vota Nostra, hoc freti virtute studiisque vestris, Deo adiuvante, confidimus consecuturos, ut erroribus vitiisque profligatis, pietate corroborata, induant fideles, ut hortatur Apostolus, « sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera » misericordiae, benignitatem, humilitatem, mode- » stiam, patientiam supportantes invicem, et donan- » tes sibimetipsis, sicut et Dominus donavit nobis: » super omnia autem caritatem habeant, quod est » vinculum perfectionis ; » quod scilicet Christianas omnes simul iunctas secum fert, et conservat virtutes, atque hominem Deo coniungit, in quo tota hominis perfectio est. Hunc fructum sacri Iubilaei maximum ex Christi Iesu Dei ac Redemptoris nostri meritis, Sanctorumque omnium ut capere Vobis contingat laborum vestrorum ; huius ut Nos voti compotes faciat misericordiarum Pater et Deus to-

tius consolationis per eumdem Filium suum Redemptorem nostrum, cuius eadem fuit precatio cum ait; *rogo, Pater, ut unum sint sicut et nos*, quanta possumus animi contentione obsecrantes Apostolicam Benedictionem Vobis, et commissis curae vestrae gregibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Octavo Kal. Ianuarii Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo vigesimo quinto. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

APPENDIX

CONTINENS DUO ACTA AN. MDCCCLXXI.

EDITA.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CONFIRMATUR SENTENTIA S. CONGREGATIONIS RITUUM AD CONTROVERSIAM DILUENDAM INTER NONNULLOS CISTERCIENSIS ORDINIS ALUMNOS EXCITATAM DE LEGITIMITATE REFORMATIONIS BREVIARII ET MISSALIS, QUIBUS EADEM RELIGIOSA FAMILIA UTITUR.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Quae a sanctissimis sapientissimisque viris excogitata atque instituta, et saeculorum auctoritate sancita sunt Romani Pontifices magno semper in pretio habuerunt, illaque omni tempore censuerunt inviolate servanda. Hac quidem mente fel. rec. Sanctus Pius V. Praedecessor Noster quo tempore omnibus Ecclesiis et regularium Ordinibus Missalis et Breviarii Romani ab ipsomet editorum usum praescripsit, illas excepit Ecclesias et Monasteria, quae a ducentis annis suo Missali ac Breviario uterentur. Iure inde ac merito inclyta Cisterciensis Familia tot nominibus de re sacra et publica praeclare merita, quae a legiferi Patris S. Benedicti regula nullatenus declinans proprium ritum eidem regulae prorsus conformem instituit, suos retinuit liturgicos libros, ut-

pote quos eadem Familia Religiosa a quadringentis annis et ultra adhibebat, idemque Sanctus Pontifex in memorati Ordinis reformatione per suas litteras Apostolicas edixit, ut in toto Ordine Cisterciensi Missae sacrificium, aliaque omnia diurna et nocturna officia divina quotidie in choro iuxta ipsius Ordinis ritum sine intermissione celebrarentur. Verum medio circiter saeculo decimo septimo visum est Claudio Vaussin tunc temporis Summo Cisterciensis Ordinis Magistro seu Abbati Generali nonnulla in rebus ritus (substantiam haudquaquam attingentia) reformare, idcirco idem Claudius exempla Praepositorum Generalium aliorum Ordinum imitatus aliqua in sui Ordinis Breviario et Missali immutare vel emendare non dubitavit, diligenter curans, ut huiusmodi libri, servato semper typo regulae S. Benedicti ad Romanam formam S. Pii V. propius, quo fieri possit, accederent. Suo Praeposito omnes fere Congregationes et Provinciae Cisterciensium Monachorum utriusque sexus tam communis quam strictioris observantiae dicto audientes Missale ac Breviarium sic emendatum receperunt, atque ad haec usque tempora nostra continuo tenuerunt. At quum nonnulli istius Ordinis Monachi Romae degentes de huiusmodi reformationis legitimitate quaestionem instituerint, Consilium sacris Ritibus tuendis praepositum decrevit ab universo Ordine Cisterciensi servandum esse Breviarium Monasticum a sa. me. Paulo V. pro omnibus sub regula S. Benedicti militantibus approbatum. Porro quo reformatio haec sanctior ab suis Monachis haberetur, praefatus Claudius, occasione novae sui Ordinis reformationis supradictae liturgico-

rum librorum dicti Ordinis emendationis approbationem a recol. mem. Alexandro VII. decessore Nostro impetravit, eamdemque emendationem fel. rec. Clemens IX. et Clemens XIII. Romani Pontifices iterum atque iterum approbarunt et confirmarunt. Rursus tamen controversia quod ad legitimitatem reformationis huius inter Alumnos eiusdem Ordinis Monasterii Bohernensis in Belgicis exarsit, et ad Sanctam Sedem Apostolicam delata est. Consilium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, cui istiusmodi iudicium propositum est, controversiam omnem Congregationi ritibus Ecclesiae tuendis dirimendam remisit. Praepositi Congregationi huic S. R. E. Cardinales, prout rei gravitas postulabat, rationum momentis caeterisque omnibus diligenter examinatis tres Consultores, quorum alterum e gremio Congregationis Episcoporum et Regularium exquisiverunt, ut hac super controversia suam scripto singuli darent sententiam, eaque typis edita singulis eiusdem Congregationis traderetur. Quibus sententiis consultis duo universae Congregationi praeposita sunt dubia diluenda. – I.um nempe » *An apud Monachos Cisterciensis Ordinis tam communis quam strictioris Observantiae legitimus sit usus Breviarii et Missalis proprii eiusdem Ordinis, quae a Claudio Vaussin Abbate Generali medio circiter saeculo XVII reformata fuere?* – II.um *Et quatenus affirmative, quid statuendum quoad quamplura Festa et officia recentiora Ecclesiae universalis, quae in praefatis libris vel omnino desiderantur, vel inferiori ritu notata reperiuntur?* – Hisce dubiis Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus as-

serendis probandis in Conventu, quem die V. Decembris Anno MDCCCLXVIII. in Vaticanis Aedibus habuerunt, audita dilecti filii Nostri Hannibalis S. R. E. Cardinalis Capalti huius causae Ponentis relatione, rebusque omnibus maturo diligentique examine expensis, responderunt » ad primum - *Affirmative* - ad alterum - *Dilata et Kalendarium examinetur ab Eminentissimo Cardinali Ponente una cum Promotore Fidei et altero ex Consultoribus ad effectum referendi in Sacra Congregatione* » Huiusmodi examine per supradictos absoluto, idem Cardinalis Capalti de omnibus ad id in ordinariis eiusdem Congregationis ad Vaticanum habitis Comitiis verba fecit, eodemque die III, nempe Iulii Anno MDCCCLXIX. Cardinales Sacrorum Rituum tutores rescripserunt » *approbandum esse Kalendarium iuxta additiones et correctiones a Cardinali Ponente propositas, et supplicandum Nobis, ut Decretum Sacrorum Rituum Congregationis per Apostolicas Litteras confirmare dignaremur.* »

Nos autem, quibus dilectus filius Dominicus Bartolini Antistes Urbanus memoratae Congregationis a secretis actorum causae huiusmodi seriem accurate explicavit, post maturam rerum omnium considerationem, quae supradicta Congregatio de hac controversia decrevit, rata habemus, eademque Decreta Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium litterarum roboramus, sancimus, confirmamus. Proinde omnibus et singulis e Religiosa Familia Cisterciensi tam communis quam strictioris Observantiae praecipimus et mandamus, ut hisce decretis obsequantur, omnique tempore pareant, et obediant. In

contrarium facientibus, quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII. Februarii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quinto.

N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

LITTERAE APOSTOLICAE

VICARIATUS APOSTOLICI « DE ARIZONA » IN FOEDERATIS AMERICAE STATIBUS LIMITES ACCURATIUS CIRCUMSCRIBUNTUR.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Inter multiplices gravesque Apostolici ministerii curas, quibus distinemur, ad eas regiones identidem animum intendimus, quae longo terrarum marisque tractu ab hoc catholicae religionis centro seiunguntur, ac si quid per ea loca minus recte se haberi deprehenderimus, illud emendare ac corrigere maturamus, ne christiana res quidpiam exinde detrimenti capiat. Cum itaque Venerabilis Frater Ioannes Baptista Salpointe Episcopus Dorylensis in partibus infidelium, et Vicarius Apostolicus « *De Arizona* » in Foederatis Americae Statibus a Nobis enixe postulaverit, ut eiusdem Apostolici Vicariatus limites accuratius describeremus, quam quod per Apostolicas Litteras diei XXV Mensis Septembris MDCCCLXVIII praestitimus, Nos, ubi primum da-

tum fuit rem iterum detulimus ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Negotiis Propagandae Fidei praepositos, attenteque perpensis rationibus, quae ab memorato Antistite adductae sunt, eius votis obsecundandum existimavimus. Quae cum ita sint, de eorumdem Venerabilium Fratrum consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium Vicariatum Apostolicum « *De Arizona* » in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis ita circumscribimus, ut ex huius nominis territorio, ex Comitatu, vulgo dicto « *El Faso* » in Statu « *Texas* » et ex Comitatu, vulgo « *Doñana* » qui melius internoscitur nomine « *Mesilla Valley* » in territorio « *novi Mexici* » constare debeat, ea tamen lege ut Tabula chorographica istius regionis a Metropolitano subscribatur, et memoratae Apostolicae Nostrae Litterae ad hanc Sanctam Sedem remittantur. Haec statuimus, mandamus, ordinamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque speciali atque individua mentione dignis, nec non eiusdem Vicariatus « De Arizona » etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel qua-

vis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII Decembris MDCCCLXXI, Pontificatus Nostri Anno XXVI.

PRO DOMINO CARD. PARACCIANI CLARELLI.

F. Profili Substitutus

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

INDEX

MDCCCLXXII.

Epistola — *Quod Christus in horto* — diei 4 ianuarii ad Bernardum Archiepiscopum Guatimalensem e sua sede exulantem. Ipsi gratulatur de insectationibus pro Christo toleratis, eumque hortatur ut bono animo sit, ac pergat Catholicae Ecclesiae et Sanctae Sedis iura in ipso exilio strenue propugnare et gregem suum erigere . . . pag. 3

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris — *Quod catholico nomini* — die 16 februarii, quibus nova constituitur Dioecesis Ogdensburgensis in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis . . » 5

Similes — *Quod catholico nomini* — eiusdem diei. Nova erectio Dioecesis Providentiae in Foederatis Statibus Americae Septenptrionalis . . . » 8

Decretum Consistoriale — *Apostolicis Litteris* — sub die 19 martii. Iaciensis seu Messanensis et Cataniensis in Sicilia. De Apostolicarum Litterarum, quae a s. m. Gregorio XVI V. Kal. Iul. A. MDCCCXLIV pro nova erigenda Episcopali Sede Iaciensi editae sunt, perpetua observantia, deque earum altero exequutore deputando . . . . . . » 11

Simile *Pro salutari christifidelium pabulo* — die 2 maii. Nannetensis et Andegavensis in Gallia. Distractio ac dein additio Paroeciarum . . . . . » 16

Simile — *Vita functo R. P. D. Francisco Emygdio Cugini* — die 8 maii. Novo Mutinensi Archiepiscopo concreditur in Commendam Monasterium S. Silvestri de Nonantula in Provincia ravennatensi » 21

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Romani Pontificis providentia* — eiusdem diei 8 maii. Earum vi Ioseph Maria Guidelli e Comitibus Guidi electus Archiepiscopus Mutinensis in possessionem immittitur Commendae Monasterii Sancti Silvestri de Nonantula, pro ut in superiori Consistoriali Decreto iussum fuerat . . . . » 23

Decretum Consistoriale — *Consistoriali Decreto* — die 20 maii. Apuana in Parmensi Ditione. Differtur ad beneplacitum Sanctae Sedis exequutio Litterarum Apostolicarum sub plumbo pro distractione plurium Paroeciarum . . . . » 29

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris — *Apostolicam Nostram sollicitudinem* — die 16 iunii. Vehementer dolet omnes curas suas et Legati a Latere extra ordinem Constantinopolim missi inanes fuisse ad schisma inter Armenios excitatum compescendum, quod immo in dies latius propagatur. Improbitatem et nequitiam schismaticorum deplorat ac detestatur praesertim pseudopatriarchae, qui quinque neoschismaticis presbyteris episcopalis consecrationis manus conferre non reformidavit. Hos omnes excommunicatos et ab Ecclesiae Catholicae unitate segregatos declarat, proindeque fideles monet, ut ab iisdem diligentissime caveant, maxime vero a pseudoepiscopis. At laetatur de firmitate et constantia Catholicorum Praesulum, Cleri, et fidelium Armenii ritus in veritate et unitate catholica custodienda. Neque tamen miserrimos illos schismaticos obliviscitur, pro quibus Deum humiliter de-

precatur, ut aliquando resipiscant, et a viis pessimis revertant . . . . » 33

Epistola italica — *Costretti* — die 16 iunii ex Aedibus Vaticanis ad Eminentissimum Virum Iacobum Antonelli Cardinalem a Publicis Negotiis. Sanctitas Sua summum exprimit dolorem, quo suus animus affectus fuit, vix accepit Ministrorum Praesidem Gubernii usurpatoris omnino statuisse, Legislativo Coetui legem quantocius proponere de Religiosis Familiis extinguendis in ipsa Urbe, quae Sedes est Iesu Christi Vicarii, et catholici orbis caput. Factorum congerie significat, quam iniqua et exitialis futura sit lex illa, cuius vi non modo Pontificis libertas impetitur, sed validiora et efficaciora subsidia e suis manibus avelluntur, quibus Ipse ad totius Ecclesiae regimen tantopere indiget. Detegit invasoris Gubernii fraudes, cuius consilium eo semper spectavit et spectat, ut non modo civili sed spirituali praesertim dominatione Romanum Pontificem expoliaret, idque praeclare ostendunt quotidianae contra sanctissimam religionem eiusque administros insectationes. Subalpini Gubernii captivum se proclamat, et damna enumerat ex hac captivitate dimanantia. Nulla inter expoliatum Pontificem et novum Gubernium intercedere potest conciliatio. Declarat se ad sanguinem prius et vitam ipsam fundendam esse paratum, quam a pastorali suo officio deficere. Demonstrat quam irrisoria sit et captiosa lex ab hodierno Gubernio excogitata, quam *delle Guarentigie* appellant. Iubet, ut praefatus Eminentissimus Vir de miserrima, in qua nunc Sancta Sedes versatur, conditione exterorum Principum Legatos penes Apostolicam Sedem certiores faciat, suoque nomine quidquid adhuc accidit, et proxime impendit contestando denunciet; fidit enim fore ut ipsi perpendant, quam necessaria sit in Apostolici ministerii exercitio Summi Pontificis libertas, ad quam tutandam fideles omnes iure exigere possunt, ut eorum Principes concurrant, eo magis

quod catholicae familiae tranquillitas et quies in bonum redit nationum omnium . . . . . » 38

Epistola ad dilectos filios Henricum Abeille, Henricum Bergasse, ac ceteros, qui simul Massiliam coierunt rebus catholicis prospecturi — *Inter teterrima* — die 27 iunii. Initum a supradictis fidelibus consilium commendat consulendi omni ratione religionis catholicae defensioni et profectui, et nominatim rectae educationi pueritiae et adolescentiae tot impiorum insidiis et fraudibus circumseptae. Non dubitat quin alii fideles tam laudabili incoepto certatim suppetias laturi sint, praesertim Clerus, cuius est exemplo praelucere . . . , . » 51

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris — *Religiosorum Ordinum familias* — die 12 iulii. Omnia quae sunt quaeque futuris temporibus erunt cum in insulis Philippinis tum in aliis omnibus Hispanicae Ditioni subiectis locis Coenobia, Collegia, et Hospitia Fratrum Ordinis Praedicatorum, et regulares omnes dicti Ordinis in praefatis insulis et locis degentes iurisdictioni Magistri Generalis Ordinis S. Dominici Romae sedentis iuxta eiusdem Ordinis leges et constitutiones restituuntur, et praecipitur ut eidem pareant et obediant, uti ante Constitutionem a Pio PP. VII idibus maii 1804 editam . . . . » 55

Decretum Consistoriale — *Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae Barolensis* — die 22 iulii. Barolensis. Eidem Capitulo remittuntur solutiones ab eo debitae ob fructus quatuor Canonicatuum suspensorum. Ipsae in posterum differuntur. Additur declaratio super usu Pontificalium in Missis solemnibus coram Capitulo illius Cathedralis Ecclesiae . » 59

Simile — *Nova constituta Cathedrali Ecclesia Iaciensi* — die 22 iulii. Iaciensis in Sicilia. Subiectio immediata illius Cathedralis Ecclesiae S. Apostolicae Romanae Sedi . . . . » 64

Epistola ad Venerabilem Fratrem Laurentium Episcopum Ventimiliensem — *Adeo ubique laxata* — die 12 augusti. Gratulatur quod idem Episcopus sua suique populi inopia non obstante haereticorum doctrinae, qui in quodam eius dioecesis pago pueros et adolescentes vitiare nitebantur, catholicas scholas obiecerit. Cum vero ipse Praesul vereatur, ne scholae huiusmodi, deficientibus opibus, diu sustentari non possint, Summus Pontifex providet ex aere suo . . . . » 67

Litterae Apostolicae sub plumbo, — *Apostolicae Sedis* — IV Kal. septembr. quibus edicitur Constitutio super privilegiis Protonotariorum Apostolicorum ad instar participantium. . . . . . » 69

Decretum Consistoriale — *Ex quo s. m. Urbanus huius nominis Octavus* — die 3 septembris. Urbanien. et S. Angeli in Vado. Declaratur et emendatur earum sedium praenominatio alternativa tum in consistorialibus praeconiis cum in Apostolicis illarum ecclesiarum invicem aeque principaliter unitarum, aliisque Brevibus facultatum et Rescriptis quae eis referuntur . . . . » 81

Simile — *Abrogata omnino* — die 27 septembris. Iaciensis. De Appellationibus ad Messanensem Metropolitanum. . . . . » 84

Epistola ad dilectum filium Albertum Cucito presbyterum. Venetias — *Propositum a te* — die 19 decembris. Libellum DE PATRONATU FILIORUM PLEBIS, quem a se lucubratum ipse primo Italorum catholico conventui proposuerat, Sanctitas Sua valde adprobat, ibique praescriptam methodum ad infelices istos pueros sibi relictos adversus hodiernam vitiorum colluviem innumerasque insidias muniendos summopere commendat. Praeterea ipsi gratulatur de uberrimis fructibus, quos charitatis studio atque industriis iam collegerit, simulque ominatur, ut alii quoque prospero illecti successu in tam laudabili

coepto se socios adiungant: quocirca frugifero huic operi Deum propitium adprecatur . . . . » 87

Allocutio habita die 23 decembris ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis — *Iustus et misericors Deus* — Nuntiat, heic quoque Romae legem propositam fuisse Legislativo Coetui, non obstantibus suis denunciationibus et gravissimis condemnationibus; in reliquis Italiae partibus exequutioni gradatim demandatam, de Religiosis familiis supprimendis, et Ecclesiae bonis fisco addicendis, et publicae licitationi obiiciendis. Quae iam de hoc facinore ad Cardinalem a Publicis Negotiis in epistola praesenti volumine contenta scripserat, in hac Allocutione strictim repetit. Nefariam legem execrans, irritum iam nunc pronunciat quidquid fieri velit contra iura et patrimonium Ecclesiae, cassamque prorsus et nullam declarat quamlibet praedatorum bonorum acquisitionem quocumque titulo factam. Auctores autem et fautores huius legis monet, ut meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas in ipso facto incurrendas Apostolicae Constitutiones invasoribus Ecclesiae iurium infligunt. Pari cum dolore memorat acerrimas Ecclesiae et fidelium vexationes in novo Germanico Imperio, in nonnullis pagis Helveticae Foederationis, et in Hispania, et Constantinopoli, ubi Armeniorum schisma exardescit. Inter tot moeroris causas recreatur admirabili constantia et operositate catholici Episcopatus commemoratarum regionum non minus quam ceterarum. Sermoni suo finem imponit spem exprimendo in Deo positam, qui iustus est et misericors . . . . , . . . » 89

MDCCCLXXIII.

Epistola Encyclica ad Antonium Petrum IX Patriarcham Ciliciae, et Archiepiscopos, Episcopos, item-

que ad clerum ac populum Ritus Armenii — *Quartus supra vigesimum* — die 6 ianuarii. Quantum adhuc adlaboraverit ad Armenium schisma comprimendum brevibus memorat. Ut in coepto instet, futilia argumenta a neoschismaticis Armeniae ad incautos catholicos aucupandos concinnata tum perpetua Catholicae Ecclesiae traditione, tum SS. Patrum auctoritate, tum Conciliorum constitutionibus, tum denique historicis factis singillatim refellit; praesertim vero demonstrat Constitutionem — *Reversurus* — die 12 iulii an. 1867 ab sese editam, contra quam Armenii neoschismatici tantopere oblatrant, et praecedentem instructionem diei 20 augusti 1873 quoad Patriarchae et Antistitum Armeniae electionem, ecclesiasticorumque bonorum illis in regionibus administrationem civili summi Imperantis potestati minime insidiari, sed Romanum Pontificem in hac re usum fuisse iure, quod sibi divinitus traditum fuit, cuius vi catholicis Ecclesiis in orbe universo constitutis arbitratu suo praeesse, eas gubernare, earumque bono et conservationi prospicere potest ac debet. Catholicos denique Antistites hortatur, ut praeclara Maiorum exempla sequuti resistant fortes in fide . . . . » 97

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Super oecumenica* — Quarto Kalendas Februarii 1872 (die 29 Ianuarii 1873) quibus Dioecesis Antioquiensis, quae per Decretum Consistoriale diei 4 februarii 1868 cum Dioecesi Medellensi coniuncta fuerat, ab ista seiungitur, et in novum Episcopatum erigitur . » 138

Epistola Felici Libero Baroni de Leo Praesidi totique Societati Germano-Catholicae. (Moguntiam) — *Dum insectationem Ecclesiae* — die 10 februarii. Illius Societatis Sodales adhortatur, ut proprio iure freti deiectam religionem suam tueri, Ecclesiaeque libertatem vindicare contendant . . . » 153

Decretum S. Congregationis Rituum diei 27 februarii, quo Barolensis Capituli Archipresbytero, qui

privilegiis Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium uti poterat, privilegia deinceps conceduntur Abbatum, minime vero eorum Abbatum qui *Nullius* dicuntur . . . . . » 156

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Expositum Nobis est* — diei 28 februarii, in quo facultas fit dilecto filio Ioanni Baptistae Etienne Summo Magistro Congregationis Missionis, eiusque religiosis Sodalibus curam et regimem Seminariorum in spiritualibus ac temporalibus ab Ordinariis suscipiendi, quin Sanctam Sedem Aportolicam ad impetrandam in singulis casibus veniam adeat, servatis tamen nonnullis aliis conditionibus . . . . . . » 159

Epistola — *Per tristissima haec Ecclesiae tempora* — die 6 martii Praesidi et Sodalibus Circuli S. Ambrosii Mediolani, ut caveant a *Catholico-liberalibus* » 161

Similis ad Aloisium Gastonem de Segur Canonicum primi Ordinis S. Dionysii Praesidem Unionis Societatum Catholicarum pro Operariis (Lutetiam Parisiorum — *Etsi calcanda* — die 20 martii. De christiana Operariorum institutione . . . » 164

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Vigore Rescripti* — die 28 martii. Universis Urbis et Orbis fidelibus, qui parvum scapulare laneum albi coloris imaginem S. Cordis Iesu in medio referens gestaverint, et corde saltem contriti Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Gloria Patri etc. quolibet anni die recitaverint, centum dierum indulgentia in perpetuum conceditur vel defunctis applicabilis . . . . » 166

Decretum Sacrae Congregationis Concilii — *Inter damna gravissima* — die 30 aprilis. Ad Capitulum et Canonicos S. Iacobi de Cuba in Regno Hispanico. Archiepiscopali Sede vacante S. Iacobi de Cuba, D. Iosephus Obera in Vicarium Capitularem legitime a Capitulo electus fuit; at laica potestas alte-

rum e Canonicis, idest Petrum Llorente, ad idem munus nominaverat quod ipse excipere non erubuit. Hisce breviter enarratis, praefata S. Congregatio, decretis perpensis Concilii Lugdunensis II, et plurium Summorum Pontificum, statuit, Petrum Llorente in censuras ecclesiasticas et in maiorem excommunicationem ipso iure incidisse, itemque a Canonicatu et alio quolibet beneficio ecclesiastico expoliari; insuper eum inhabilem ad alia quaecumque beneficia in posterum obtinenda declarat. Praeterea decrevit, in easdem censuras et excommunicationem maiorem incidisse ecclesiasticos et laicos viros, qui fuerunt auctores, vel auxilium quovis modo activum praebuerunt ad hanc officii usurpationem. Quosvis actus iurisdictionales post invasionem et usurpationem praedictam nullos prorsus et irritos esse, praeter nonnullos, quos sanare intendit. Denique D. Iosephus Orbera legitimus Vicarius Capitularis in integrum restituitur . . . . » 169

Epistola ad dilectos filios Senatorem de Caumart d'Amale Praesidem totamque Foederationem Circulorum Catholicorum in Belgio (Leodium) — *Quo durior* — die 8 maii. De ingenio et damnis *Liberalismi Catholici* . . . . » 177

Litterae Apostolicae in forma Brevis ad Venerabilem Fratrem Eugenium Lachat Episcopum Basileensem — *Oblatae Nobis* — die 23 maii. Necessariae et opportunae facultates ipsi tribuuntur, ut, cum timendum sit ne Iurae Bernensis Parochis propria munera publice exercenda interdicantur, huic fidelium detrimento prospiciat, quemadmodum in Domino expedire censuerit, donec teterrima haec tempestas saeviat. . . . . » 180

Epistola ad Venerabilem Fratrem Vitalem Mariam Episcopum Olindensem (Recife in Brasilia) — *Quamquam dolores* — die 29 maii. De damnata *Massonum* secta. . . . . » 182

Litterae Apostolicae in forma Brevis ad S. R. E. Presbyterum Cardinalem Cullen Archiepiscopum Dublinensem atque Hiberniae Primatem — *Ex Apostolici Officii* — die 30 maii. Munus ipsi tribuitur convocandae et regendae Synodi generalis totius nationis Hiberniae, quam Hibernenses Praesules celebrare intendunt, eidemque Cardinali Archiepiscopo omnes facultates necessariae et opportunae deferuntur . . . . » 187

Similes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis atque Episcopis Hiberniae — *Si quid est* — die 30 maii. Initum laudat consilium de plenaria Synodo habenda. Certiores ipsos facit, sese iam Archiepiscopo Dublinensi commisisse, ut tamquam Delegatus Apostolicus hanc Synodum convocet, simulque inter cetera hortatur, ut ipsi Dublinensi Antistiti tali aucto munere debitum obsequium exhibeant, et facta ab eodem Synodi convocatione, iuxta SS. Canonum praescripta omnes adsint, nisi legitimo detineantur impedimento ad proprii gregis utilitatem ac bonum spectante. . . . . » 190

Similes — *Qui choricis Catholicae Ecclesiae libris* — die 30 maii Equiti Friderico Pustet dioecesis Ratisbonensis, qui praeter ceteras egregias Ecclesiasticorum librorum editiones praesertim Cantus Gregoriani, nuper editionem suis sumptibus vulgaverat Gradualis, quod vocant, Romani sane splendidam et magnificam, editionis instar Mediceae. Hanc tum locorum Ordinariis, tum iis omnibus, quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendat, eumque adhortatur, ut quae adhuc edenda supersunt de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a fel. mem. Paulo PP. V perficietur editio, tandem in lucem proferat. Quamobrem iura omnia et privilegia alias a Sancta Sede ipsi concessa confirmat . » 194

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Paterna sollicitudine* — Kalendis iuniis. Stabiles praescribit leges et conditiones luctuosis hisce temporibus consen-

taneas de regimine et administratione tum Pii Instituti seu domus vulgo — *di Ricovero* — tum Gymnasii seu Patrimonii studiorum, quae Ipse in sua patria ex asse patrimonii sui privati fundavit. » 197

Epistola ad Vicecomitem de Morogues Praesidem totumque Consilium Societatis Catholicae Aurelianensis. (Aureliam) — *Gaudemus, dilecti filii* — die 9 iunii. Cavendum a liberalismo catholico . . » 206

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Quo gravius* — Pridie idus iulii. Quibus peculiaris ecclesiastica iurisdictio in territoriis ad quatuor militares Ordines Sancti Iacobi, Alcantarae, Calatravae, et Montesiae in Hispaniis pertinentibus aboletur, eademque territoria proximis dioecesibus aggregantur . » 208

Similes -- *Quae diversa* — Pridie Idus iulii. Abolentur privilegiatae omnes iurisdictiones ecclesiasticae in Hispaniis, iisque hactenus subiecta territoria, loca, monasteria proximis dioecesibus iunguntur . . . . » 217

Epistola ad Praesidem et Consilium Municipii Taubati provinciae Sancti Pauli in Brasilia — *Scite profecto* — die 14 iulii. De *Massonismi* machinationibus. . . . . » 225

Similis ad Praesidem totumque Consilium centrale Societatis initae pro tutela rei catholicae (Massiliam) — *Si gaudemus* — die 17 iulii. De christiana Operariorum institutione. . . . . . » 228

Allocutio habita die 25 iulii ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis — *Quod praenunciavimus* — Nunciat, legem a Legislativo Coetu sancitam, qua etiam Romae, sicuti in reliqua Italia, Religiosae Familiae supprimuntur, et ecclesiastica bona publicae licitationi obiiciuntur. Impium hoc facinus execrans actus omnes in hac re nullos et irritos declarat, et monet huiusmodi legis auctores et quo-

modolibet adiutores in maiorem excommunicationem incurrisse. Quo spectent Ecclesiae insectatorum conatus brevibus significat. Gaudet de Episcoporum omnium cum Sancta Sede coniunctione eorumque constantia in sacris tuendis Ecclesiae iuribus. Orandi necessitas, ut optata clementiae tempora maturentur. . . . . » 230

Epistola ad Anselmum Episcopum Corisopitensem. — *Sicuti, Venerabilis Frater* — die 28 Iulii. Gratulatur de instituta Societate catholica Corisopitae, Episcopo moderante, eumque hortatur, ut moneat Societatis Sodales velle se abstinere ab opinionibus, quas dicunt liberales, illasque refellere. . » 234

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Universis christifidelibus* — die 19 augusti. Cum nonnullae sacrae peregrinationes ad celebriora Italiae sanctuaria ab invasore Gubernio interdictae fuerint, nonnulli fideles e civitate Bononiensi in eam mentem venerunt, ut catholicos universos ad spiritualem peregrinationem invitarent. Pro spirituali hac peregrinatione ordo statuitur, et plenariae ac partiales indulgentiae defunctis quoque applicabiles impertiuntur, impletis conditionibus praescriptis. » 236

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Romanus Pontifex* — V Kal. septembr. quarum vi edicitur Constitutio super Capitularibus nec non electis et nominatis ad Sedes Episcopales vacantes . . » 239

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Quae in rem catholicam* — die 3 octobris. Urbanus VIII suis Litteris in forma Brevis die 27 decembris anni 1642 consuetudinem approbavit a tempore persecutionis invectam, qua Coenobiarchae vulgo (*Guardiani*) titulares strictioris Observantiae S. Francisci Conventuum in Provincia Hibernensi suppressorum eliguntur cum iure concurrendi ad electiones Capitulares. At mutata temporum in illa Provincia conditione, vetusta consuetudo aboletur, et supradicti

Pontificis Litteris derogando statuitur, ut in Coenobiarcharum electione ius commune servetur. . » 247

Similes — *Ex parte imperialis Gubernii Russiaci* — die 14 novembris. Ad preces imperialis Gubernii Russiaci facultas impertitur Antonio Archiepiscopo Mobiloviensi, qui iugiter Petropoli commoratur, ut Capitulum et Consistorium Mobilovia Petropolim transferatur, ea tamen lege, ut Archiepiscopus Mohiloviensem titulum retinere debeat, eiusque Capitulum habeatur semper et nominetur Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Mohiloviensis: quin imo ad Metropolitani templi Mohiloviensis splendorem ipsi Archiepiscopo curae erit, ut alter ex Episcopis Suffraganeis suam inibi sedem habeat. Quoď vero ad dioecesanum Seminarium Mohiloviense Petropoli instituendum quae a Sacra Tridentina Synodo praecepta sunt rite servantor. . . . . . » 249

Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes — *Etsi multa luctuosa* — die 21 novembris. Subalpini Gubernii flagitia in ipsa Urbe, Romani Pontificis Sede, patrata obiter commemorat. Enumerat Ecclesiae persecutiones in quibusdam Helveticae Foederationis Pagis, in Borussia, et in America. Apostatam Iosephum Hubertum Reinkens pseudo-episcopum in Borussia excommunicat et anathematizat, eademque poena plectit illos omnes, qui eum eligere attentarunt, et sacrilegae consecrationi operam commodarunt, et qui iisdem adhaeserint, eorumque partes sequuti opem, favorem, auxilium, aut consensum praebuerint. Cum vero tot tantaque mala a sectis scateant, sive masonicae dicantur, sive alio quovis nomine veniant, omnes sacrorum Antistites hortatur, ut omnem adhibeant operam adversus earum insidias et contagionem . . . . » 253

Litterae Apostolicae sub plumbo — *Qui attingit* —

Septimo idus Decembris. Quibus iudicium super identitate Corporum S. Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris ac Martyrum Gervasii et Protasii ab Archiepiscopo Mediolanensi prolatum confirmatur . . . . » 274

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Inter tot, quibus afflictamur, mala* — die 12 decembris. Solemniter confirmatur votum a Romanis emissum templum seu sacram aedem SS̃mo Cordi Iesu tunc temporis erigendi, cum praesentibus iactata fluctibus Ecclesiae navis conquiescat . . . » 284

Epistola encyclica Andreae Ignatio Archiepiscopo Ultraiectensi eiusque Suffraganeis, et dilectis filiis catholicis universis in Hollandia commorantibus — *In magnis* — die 27 decembris. Nullam et sacrilegam declarat electionem et consecrationem Casparis Ioannis Rinkel in Harlemeusem pseudo-episcopum. Tum ipsum, tum Hermannum Heycamp pseudo-episcopum Daventriensem consecratorem eius excommunicat et anathematizat, tum eos omnes, qui praefati Casparis electioni aut consecrationi operam, consilium, consensum praestitere, eosdemque praecipit ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos, et a Catholicis universis esse vitandos . . . . » 287

MDCCCLXXIV.

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Quod Catholici nominis bonum* — die 20 ianuarii. Iam inde ab anno MDCCCLII territorii tractus ab Dioecesi Montereyensi atque Angelorum Californiae abscissum, eiusdemque tractus regimen Archiepiscopo Mexicano commissum fuerat quousque aliter provideretur. Nunc idem territorii tractus in Vicaria-

tum Apostolicum erigitur titulo Confinioris Californiae vulgo — *Bassa California* — proprioque traditur Praesuli . . . . » 292

Similes — *Arcano divinae providentiae consilio* — die 3 februarii. In ecclesiastica provincia Superioris Canadae novus Vicariatus Apostolicus cognomento *Vicariatus Canadensis Septentrionalis* constituitur, eiusque fines describuntur . . . . . . » 294

Epistola Encyclica Dilectis Filiis S.R.E. Cardinalibus et Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Imperii Austriaci — *Vix dum a Nobis* — die 7 martii. Queritur immanibus contra Ecclesiam Dei insectationibus in Borussia et Helvetia excitatis, a Se iam die 24 novembris 1873 per similes Litteras deploratis, iniurias etiam accessisse Austriaci Gubernii. Memorat se Sua Allocutione iam inde ab anno 1868 die 22 iunii quasdam ab ipso Austriae Gubernio latas leges Ecclesiae iuribus et sollemnibus pactis conventis adversas condemnasse et irritas declararavisse. Significat, nunc novas publicis eiusdem Imperii Comitiis proponi velle leges novissimis Borussicis legibus non absimiles, quarum vi Catholica Ecclesia sub arbitrio civilis auctoritatis omnino redigatur. Dum contra hanc solemnis conventionis violationem iterum protestatur, eamque reprobat, praeclarissimis obtendit argumentis eam inesse novis hisce legibus naturam, si eae perferantur, ut Catholicae Ecclesiae institutionem et iura omnia funditus subvertant. Paucis deinde enumerat verbis malorum congeriem, quae Ecclesiae et fidelibus obventura forent, si illius Imperii Antistites novis iuribus aquiescerent, ideoque eos excitat, ut tantum impendens periculum amovere strenue contendant, non suis viribus sed divinae virtuti fidentes. Quod ut facilius assequantur, media etiam utenda praebet. Ceterum hac in re animo non concidit Pontifex pietate innixus et religione Imperatoris et Regis, ad quem novas litteras de hoc gravissimo negocio ab se missas nuntiat. Interea sacrorum An-

tistites hortatur, ut statim operi manum admoveant, Deum orans, ut eorum consiliis potenti auxilio praesit. . . . . » 297

Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris — *Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudine* — die 13 martii. Sublata unione Apostolicarum Delegationum Persidis et Mesopotamiae, harum cuique suus et distinctus praeficitur Delegatus Apostolicus . » 307

Similes — *Universi Dominici gregis* — die 30 martii. Abscissis ex Ecclesiae Melbournenis in Australiania Victoriae Colonia nonnullis amplissimi territorii partibus, duae novae eriguntur dioeceses, Sandhurstensis nimirum et Ballaratensis, earumque limites respective definiuntur . . . . » 311

Similes — *Incrementa* — die 31 martii. Melbournensis Ecclesia in Colonia Victoriae ad Metropolitanae Sedis dignitatem evehitur. . . . . » 314

Epistola Encyclica ad Archiepiscopum Leopoliensem, Haliciensem, et Cameneciensem Ruthenorum aliosque Episcopos eiusdem ritus gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes — *Omnem sollicitudinem* — diei 13 maii. Significat se iam inde a primis diuturni Pontificatus sui annis nihil intentatum reliquisse ad spirituale Orientalium Ecclesiarum bonum procurandum, maxime vero a d catholicas Liturgias in illis regionibus sartas tectas servandas et custodiendas, uti alii Praedecessores sui praestiterunt, quorum nonnulla profert decreta, praesertim Benedicti XIV et Gregorii XVI sententias. Quin imo, suddit, iam inde ab an. 1863 Apostolicae Sedi curae fuisse conventionem seu concordiam sancire ab Episcopis latini et graeci ritus propositam ad componendas et dirimendas controversias in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae et ritus varietatem excitatas, atque ob mutuas relationes, quae inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus ibi intercedebant. Nihilominus ac-

cidisse nunc ut in suprascripta ecclesiastica Provincia, et potissimum in finitima Chelmensi dioecesi inter Catholicos Graeco-Rutheni ritus licet in clericali ordine constitutos novis rebus studentes acris controversia exorta denuo fuerit de sacra Liturgia immemorabili usu legitime recepta, eamque immutare ipsi temere pertentent. Miserrimam Chelmensis dioecesis conditionem deplorans, narrat quam se sceleste gesserit pseudo-administrator in psa dioecesi, quem episcopali munere indignum iampridem Pontifex existimavit. Qui quidem circularibus Litteris diei 20 octobris anni 1873 divini cultus exercitium sacramque liturgiam innovare audet ea mente, ut in catholica Chelmensi dioecesi schismaticorum litnrgia inducatur. Dum quidquid in praecitatis litteris de re liturgica disponitur, nullum et irritum declaratur, ostendit Pontifex cavillationum insaniam pseudo-administratoris. Admirabili tamen gaudet constantia Ruthenorum Chelmensis dioecesis, qui iniquas pseudo-administratoris innovationes reiiciunt. Pro illius dioecesis errantibus Deum exorat, gravissimamque Liturgiae rem Ruthenorum Antistitibus summopere commendat . . . » 316

Decretum S. Congregationis Concilii — *Actuosi iniquarum sectarum asseclae* — 23 maii. Ecclesiasticis Provinciis Venetae ac Mediolanensi, singulisque dioecesibus Patriarchali ac Metropolitanae iurisdictioni subiectis eadem applicatur lex, quae pro Helvetica Foederatione lata fuit de populari Parochorum electione . . . . » 324

Decretum Consistoriale. Bisuntina. Separationis Ecclesiarum suffraganearum Strasburgensis atque Metensis ut S. Sedi Apostolicae immediate subsint—*Rem in Ecclesiastica Provincia Bisuntina* — die 14 iunii » 327

Simile. Metensis, Nanceyensis et Tullensis, nec non S. Deodati, insuperque Argentinensis seu Strasburgensis in Alsatia Lorena. Dismembrationum et po-

sterarum incorporationum — *Propter modernas* — diei 10 iulii. . . . . » 332

Decretum S. Congregationi Concilii — *Occasione Synodi dioecesanae* — diei 15 septembris. Ad querimonias compescendas cuiusdam dioecesis occasione Synodi dioecesanae excitatas praesertim super pluralitate electionum tam Iudicum quam Examinatorum Synodalium, horum numerus statuitur . » 340

Allocutio habita die 21 decembris ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis — *Conspicientes* — Dionysii Scelhot Syrorum hactenus Archiepiscopi Aleppensis, quem Synodus Episcoporum Syriaci ritus in Patriarcham Antiochenum Syrorum elegit, electionem confirmat. Sed in exordio sermonis sui illacrymans redit ad hodiernas humanae societatis calamitates, improborumque coecitatem, qui cum schismaticis, haereticis, et infidelibus consociati nil aliud spectant, nisi vota sua explere Catholicam Religionem, si fieri posset, omnino evertendi. Singillatim commemorat inimicorum conspirationes, quibus gemit Catholica Ecclesia in Germanico Imperio, in Helvetia, in Americae centralis et meridionalis regionibus, ac praesertim acerbam eam persecutionem, qua in Turcico Imperio Catholici Armenii premuntur; nonnullos huius Imperii furores et stultitias breviter adnotans. Meminit civilis societatis perturbationem ab hac Ecclesiae eiusque iurium oppressione dimanare. Attamen in tot tantisque tribulationibus Deo clementissimo grates habendae, cuius ope Episcopi, Sacerdotes, et fideles in Germania, in Helvetia, in Orientis regionibus, in Americae plagis tam admirabilia fidei exempla ediderunt: propterea in orando persistendum, ut Deus omnem populum suum in praelio confortare pergat. . . . . » 342

Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica

Sede habentes, et ad Christifideles universos — *Gravibus Ecclesiae* — diei 24 decembris. Se nunquam desiisse memorat in gravioribus Ecclesiae calamitatibus christianum populum excitare ad culparum expiationem, spiritualibus etiam reseratis Indulgentiarum thesauris, quo fidentius et efficacius ad misericordiarum Patrem accederet; idque etiam praestitisse occasione Sacrosancti Oecumenici Vaticani Concilii, quo suspenso ob temporum calamitates, Indulgentia tamen in forma Iubilaei concessa adhuc perdurabat: sibi maxime in votis fuisse anno 1850 universale iubilaeum indicere, sed tum ecclesiasticae tum civilis rei perturbationes tam salubri dono obstitisse. Ne vero etiam imminente anno 1875 licet temporum vicissitudines in peius corruant tanto bono fideles destituantur, maximum et universale iubilaeum ad totum annum supradictum duraturum indicit, servata ea forma, quam temporum conditio sinit, memoratamque indulgentiam occasione Vaticani Concilii in forma Iubilaei concessam revocat. Deinde ad hanc consequendam plenariam peccatorum remissionem regulas opportunas tradit leges. . » 347

Ad uberiorem vero normam hoc Iubilaei anno agendorum iterum edi iussit Epistolam encyclicam Leonis PP. XII. de iubilaei extensione ad universum catholicum gregem. . . . . . . » 361

APPENDIX

IN QUA DUO CONTINENTUR ACTA AN. MDCCCLXXI.

Litterae Apostolicae in forma Brevis — *Quae a sanctissimis* — die 7 februarii. Sententia confirmatur S. Rituum Congregationis ad controversiam diluendam inter nonnullos Cisterciensis Ordinis Alumnos exortam de legitimitate reformationis Breviarii et Missalis, quibus eadem Religiosa familia utitur. » 383

Similes — *Inter multiplices* — die 22 decembris. Vicariatus Apostolici « de Arizona » in Foederatis Americae Statibus limites accuratius circumscribuntur.» 388